LOCUPLETISSIMUS THESAURUS CONTINENS VARIAS &...

Gelasius : de Cilia, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FIORENSE
32
4 C
14

Digitized by Google

Digitized by Google

II

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCUPLETISSIMUS
THESAURUS

CONTINENS

arias & ſelectiſſimas Bene-
ctiones, Conjurationes, Exor-
mos, Abſolutiones, Ritus, Adminiſtratio-
nem Sacramentorum, aliorúmque Munerum
Paſtoralium,

d Utilitatem Chriſti Fidelium, &
mmodiorem uſum Parochorum, omniúm-
que Sacerdotum, tam Sæcularium, quàm Reli-
gioſorum Curam habentium.

diverſis Ritualibus & probatiſſimis Authoribus
locupletior & correctior redditus

à

GELASIO DI CILIA,

AN. REG. ORD. S. AUGUSTINI, ET DE-
CANO AD SS. ANDREAM ET MAGNUM
PÆDEPONTI,
vulgò
Stadt am Hof.

EDITIO SEPTIMA.

Sumptibus Egidii Gaſtl, Bibliop. Pædeponti,
vulgò
Stadt am Hof.

Ratisbon. Typis Joan. Bapt. Lang, Aul.
& Epiſc. Typogr. 1750.

Digitized by Google

39-4-C-11


CENSURA.

LIbrum ſic intitulatum THESAURUS BENEDICTIONUM *ab Admodùm Reverendo, Eximio ac Doctiſſimo Domino* **GELASIO** *di* **CILIA**, *Canonico Regulari ad SS. Andream & Magnum, Ordinis S. Auguſtini*, ſummo labore ac induſtriâ congeſtum legi & relegi, quem pro ſpeciali totius Cleri utilitate & commoditate digniſſimum cenſeo, qui ſub prelo ſudet.

Ex Commiſſione Reverendiſſimi Conſiſtorii.

P. BARTHOLOMÆUS LANGIUS,
Minorita Conventualis p. t. Guardianus Ratisb. SS. Theologiæ Doctor.

Digitized by Google



THESAURUS BENEDICTIONUM

CAPUT PRIMUM.

Benedictiones certis diebus Feſtis Per Annum in Eccleſia fieri ſolitæ.

I.

Benedictio Salis & Aquæ, diebus Dominicis per annum facienda.

Exorciſmus Salis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.
Semper in omnibus benedictionibus ſic eſt dicendum.

Oremus.

EXorcizo te, creatura ſalis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat à loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia, & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus im-

mundus adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Am.

Oremus.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti, bene✝dicere, & ſancti✝ficare tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis: & quidquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Exorciſmus Aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine DEI ✝ Patris omnipotentis, & in nomine JEſu Chriſti ✝, filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritûs ✝ ſancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas, cum angelis ſuis apoſtaticis per virtutem ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Oremus.

DEUS, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ Bene✝dictionis infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morbósque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit,

careat

careat omnî immunditiâ, liberetur à noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aut corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugia; ut ſalubritas per invocationem ſanctitui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hic mittat ſalem in aquam in modum Crucis dicens:

Commixtio ſalis & aquæ pariter fiat in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Oremus.

DEUS invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis Imperii rex ac ſemper magnificus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus: ut hanc creaturam ſalis, & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicunque fuerit aſperſa per invocationem ſancti nominis tui, omnis, infeſtatio immundi ſpiritûs abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritûs nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. in unitate ejusdem.

Sacerdos aquâ benedictâ aſpergit ſe & circumſtantes dicens:

Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. *Pſalm.*

Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. ℣.Gloria Patri &c. *Repetitur Aſperges me. Paſchali tempore: Vidi aquam ùt in Miſſali.*

2.

Benedictio Panis in magnis Feſtis.

Sacerdos ante Miſſam indutus paramentis Miſſæ exceptâ planetâ, cum cruce & aquâ benedictâ procedit ad locum, ubi Panem benedicturus eſt, & dicit:

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.

℣. Dominus vobiſcum &c. ℟. Et cum Spir.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

In illo tempore: Subiit in montem JEſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Cum ſublevâſſet ergo oculos JEſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas Frater Simonis Petri: Eſt puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergò JEſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergò viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergò JEſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus, quantum volebant.

Digitized by Google

ſt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colgite, quæ ſuperaverunt, fragmenta, ne pereant. ollegerunt ergò, & impleverunt duodecim cohinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaeis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverant. Illi rgo homines cum vidiſſent, quod fecerat JEſus gnum, dicebant: quia hic eſt verè Propheta, qui enturus eſt in mundum.

℞. Laus tibi Chriſte.

Antiph. De quinque Panibus, & duobus piſcibus ıtiavit Dominus quinque millia hominum.

℣. Diſperſit, dedit pauperibus.

℞. Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

℣. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.

℞. In die mala liberabit eum Dominus.

℣. Nunquid panem poterit dare.

℞. Aut parare menſam in deſerto.

℣. Pluit illis manna in deſerto.

℞. Et panem de cœlo dedit eis.

℣. Panem Angelorum manducavit homo.

℞. Miſit eis cibaria in abundantia.

℣. Domine exaudi &c.

℞. Et clamor &c.

℣. Dominus vobiſcum.

℞. Et cum Spir.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, panis Angelorum, panis vivus vitæ æternæ, bene✠dicere dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes ex eo dignè guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate &c.

Digitized by Google

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hunc panem tua ſancta bene✠dictione, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamentum. Per Dominum noſtrum filium tuum Panem vitæ, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam, & ſalutem mundo: & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

NB. Brevitatis causâ poteſt poſt Adjutorium, omiſſo Evangelico, & Benedictio inchoari ab Ant. de quinque panibus.

3.

Benedictio & Thurificatio Domorum in Vigilia Nativitatis Domini noſtri JEſu Chriſti.

1. *Poſt veſperas ſacerdos indutus ſuperpelliceo & ſtola albi coloris ex Eccleſia modeſtè procedis ad domum, & ingrediens illam dicit:*

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

2. *Tum aſpergit aſtantes demeſticos aquâ benedictâ in modum Crucis dicens:* Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

3. *Deinde in principali vel alio commodo domûs loco ponit incenſum in thuribulum, & illud benedicens dicit:* Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis, Amen. *Et mox incipiens dicit:*

Antiph. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & manè videbitis gloriam ejus.

Miſe-

Digitized by Google

[Iſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.
:t ſecundùm multitudinem miſerationum tuan, dele iniquitatem meam.
\mpliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato o munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & :catum meum contra me eſt ſemper.
Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſti:ris in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in :catis concepit me Mater mea.
Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.
Aſperges me hyſſopo & mundabor: lavabis :, & ſuper nivem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & ultabunt oſſa humiliata.
Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes quitates meas dele.
Cor mundum crea in me DEUS: & ſpiritum ctum innova in viſceribus meis.
Ne projicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum ım ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu incipali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te conrtentur.
Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis :æ: & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.
Domine labia mea aperies; & os meum anıntiabit laudem tuam.

Digitized by Google

Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper Altare tuum vitulos.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut erat in princ. &c.

MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt; & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut

ut erat in princ. &c.

Antiphon. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis Gloriam ejus.

Dominus vobiſcum.

Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere: da quæſumus: ut cujus myſteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

4.

Benedictio Salis & aquæ, in die Sancti Stephani Protomartyris.

In Feſto S. Stephani Protomartyris manè hora competenti præparatis in cornu Epiſtolæ ſale & aqua benedicendis, Sacerdos indutus ſuperpelliceo, item ſtola & pluviali violaceo, facta Altari reverentia, genuflectit ante medium Altaris, & dicit Litanias, quæ alias dicuntur in Sabbatho Sancto.

Finitis Litaniis, Sacerdos accedit ad cornu Epiſtolæ Altaris, ubi abſolutè incipit:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde ſtatim incipit exorciſmum ſalis.

Exorciſmus Salis.

EXorcizo te, creatura ſalis, in omine DEI Patris † omnipotentis: & in Charitate Domini

noſtri

noſtri JE✝ſu Chriſti, & in virtute Spiritûs † ſancti. Exorcizo te per Deum ✝ vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, qui ad tutelam humani generis te procreavit, & populo venienti ad credulitatem, per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum, ad effugandum inimicum, quam tu ſanctificando ſancti✝fices, benedicendo bene✝dicas: fiátque omnibus ſumentibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde ſubjungit Exorciſmum Aquæ.

Exorcizo te creatura Aquæ, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum † totius ſæculi creatorem: ut mundam te exhibeas contra omnem morbum, & inſidias inimici; ut ubicunque fueris aſperſa, ſit Deo propitio defenſa domus ipſa: & ſicut defenſæ fuerunt domus Hebræorum per ſignum ſanguinis, ſic defendantur, Domine, domus famulorum famularúmque tuarum. In ipſius nomine exorcizo te, qui verbo ſuo fontes emanare præcepit. In ipſius nomine te exorcizo, quem Joann. baptizavit in te, ut te mundam & aptam ad benedicendum exhibeas, ut & omnis ſpiritus erroris, & omnes phantaſiæ dæmonum per tuam aſperſionem effugentur & ſeparentur, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

(Cantando junctis manibus.)

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter deprecamur, ut opem nobis mittere digneris, & ſacerdotali officio da virtutem ad hanc creaturam ſalis & aquæ benedicendam: quam tu Domine, de ſummo Majeſtatis tuæ throno reſpicere, & per manus potentiæ tuæ benedicere dignare: ut quisquis ex ea guſtaverit, nunquam moriatur, ſed in æternum te ſapiat, de te roboretur, de te ſanitatem recipiat atque ad æterna dona per tuam gratiam pervenire mereatur. Per Chriſtum, Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Et ſtatim in peculiari vaſe mittat ſalem in aquam, n modum Crucis ſine cantu, dicens: Hæc commixio ſalis & aquæ per virtutem individuæ Trinitatis : ſignum ſanctæ Cru✠cis ſalutifera efficiatur ad ſaitatem animæ & corporis. ℟. Amen.

Oremus.

(Cantando junctis manibus.)

)Mnipotens ſempiterne DEUS, qui aquæ vividæ creaturam, nobis à te conditam, miraiter diſtinxiſti, ut liquorem ſimpliciter ad lavaım, ſalſam ſoliditatem præberes ad condimenn, quatenus & ſordita poſſent ablui, & fatua ɔui; quo & noxia tollerentur, & originalis er corrigeretur ad viam ſalutis: te officii noſtri ctione (quamvis immeriti) deprecamur, ut : ſalis & aquæ in nomine tuo facta permixtio, nentiæ tuæ dono ſancti✠ficetur: nec ullo cono reddatur immundum, quod tua fieri credimus

mus Majeſtate beatum: ſed ita per te plenum præbeat ſanctificationis effectum, ut, ubicunque invocato tuo nomine manu fuerit miſſa, vel quolibet modo aſſumpta, exploſis manibus, expulſisque inſidiis contrariæ poteſtatis, non ſolùm diabolica machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, ſed etiam Sanctorum Angelorum cuſtodia ſemper inibi manſura conſiſtat: præſtante Deo, qui cum unigenito Filio tuo, & Spiritu ſancto vivis & regnas.

Mox cantat more in Benedictionibus conſueto, extenſis ante pectus manibus, præfationem ſequentem.

℣. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS: cui ſuper Cherubim & Seraphim ſublimi Throno ſedenti omnis profunditas abyſſi & maria, terræque latitudo perſpicua eſt: Deus, cujus æternis legibus omnis creatura concluditur: Deus, cujus voluntati quidquid reſiſtit, infirmum eſt; & quidquid ſævit inimicus, & immundus ſpiritus tuis ſermonibus ſanctis evictum eſt: Deus, qui malignorum ſpirituum deſtruis vires, & adverſantia eorum tentamenta per famulos tuos potentes extinguis. Te, Domine, ſupplices exoramus, ut ad defenſionem noſtram placatus aſpicias: & hujus ſalis & aquæ creaturam gratiâ tuæ benedi-

nedictonis ſanctifices: & neceſſariis purificationibus facias efficacem: ut quidquid fuerit liquore ejus aſperſum; ab omni immunditia ſpirituum immundorum vacuum fiat, & liberum: nihil ibi peſtilentiâ moribundum, nihil ullo errore inquietum: omne illic dæmonium, omnis adverſaria poteſtas per hujus ſalis & aquæ aſperſionem deprecatione tuæ invocationis procul pellatur: nec ullas ibi diaboli miniſtrorúmque ejus inſidias nocere, vel latere permittas, ubi de tuo auxilio præſumitur, & virtus tui nominis invocatur.

Quod ſequitur, dicit planè legendo, ita tamen, ut à circumſtantibus audiri poſſit. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

(Cantando junctis manibus.)

SAncte Domine, Creator omnium creaturarum, & totius naturæ artifex, & unus Magiſter gignentium, origo nationum, utilitáſque virtutum, cujus prudentia in hac quoque natura liquentes aquas cœleſti igne ſolidavit, ut hæc creatura humanis uſibus admixta condiret, & in longiorem uſum incorrupta ſervaret: da ei, Domine, exorantibus nobis, eam ex tua benedictione ſubſtantiam, ut, cujuscunque viſcera penetraverit, effugiat ex his, atque expellat, quidquid erroris, confuſionis, malignitatis, ac fraudis diabolicæ, tentationis, malignitas infuderit; omni hoſtis noſtri infeſtatione depulſa: ut in homine tantùm, quod à te factum eſt, relinquatur. Per Domi-

minum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Deinde converſus ad ſalem & aquam ſine cantu dicit:

Benedictio Dei Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, & maneat ſemper.

℟. Amen.

Imponit incenſum in thuribulum, benedicens more ſolito:

Ab illo benedicatis, &c.

Poſteà ter incenſat in modum unius Crucis.

Denique ex aqua, in peculiari vaſe ſale permixta fiat aſperſio ſalis & hominum circumſtantium.

5.

Benedictio vini in die ſancti Stephani Proto-Martyris.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum &c.

Pſalmus 66.

Deus miſeratur noſtri, & benedicat nobis &c.

Benedictio.

BEnedico te, creatura vini, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti. Et per virtutem Do-

Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis à mortuis, ut ſanctificata Verbo Dei ✠ benedictionem aſſumas, omnéſque invaletudines & infirmitates membrorum noſtrorum repellas, & quicunque ex te ſumpſerint, & guſtaverint, ſis eis in tutelam mentis & corporis. In honorem Domini noſtri JEſu Chriſti, & per interceſſionem Protomartyris divi Stephani, qui primò fudit ſanguinem ſuum pro nomine ejuſdem, & Catholicæ fidei, conſtantiſſiméque perſeveravit in finem uſque. Sic una tota Trinitas perſeverare faciat nos nunc & ſemper, per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

Aſpergatur Aquâ benedictâ dicendo:

Benedictio Dei Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper hanc creaturam. ℟. Amen.

Deinde in propinando vinum in calice, dicit:

Bibe fortitudinem ſancti Stephani in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Amen.

6.

Benedictio Avenæ, hordei &c. in Feſto ſancti Stephani.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit cœlum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui es Conditor & Creator cunctorum, qui univerſa ex nihilo creâſti: exaudi preces noſtras, ut hanc avenam

cunctaque ſemina, quæ populus attulit, bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, ut quodcunque animal ex ea guſtaverit, in tua benedictione ubique maneat, & per eam ſanitatem & fortitudinem cunctis temporibus adipiſci mereatur. Inſuper clementiam tuam ſuppliciter deprecamur, ut ubicunque ſeminata fuerint, ſive in hortis, ſive in campis, nec ærugo, nec rubigo, nec tinea, nec vermes nocturni, nec grando, nec aliqua tempeſtas, vel aura corrumpens eisdem tua benedictione protegente nocere valeant. Per Chriſtum Dominum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, creatura avenæ (hordei, ſiliginis, & aliarum frugum) quas populus Domini ad benedicendum in hac ſacra die attulit, in nomine DEI ✠ Patris, qui eſt ſine initio, & ſapientis ſanctiſſimi Fi✠lii, qui aſſumens carnis noſtræ formam, redemit nos de diabolica poteſtate, & in nomine Bonitatis Spiritûs ✠ ſancti Paraclyti, qui virtute ſua totius mundi machinam gubernat. Item exorcizo te univerſum ſemen quodcunque apportatum eſt ad benedictionem, in nomine SS. Trinitatis unius, ad cujus imperium cuncta ſunt creata & creantur omnia præſentia, præterita & futura, ut ſit ſemen exorcizatum & conſecratum ad utilitatem humani generis, ut ex eo ſeminantes multiplicem fructum percipere mereantur; inſuper animalia ſua ex eo paſcentes. Quæcunque ex hac avena, vel univerſo ſemine quodcunque in hac conſecratione fuerit, guſtaverint, periculum quodcunque per circulum anni non ſen-

ſentiant ſibi nociturum, adjutorio Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

DEus, qui temporibus Eliæ Prophetæ cælum à nubibus reſtringendo clauſiſti, & rurſum aperiendo te mirabilem oſtendiſti: exaudi preces plebis tuæ per Unigenitum tuum, quem ſubſtantialem & coæqualem tibi in Divinitate credimus, & per Spiritum ſanctum Paraclytum, quem ab utroque procedere confidemur, & per merita beatiſſimi Protomartyris Stephani, cujus hodie Feſtum colimus, ut bene✝dicas, & ſancti✝fices hanc avenam, hordeum, ſiliginem, & quæ ſint præterea, ut quæcunque animalia ex eis guſtaverint, adjutorium ſanitatis & incolumitatis recipiant, per te Domine ſancte Pater, qui cum Filio & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Et Benedictio Dei Pa✝tris omnipotentis, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti deſcendat ſuper hanc avenam (hordeum, ſiliginem) & reliqua *ſi præterea ſint ſemina*, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

7.

Benedictio Vini in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

Adjutorium &c. Dominus vobiſcum &c.

℣. Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum &c. ùt infra.

Digitized by Google

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ: propter nomen ſuum.

Nam, etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paráſti in conſpectu meo menſam: adverſus eos, qui tribulant me.

Impinguáſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri &c.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac fideles tuos.

℟. Deus meus, ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine turris furtitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.

℟. Beatus vir, qui ſperat in eo.

℣. Et ſi mortiferum quid biberint.

℟. Non eis nocebit.

℣. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DEus & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, cujus imperio cœli firmati ſunt, cui omnis creatura deſervit, & omnis poteſtas ſubjecta eſt, & metuit, & expaveſcit; nos te in auxilium noſtrum invocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit, draco fugit, vipera ſilet, & ſubdola illa quæ dicitur rana, inquieta torpeſcit, ſcorpio extinguitur, regulus vincitur, ſqualangus nihil noxium operatur, & omnia venenata & adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu, Domine, extingue omnes diabolicas fraudes, & omnes humano generi adverſantes nequitias, & hunc liquorem vini, per interceſſionem S. Joannis Evangeliſtæ, tuâ virtute bene†dicito; & omnes ex eo guſtantes, meritis & precibus ſanctiſſimæ Dei Genetricis Mariæ & omnium SS. tuorum intervenientibus, ab omni malo cuſtodias, & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum &c.

Oremus.

DEus, qui mirabili potentiâ vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis, qui mirabili potentiâ in Cana Galilææ ad potandum, nuptiali populo aquam convertiſti in vinum; quique mirabiliſſimâ Potentiâ per manus ſacerdotum, elementum vini quotidie in ſacratiſſimum tuum transformas ſanguinem; Deus, cujus poteſtate Joannes Evangeliſta venoſi potûs digeſſit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo guſtantes expulſo toto genere nocivo, infuſo tuæ bene†dictionis miſterio, in anima & corpore merea-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

mereantur miſericorditer exhilarari. Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

BEati Joannis Evangeliſtæ, quæſumus Domine, ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia æterna concede. Per Dominum noſtrum &c.

Et Benedictio DEI Pa✝tris omnipotentis, & Fi✝lii, & Spirituûs ✝ ſancti deſcendat ſuper hunc liquorem vini & maneat ſemper. Reſp. Amen.

Aſpergatur.

Deinde ſacerdos tradens populo ad bibendum dicat:

Bibe amorem S. Joannis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.

8.

Benedictio & thurificatio domorum in Profeſto Circumciſionis D. N. JEſu Chriſti.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, alleluja *Pſ.* 50. Miſerere mei &c.

Magnificat. &c. Ut ſuprà in Vigilia Nitivitatis, fol. 9. & 10.

Quibus finitis ſubjungitur.

Antiph. Ecce Maria &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spirit. &c.

Oremus.

DEus, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præſti-

ſtitiſti, tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.
℟. Amen.

9.

Benedictio & thurificatio domorum in Vigilia Epiphaniæ Domini.

Antiph. Apertis theſauris ſuis obtulerunt Magi Domino aurum, thus & myrrham, alleluja.
Pſalmus. Miſerere &c.
Magnificat &c. ut ſuprà.
Antiphona. Apertis theſauris &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEus, qui hodierna die unigenitum tuum gentibus, ſtellâ duce, revelâſti: concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eundem ChriſtumDominum noſtrum. ℟. Amen.
℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen.

10.

Benedictio Cretæ.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine Deus creaturam iſtam Cretæ, ut ſit ſalutaris humanó generi, & præſta per invocationem nominis tui ſanctiſſimi, ut, quicunque ex ea ſumpſerint, vel eâ in domûs ſuæ portis ſcripſerint nomina ſanctorum tuorum Caſpari, Melchioris, & Balthaſari, per eorum interceſſionem & merita corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Aſpergatur.

II.

Benedictio Aquæ in Vigilia Epiphaniæ, vel trium Regum.

MIræ virtutis contra diabolum & omnes tam naturales quam innaturales infirmitates atque præſtigia à ſancto Chryſoſtomo Homil. de Bapt. Chriſti commendata, ut inter alios meminit Gretſerus S. J. l. 2. Benedict. Cap. 10. ideo conveniens foret, ut fieret etiam in Dominicis quatuor temporum, quibus plebs curat ſalem benedici, vel alio quocunque die.

℣. Hodie cœli aperti ſunt: & mare dulce factum eſt; terra exultat, montes & colles lætantur, * quia à Joanne in Jordane Chriſtus baptizatus eſt.
℟. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti: & tu Jordanis; quia converſus es retrorſum! Quia

Finito Reſponſorio dicatur.

Antiphon. Vox Domini ſuper aquas alleluja: Deus Majeſtatis intonuit: Allel.

Pſal-

Pſalmus 28.

AFferte Domino Filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem: Afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, Vox Domini concutientis deſertum: Et commovebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa: & in Templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Iterum reſumitur Antiph. Vox Domini.

Antiphon. In Eccleſiis benedicite Dominum, alleluja, de fontibus Iſrael, alleluja.

Pſalmus 67.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis: ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu ejus, turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus, cùm egrederis in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cæli diſtillaverunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.

Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parâſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domûs dividere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons

Digitized by Google

Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sina, in Sancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum; verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus: ex Baſan convertam, convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in ſanguine; lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei; Regis mei, qui eſt in ſancto.

Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael.

Ibi Benjamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu.

Principis Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A tem-

A templo tuo in Jeruſalem, tibi offerent reges munera,

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento.

Diſſipa Gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo: pſallite Domino. Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli, ad Orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ. Benedictus Deus.

Iterum reſumitur Antiph. in Eccleſiis.

Antiphon. Ipſe liberavit me; alleluja, de laqueo venantium: alleluja.

Pſalmus 90.

QUi habitat in adjutorio altiſſimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: ſuſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante

Digitized by Google

ſante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Iterum reſumitur Antiph.. Ipſe liberavit &c.

Quibûs finitis ſacerdos ſic dicit: Exaudi nos Domine, *deinde ſequitur:* quoniam benigna eſt miſericordia tua: & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ.

℟. Uſque ad animam meam.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

℟. Si-

℟. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Exaudi nos Domine.

℟. Quoniam benigna eſt miſericordia tua: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.

Litaniæ de omnibus Sanctis, ut in fine, in quibus poſt verba: ut nobis indulgeas: *addatur:*

Ut hanc aquam benedicere ✝ digneris, te rogamus, audi nos.

Ut hanc aquam benedicere ✝, & ſancti✝ficare digneris, te rogamus &c.

Ut hanc aquam bene✝dicere, & ſancti✝ficare & conſe✝crare digneris, te rogamus &c.

Finitis Litaniis ſacerdos, qui facit officium, dicat: Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos nos fac, Domine Deus noſter.

℟. Et congrega nos venationibus.

℣. Ut confiteamur nomini ſancto tuo.

℟. Et gloriemur in laude tua.

℣. Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo.

℟. Et uſque in ſæculum, fiat, fiat.

Sufflat in aqnam tribus; ſic dicendo:

Exſufflo te omnis legio ſatanæ in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti.

Exorciſmus.

Exorcizo te creatura aquæ: in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti, ne te communices ulli ſpiritui immundo, ſed dabis honorem viventi, atque regnanti Patri, & Filio, & Spi-

piritui ſancto: ubicunque aſperſa fueris, ſpiritus nmundus ab eo loco recedat. Itaque adjuro te reatura aquæ, in nomine JEſu Chriſti Nazareni ilii Dei vivi, regis, & judicis noſtri: ut ſis puratio, & ſanctificatio hominum, quos Deus ad uam ſanctam gratiam vocare dignatus eſt. Te rgò invoco, Domine ſancte, Pater omnipotens, ıterne Deus, ut hanc aquam exorcizare, & bene✠dicere pro tua pietate digneris: ut omnis immundus ſpiritus locum in ea ultra non habeat, vel poteſtatem: ſed ubicunque aſperſa fuerit, Angelorum tuorum ibi deſcendat exercitus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Deinde dicat:

Lectio libri Numeri.

IN diebus illis convenerunt filii Iſrael adverſum Moyſen, & Aaron: & verſi in ſeditionem, dixerunt: da nobis aquam ut bibamus, ingreſſúsque Moyſes & Aaron, dimiſſa multitudine, ante tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaverúntque ad Dominum, atque dixerunt: exaudi clamorem hujus populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum: & apparuit gloria Domini ſuper eos.

Sequitur Tractus.

Ultimo Feſtivitatis die dicebat JEſus: qui in me credunt: flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum, Alleluja, Alleluja.

℣. Qui

Digitized by Google

℣. Qui ſitit, veniat ad me, & bibat: & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem &c. Alleluja.

℣. Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit: ſuper aquas multas. Alleluja. *Poſtea legat*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore, in noviſſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat JEſus & clamabat, dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Exorciſmus aquæ.

EXorcizo te, creatura aquæ, per Deum ✠ vivum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ ſanctum; per Deum ✠ totius creaturæ, ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque inſidias inimici, ac diabolicas poteſtates. Ut ubicunque aſperſa fueris, ſit, propitio Deo, defenſa domus ipſa, & ſicut defenſæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per ſignum ſanguinis Agni, ſic defendantur, Domine, domus Famulorum, Famularúmque tuarum, per aſperſionem hujus aquæ. In ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium maris eduxit. In ipſius nomine te exorcizo, qui ſuper te ſuis ſanctis pedibûs ambulavit. Et in ipſius nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit: ut omnis ſpiritus erroris & omnes phantaſiæ dæmonum, per te aſperſæ effugiant, & ſeparentur de eodem loco. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium

lium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Sequitur alius Exorciſmus:

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine DEI ✠ Pa✠tris omnipotentis: & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti: ut omnis immundus ſpiritus, vel incurſio ſatanæ ſeparentur à creatura aquæ. Proinde ergò efficere aqua exorcizata ad effugandum omne phantaſma inimici: & ipſum inimicum eradicare valeas, in nomine DEI Pa✠tris omnipotentis, qui cum eodem Filio ſuo, & Spiritu ſancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritûs ſancti, ut ubicunque aſperſa fuerit, longè recedat virtus inimicorum, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum, percuſſio fulminum, læſio tonitruorum, calamitas tempeſtatum, omnis denique ſpiritus procellarum, te ipſo benedicente, effugetur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ſuper ſalem.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ſuper hoc ſal, cui non minimam gratiam conferre dignatus es, ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam per tuum Filium, Dominum noſtrum procreari juſſiſti, per quem te Domine ſupplices exoramus: ut ſal iſtud ſancti✠ficare, & bene✠dicere, & conſe✠crare

Digitized by Google

pro tua pietate digneris: ut ex vultu divinæ Majeſtatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos ſpiritus poſſit accipere. Expellat de tabernaculis famulorum, famularúmque tuarum, quidquid poteſt peſtiferum eſſe, & exhibeat plenum ſalutis effectum. Deterreat præſtigia, phantaſmataque compeſcat, per ſignum ſanctæ Cru✠cis Filii tui Domini noſtri, & tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet, per hoc tuum Domine JESU Chriſte ſignaculum, quod nullius dolus, nullius pertinacia deſignavit.

Alia Benedictio Salis.

Benedico te creatura ſalis in nomine Pa✠tris & Fi✠lii & Spiritûs ✠ ſancti, qui te ad tutelam humani generis procreavit: & populo venienti ad credulitatem per ſervos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine DEUS noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum: ſitque perfecta medicina in viſceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Oratio ſuper ſal legenda.

Intuere Domine hanc creaturam ſalis, quam uſibus humani generis tribuiſti, & petimus omnipotens æterne DEUS per ſignum Cru✠cis unigenti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti: ut, ubicunque aſperſa fuerit aqua, hoc ſale commixta, ſit efficax ad evacuandam omnem adverſariam poteſtatem inimici. Conſummet & arefaciat, nihilque ibi remaneat immundum, nihil peſtiferum: ſed ad invocationem nominis

tu

tui, ſit nobis mundum ac benedictum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Exorciſmus.

Exorcizo te creatura ſalis, per DEUM † vivum, per DEUM † verum, per DEUM † ſanctum, per DEUM totius creatorem: per eum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ. Qui per Apoſtolum Paulum dicere dignatus eſt: ſit cor veſtrum ſale conditum. Ideóque efficere ſal ad exorcizandum, ad evacuandum, & expellendum inimicum, omnémque virtutem & putredinem ejus, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos &c.

Oremus.

Dominus & Salvator noſter JEſus, antequam ad cœlos aſcenderet, Apoſtolis ſuis mandavit, dicens: Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. *Hic ponat ſal in aquam dicens:* Hæc commixtio ſalis & aquæ pariter fiat in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti: & in virtute Domini noſtri JEſu Chriſti; cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Exorciſmus.

Exorcizo te creatura ſalis & aquæ in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, exorcizo te per DEUM vivum, exorcizo te per Crucifixum, exorcizo te per Spiritum ſanctum. Per eum te exorcizo, qui per Eliſæum Prophetam ſal in aquam mitti juſſit, dicens: hæc dicit Dominus: ſanabitur aqua iſta, & non erit in ea

 mors

mors, neque ſterilitas. Per ipſius nomen te adjuro, qui divina voce oris ſui Apoſtolis ſuis locutus eſt dicens: vos eſtis ſal terræ: & cor veſtrum ſit ſale conditum. Ut omnes, qui ex te ſumpſerint, ſint ſanctificati in animabus & corporibus. Ut ubicunque aſperſa fueris, effuges inimicum, & præſtes omnibus remiſſionem peccatorum, expellas inſidias, & excludas omnes dæmonum tentationes. Te autem Conditor, & reſtaurator omnium elementorum tuorum, qui hæc fluenta tuo nomine ſanctificata, ad purgationem locorum proficere juſſiſti, deprecor, ut Nominis tui invocata Majeſtate gratiam Spiritûs ſancti hæc aqua accipiat, valeatque ad expellendas diabolicas artes, per manus ſervorum tuorum aſperſa, & per ſanctificationem, quam tu Domine ſanctificando ſanctificas, & benedicendo benedicis. Ut omnis immundus ſpiritus aſperſione hujus aquæ repulſus & confuſus diſcedat, & omnis incurſus ſathanæ, & omne phantaſma, omniſque immunditia, & putredo inimicorum longè recedat, nec conſiſtendi, aut reſiſtendi habeat poteſtatem, nec in eodem loco ſtandi, aut commorandi, ſed victus & deſtructus abſcedat diabolus cum omni pompa ſua, per virtutem & gloriam Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Sequitur.

Exorcizo te, creatura aquæ, ſale conſperſa per DEUM vivum, per DEUM totius creaturæ, qui te in principio ſeparavit ab arida, & in quatuor

Digitized by Google

tuor flumina dividere dignatus eſt, ut ubicunque portata, vel aſperſa fueris, effugetur, & ſeparetur inimicus, & omnis putredo ejus: ut ſit ipſa domus DEO dicata, per virtutem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos &c.

Item ſuper aquam.

Te autem, creatura aquæ, adjuro per DEUM vivum, per DEUM verum, per DEUM ſanctum: per eum te adjuro, qui te in principio ſeparavit ab arida: adjuro te per DEUM vivum, qui te de fonte paradiſi manare fecit, *hic dividat aquam in quatuor partes*, & in quatuor fluminibus exire juſſit, & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galilæa ſuâ potentiâ convertit in vinum; qui ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit; qui tibi nomen impoſuit Syloe. Adjuro te per eum, qui in te Naaman Syrum à ſua lepra per manum Eliſæi Prophetæ mundavit, *hic tangat aquam, dicens*: Aqua ſan✠cta atque benedicta, Aqua lavans ſordes, & mundans peccata, *hic extrahat manum.* Adjuro te per DEUM vivum, ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantaſiam in te retineas, ſed efficiaris exorcizata, ad effugandum inimicum, & omnes actus fulguris, ut ubicunque aſperſa fueris, ſive in domo, ſive in vineis, ſive in ſeminatis campis ſive in fructibus, ſive in angulis cubiculorum, ſive in navibus, ſive in puteis, vel ſiquis ex te guſtaverit, fias ei defenſio, & remedium ſanitatis, ipſe quoque diabolus elongetur, & ſeparetur, quantum elongatum eſt cælum à terra, lux à tene-

nebris, veritas à mendacio, juſtitia ab injuſtitia, dulce ab amaro, tantum elongetur, & ſeparetur ille immundus ſpiritus ab habitationibus famulorum, famularúmque DEI, per nomen Domini noſtri JEſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spirit. &c.
℣. Surſum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro.
℟. Dignum & juſtum eſt.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Deus cœli & terræ, cujus virtuti ſubdita univerſa, cujus verbô creata ſunt omnia, ſupermitte, quæſumus, virtutem Spiritûs ſancti tui ſuper hanc creaturam, ut fiat aqua ſanctificata in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Te igitur, omnipotens DEUS, altiſſima ſalus, & reſpector perpetuus, humiliter rogamus, & petimus, ut nos exaudias, & miſerearis precibus noſtris, quatenus ubicunque hæc aqua aſperſa fuerit, fiat, te jubente, cauſa purificationis, habeat quoque perpetuam gratiam ipſa domus, fidem rectam, gaudium verum, honorem perpetuum, ut omnes malevoli, & invidi ſpiritus ab ea expellantur, & ſeparentur per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Iterúmque te alloquor, aqua, quæ lucis ſimilitudinem habes, tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum tu ſub terra, tu ſuper terram, ſuper te invoco

no-

Digitized by Google

omen ſanctum, atque mirabile DEI omnipotentis, qui te ſuâ potentiâ convertit in vinum, iſpendit ſuper cœlos, congregavit in terra, mi-:uit in mari, qui te arcanis & velocibus ventis luere præcepit, & ad uſum hominum lavarum dedit, & ſitientibus potum ſubminiſtravit, per aquam etiam ſpiritus Domini non ſolùm erebatur, ſed etiam fertur. Adjuro ergò te, reatura aquæ, per ſeptiformem ſpiritum DEI ivi. Adjuro te per novem ordines Angelorum. Adjuro te per vocem tonitrui coruſcationis tremendi cœleſtis Regis. Adjuro te per lignum myſterii, de quo aqua percuſſa ſtatim dulcis facta eſt. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meæ, ſed expellas omnem umbram, omnes ſatellites adverſariorum, omnes machinationes diaboli, ſive ſpirituum immundorum, ſive damnatorum, ſive errantium ſive ex invocatione magicæ artis, ſive præcantatorum argumenta, ſive draconum, & omnium volucrum, vel viperarum; quia imperat tibi Dominus JEſus Chriſtus, Filius DEI vivi, quòd mox, ut aſperſa fueris in nomine DEI Sabaoth, ſive in hominibus, ſive in domibus, ſive in vineis, ſive pecoribus, vel quibuslibet animantibus, ſive in ſeminatis campis, ſive in qualicunque creatura univerſali, quocunque loco aſperſa fueris, ſive ſuper infirmum, vel languentem, ſive in potum data fueris homini invaletudine detento, aut maligni ſpiritûs infeſtatione percuſſo, mox expellas & excludas omne malignum, ut poſſit homo velociùs ſalvus fieri per virtutem D. N. JESU Chriſti, qui neque dici, neque

 ſcri-

ſcribi, neque combinari poteſt, cui nomen eſt DEUS. Tu autem Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar oſtendiſti, & ex eo Iſmaël ſitientem potâſti, qui pueri tui Abrahæ in Meſopotamia preces exaudiſti, & omnia deſideria cordis ejus implevisti, qui famulo tuo Moyſi in deſerto eremi petram percutere, & ex ea aquam producere, & populum rigare juſſiſti. *Sequens verſus ter dicatur.*

Qui aquam amaram immiſſo ligno dulcoraſti.

Antiph. Baptizatur Chriſtus, & ſanctificatur omnis mundus, & tribuit nobis remiſſionem peccatorum, aquâ & ſpiritu omnes purificamur.

Antiph. Baptizat miles Regem, ſervus Dominum ſuum, Joannes ſalvatorem, aqua Jordanis ſtupuit, columba proteſtatur, paterna vox audita eſt: Hic eſt filius meus.

Sacerdos dicat hanc orationem.

Benedicere & ſanctificare digneris hanc creaturam aquæ in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ubicunque aſperſa fuerit in nomine tuo, omnes jaculationes ſævas inimici expellat. Illud etiam rogamus & petimus, Deus omnipotens, ut ſicut ad domum Raguelis ſanctum Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es, ut Aſmodæum dæmonem alligaret: ſimile quoque beneficium domibus noſtris donare digneris: ubicunque hæc unda aſperſa fuerit, nunquam malignus ſpiritus in eadem domo conſiſtendi, vel commorandi habet poteſtatem, ſed confuſus protinus & deſtructus abſcedat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem Maje-

ſta-

ſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates, cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth &c.

Exorcizo te, ſpiritus immunde, per DEUM vivum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: ut omnes virtutes adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus, & omnia phantaſmata inimici eradicentur, & effugiant ab hac creatura ſalis & aquæ, ut ſit ſancta & ſalutifera, & ignis ardens adversus omnes inſidias inimici. Ut ubicunque portata, vel aſperſa fuerit hæc creatura ſalis & aquæ, ſit ſanitas, ſinceritas, & corporis medicina, ut effugiat omnis infirmitas, fulgura quoque & grandines ab aſperſione hujus aquæ ſeparentur, & effugiant & elongentur. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Oremus.

Vere ſanctus, vere benedictus, terribilis, metuendus, & adorandus es, Domine Deus noſter: ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis: ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orare docuit dicens: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, &

dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Oratio.

Libera nos, quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris, libera nos, quæſumus, Domine, famulos & famulas tuas à gladio, à fame, à tentatione diaboli, à percuſſione ſæculi, & ab infirmitatibus malis, per liberatorem & Redemptorem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus; Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, exorcizantem me iſtam creaturam ſalis, & aquæ, precor te, ut me exaudire digneris in nomine Domini noſtri JESU Chriſti Nazareni, Filii DEI vivi, regis, & judicis noſtri, ut ſit purgatio & purificatio omnibus hominibus, atque in eis, in quibus aſperſa fuerit, habeat poteſtatem ad effugandos immundos & phantaſmaticos ſpiritus, & omnem nefarium diabolum, atque omnes figuras & minas ſathanæ. Concedatur etiam ei poteſtas ad exterminandum fulgura, & grandines, & omnes adverſitates humanæ naturæ, ut non poſſit immundus ſpiritus nocere iis locis, in quibus aſperſa fuerit, ſed confuſus & deſtructus abſcedat. Per virtutem Domini noſtri JESU Chriſti Regis noſtri, qui cum Deo Patre vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Adju-

Digitized by Google

Adjuro te, creatura ſalis & aquæ, in nomine Pa†tris, & Fi†lii & Spiritûs † ſancti. Adjuro te in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, qui ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradiſi produxit. Adjuro te per eum, qui Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: ite, Baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti. Per ipſius nomen te adjuro, ut ubicunq; aſperſa fueris, omne phantaſma de domo ipſa, & omnis incurſio diaboli eradicetur & effugiat: Per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum totius Creaturæ †, ut neque hominibus, neque domiciliis, neque navibus, neque pecoribus, neque frugibus, neque arboribus noceat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Oratio.

DEUS, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & Elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene†dictionis infunde: ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morbóſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat,

giat, atque diſcedat: ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus impugnationibus ſit defenſa. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Benedictio.

Benedictio Dei Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ.

℟. Amen.

Subitò ſacerdos incipiat: Credo in unum Deum. *Quo finito aſpergat populum aquâ, & dicat Antiph.* Aſperges me cum Gloria Patri.

Quibus finitis recitet Evangelium.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Factum eſt autem, cùm baptizaretur omnis populus, & JEſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe JEſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, Filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahat, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Selathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit

Digitized by Google

fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Natham, qui fuit David, qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Regau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. JEſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane.

Quo finito incipiat Te Deum laudamus: Te Dominum confitemur *& totum dicatur. Deinde dicat:*

℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

12. Be-

12.

Benedictio Auri, Thuris & Myrrhæ in feſto trium Regum contra maleficia.

Adjutorium noſtrum &c. Domine exaudi &c.

Antiphona.

Apertis theſauris ſuis, obtulerunt Magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham.

Pſalmus 66.

Deus miſeratur noſtri &c. ex Laud. diei Dominicæ.

Repetitur Antiphona. Apertîs theſauris &c.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Oſtende, nobis, Domine, miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, te humiliter deprecamur, ut has creaturas, auri, thuris, & myrrhæ, hodierna die à tribus Regibus tibi tanquam ſummo Regi, & Deo vero, & homini vero oblatas bene✝dicere conſe✝crare, & ſancti✝ficare digneris, & eis donum tuæ benedictionis infundas, & quicunque eas geſtaverit, vel iisdem fumigatus fuerit, ab omni periculo animæ & corporis ſalvus ſemper exiſtat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui nobis ſacerdotibus non noſtris meritis, ſed ſola dignatione clementiæ tuæ præ cæteris gratiam contuliſti, ut quidquid à nobis in tuo nomine digne & perfecte agitur, à te fieri credatur, Adeſto, quæſumus, noſtræ officio ſervitutis, & bene✝dicere, ac ſancti✝ficare digneris has creaturas auri, thuris, & myrrhæ, quas in nomine ſancto gloriæ tuæ bene✝dicere confidimus. Qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu ſancto Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DEUS Dominator, Dominus magnus & excelſus, fortis & terribilis, qui es, qui eras, & qui venturus es, qui ante luciferum genitus in Dei Patris ſinu in æternum triumphans, de Virgine Matre naſci, & in ſinu ejus immaculato, tanquam throno requieſcens à tribus Magis adorari, & muneribus, auro, thure, & myrrha honorari dignatus es, ut ſuperbum hujus mundi principem cum omni ſuo exercitu, qui arroganter in cœlis te venerari & adorare renuit, foras ejiceres, eúmque catena magna ligares, ne nobis pretioſo ſanguine tuo redemptis nocere valeat, ſupplices Clementiam tuam rogamus, ut hæc myſtica munera, tibi Filio DEI oblata, ita bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris, ut per merita & interceſſionem ſanctiſſimæ Genitricis tuæ Virginis Mariæ, & ſanctorum trium Regum Caſpari, Melchioris, & Balthaſari ea ſint nobis contra omnes inſidias inimicorum noſtrorum tuta-

men

men fortiſſimum; aurum ſit omnibus dæmonibus catena ignea, vinculum indiſſolubile, ſtrictiſſimus compes & ſagitta potentis acuta; Thus redolens, ſi eis odor formidabilis, crucians, & expellens. Myrrha verò ſit memoria inſuavis, amara & tremenda, augénsque pœnas eorum absque termino, per virtutem ✠ ſanctæ trium Regum adorationis. Per JEſum ✠ Chriſtum DEI Verbum ✠ Deique ✠ Genitum, qui cum DEO Patre & Spiritu ſancto ✠ vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Benedictio.

BEnedico ✠ itaque in titulum omnipotentiæ, & ſpem ſalutis fidelium utentium his creaturis, auri, thuris, & myrrhæ, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ ſancti: & ſicut beatos tres Magos, Caſpar, Balthaſar & Melchior, eas offerentes ad myſteria tua cognoſcenda illuminare, & ad te devotè adorandum accedere, atque ab inſidiis & periculis cuſtodire dignatus es: ita fideles tuos in tua miſericordia ſperantes, qui eisdem creaturis tuis, auro, thure, & myrrha in tuo nomine uſi fuerint, lumine tuo illuſtrare, amore tuo inflammare, & à cunctis adverſitatibus, & ab omnibus inſidiis & nocumentis diabolicis præſervare, & liberare digneris. Qui cum eodem DEO Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergantur.

13.

Benedictio Panis in Feſto S. Blaſii Epiſcopi & Martyris.

Poteſt fieri intra miſſam, ante verba (per quem hæc Domine, bona creas) vel extra miſſam.

℣. Adjutorium, &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Oro pro nobis beate Blaſi. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Dominus vobiſcum, ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

SAlvator mundi DEus, Domine JEſu Chriſte, qui hodiernum diem beatiſſimi Blaſii Martyrio conſecrâſti, & diverſas creaturas ad ſalutem hominum crâſti, quique ex quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiâſti, ac populum judaicum in deſerto miraculosè paviſti; ineffabilem miſericordiam tuam ſuppliciter exoramus, & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devotè hodie ad ſanctificandum attulit, tua pietate bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris, ut qui ex eis comederint vel guſtaverint, ab omni gutturis plaga, & totius corporis infirmitate meritis interceſſione B. Blaſii Martyris tui plenam recipiant ſanitatem: nos ſervos tuos ab omni corporis ægritudine ſanos conſerves. Qui vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Poſtea aſpergatur.*

16.

Benedictio Candelarum in eodem Feſto S. Blaſii contra morbum gutturis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens & mitiſſime Deus, qui omnium mundi, rerum diverſitates ſolo verbo creâſti, & ad hominum reformationem illud idem verbum, per quod facta ſunt omnia, incarnari voluiſti: qui magnus es, & immenſus, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia: pro cujus fidei defenſione glorioſus Martyr & Pontifex Blaſius diverſorum tormentorum genera non paveſcens martyrii palmam feliciter eſt adeptus. Cui inter cæteras gratias hanc prærogativam contuliſti, ut quoſcunque gutturis morbos tua virtute curaret: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut non intuitu noſtri reatûs, ſed ejus placatus meritis & præcibus, hanc creaturam ceræ bene✠dicere & ſancti✠ficare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendô, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, à quocunque gutturis morbo ipſius paſſionis meritis liberentur, & in Eccleſia ſancta tua ſani & hilares tibi gratiarum referant actiones:, & laudent nomen tuum glorioſum, quod eſt benedictum in ſæcula. Per eundem Dominum &c.

Aſpergat eas aquâ benedictâ, & iisdem decuſſatim junctis tangens ſingulorum colla dicat:

Per interceſſionem ſancti Blaſii Epiſcopi & Martyris liberet & præſervet te Dominus à malo gutturis in nomine Patris &.

15. Be-

15.

Benedictio vini in Feſto S. Blaſii. vel alterius Sancti.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte omnipotens, ſempiterne Deus, qui vinum, quod lætificat cor hominis, in Sacrificio Miſſæ offerri die Cœnæ præcepiſti, & in Cana Galilæa ex aqua vinum feciſti: Tu, qui es vitis vera, meritis ſancti tui Martyris & Epiſcopi Blaſii (vel S. N.) multiplica ſuper nos ſervos tuos miſericordiam, quemadmodum feciſti cum patribus noſtris, in tua ineffabili miſericordia ſperantibus pietatem, bene✠dicere ac ſancti✠ficare dignare hanc creaturam vini, quam ad ſervorum tuorum uſum, & ſubſidium tribuiſti, ut ubicunque fuerit fuſum, vel à quibuslibet potatum, divinæ bene✠dictionis & ſancti✠ficationis tuæ repleantur dulcedine, cum gratiarum actione, & in eorum viſceribus ſanctificetur, per te, Salvator mundi JEſu Chriſte, qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

℟. Amen. *Aſpergatur aquâ benedictâ.*

16.

In Feſto S. Agathæ Benedictio panis, fructuum, aquæ, vini, candelarum &c. contra ignes.

Pſalmus 60.

DEus miſereatur noſtri &c. Kyrie eleyſ. &c. Pater noſter &c.

Digitized by Google

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Sit nomen Domini benedictum &c.

℣. Ora pro nobis, beata Agatha. ℟. Ut digni efficiamur præſervari à periculis ignium.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oratio.

Domine JEſu Chriſte, Fili DEI vivi, qui es panis vivus, qui de cœlo deſcendiſti, bene✝dic, & ſanctifica ✝ hos panes (fructus, cereos, aquam, vinum, oleum) & cætera hic poſita in honorem beatæ Agathæ virginis & martyris tuæ deportata: & concede per interceſſionem ejusdem virginis & martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem miſſa vel poſita fuerint, illico ignis evaneſcat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti per interceſſionem beatæ Agathæ virginis & martyris tuæ deſcendat, & maneat ſuper hos panes, & ſuper omnes ex eis guſtantes, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ. Poſtea Sacerdos dicat: Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium tuum, &c.

17.

Benedictio ſchedularum in eodem Feſto S. Agathæ.

Prius ſcribantur ſuper parvas ſchedulas ſequentia verba:

Men-

Mentem ſanctam ✝, ſpontaneam ✝, honorem Deo ✝, & Patriæ liberationem.

Ignis à læſura protege nos Agatha pia.

Quæ ſchedulæ ſic ſcriptæ benedicantur hoc modo:

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui meritis beatæ Agathæ virginis & martyris tuæ apparitione Angelica tabulam marmoream hoc verſiculo inſcriptam (mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem) ad caput ejusdem virginis & martyris tuæ poſuiſti, quam populus paganus contra irrumpentem ignem adhibuit, eúmque fugavit, & illæſus permanſit: dignare per tuam clementiam & gratiam bene✝dicere & ſancti✝ficare has, eodem verſiculo inſignitas ſchedulas: & concede propitius, ut populus tuus fidelis precibus & interceſſione ejusdem virginis & martyris tuæ Agathæ fugere poſſit, & fugere nocumentum omne, & periculum non ſolùm ignis temporalis, ſed etiam ignis æternalis. Et in quocunque loco affixæ fuerint hæ benedictæ, & ſigno ſanctæ crucis ✝ tuæ inſignitæ ſchedulæ, eundem ab omni incendio præſervent: ubi verò in noxiam flammam injectæ fuerint, ibidem per altiſſimam potentiam tuam, & per merita ſanctiſſimæ Aga-

Digitized by Google

thæ ſponſæ tuæ flammam omnem diſſipent, noxiúmque incendium prorſus diſperdant per Dominum &c.

Antiphon. Paganorum multitudo fugiens ad ſepulchrum virginis, tulerunt velum ejus contra ignem, ut comprobaret Dominus, quòd à periculis incendii meritis B. Agathæ Martyris ſuæ eos liberaret.

℣. Ora pro nobis Beata Agatha.

℟. Ut digni efficiamur præſervari à periculis ignium.

Oremus.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti, conceda propitius, ut qui B. Agathæ V. & M. tuæ natalitia colimus, ejus meritis & precibus à periculis ignium, & à gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris & Fi✝lii & Spiritûs ✝ ſancti, & interceſſio B. Agathæ V. & Martyris deſcendat ſuper has ſchedulas, & maneat ſemper. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, & incenſentur.

Hæ ſchedulæ ſuper liminaria affigantur, & tempore incendii alligatæ lapidi bona fide in ignem projiciantur.

18.

Benedictio Panis in Cœna Domini.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Sit nomen Domini &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Panis vive, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam æternam, bene✝dicere dignare panes iſtos, ut omnes ex eo guſtantes, corporis, & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis &c.

Lectio libri Levitici c. 23.

IN diebus illis dixit Dominus ad Moyſen: menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt: & quinta decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt: ſeptem diebus azyma comedetis, Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctúsque, omne opus ſervile non facietis in eo, ſed offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus. Dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior, nullúmque opus ſervile facietis in eo. Et libamenta offerentur in eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini odoremque ſuaviſſimum. Panem & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete uſque ad diem, quâ offeretis ex eo Deo veſtro. ℟. Deo gratias.

℟. Dixerunt: nunquid poterit DEUS parare menſam in deſerto? nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? & mandavit nubibus deſuper, & januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo: cibaria miſit illis in abundantia.

Et manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis: deſiderium eorum attulit eis.

℣. Dominus vobiſcum.

Digitized by Google

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore: cùm facta eſſet hora, diſcubuit JEſus, & duodecim Apoſtoli cum eo: & ait illis: deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

℟. Laus tibi Chriſte.

Exorciſmus.

EXorcizo te creatura panis per eum, qui benedixit quinque panes in deſerto, & dedit manna patribus noſtris in eremo, omne delectamentum in ſe habens, & omnem ſaporem ſuavitatis; ut ſis fortitudo & ſanitas, & purificatio omnium ex te ſumentibus: ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnémque nefariam vim diaboli. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Filii Dei vivi, qui hodierna die panem non ſolùm benedixiſti,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam in verum corpus tuum convertiſti: hos panes, quos famuli tui in memoriam ſacratiſſimæ cœnæ tuæ benedicendos attulerunt, tuâ omnipotentiâ bene✝dicere, & ſancti✝ficare, atque eis tantam virtutem infundere digneris, ut quicunque ex eis cum devotione ſumpſerint, corporis & animæ ſanitatem percipiant, à tenationibus diaboli liberentur, atque in bono tua virtute ſtabiliantur. Qui vivis &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✝dicere digneris hos panes tua ſancta ſpirituali benedictione ✝; ùt ſint omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat. &c.

Aſpergatur Aquâ benedictâ, & incenſet.

19.

Ordo ponendi SS. Corpus Domini in Sepulchrum.

FEria ſexta Paraſceves, facta communione, ardentibus adhuc candelis in Choro, pro reverentia Hoſtiæ in calice relictæ, celebrans ſtans, imponit incenſum in thuribulum abſque benedictione; incenſat ter venerabile Sacramentum genufiexus: ordinatur lugubris proceſſio; præcedit crux; quam immediatè ſequitur clerus luminaria ferens, ultimo loco ſacerdos, caſulâ nigrâ indutus calicem coopertum velo albo manibus geſtans; choro inte-

interim cantante ſequens Reſponſorium; thurificante continuò thuriferario; adhibito quoque malleo ligneo, cymbali loco.

Hymnus.

VExilla Regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ.
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret ſordibus,
Manavit unda & ſanguine,

Impleta ſunt, quæ concinit.
David fideli carmine;
Dicendo nationibus:
Regnavit à ligno Deus.

Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta menbra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit ſæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam tartari.

O Crux! ave, ſpes unica,
Hoc paſſionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.

Te, fons ſalutis Trinitas,
Collaudet omnis ſpiritus:
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

In-

Interim reverenter ponitur calix cum Hoſtia in loco Corporali mundo ſtrato: quo facto ter, ùt anteà, incenſato Sacramento, à cantoribus, vel ipſomet ſacerdote, canitur ſequens Reſponſorium:

Tenebræ factæ ſunt, dum crucifixiſſent JEſum Judæi: & circa horam nonam exclamavit JEſus voce magna: Deus meus, ut quid me dereliquiſti? Et inclinato capite emiſit ſpiritum. ℣. Exclamans JEſus voce magna ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et inclinato capite emiſit ſpiritum.

Quo finitò, dicit ſacerdos:

℣. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.

Oremus.

Reſpice, quæſumus Domine, ſuper hanc Familiam tuam; pro qua Dominus noſter JEſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum &c.

Dicitur hac die ſub ſilentio:

Cùm in Eccleſiis ruralibus, aliiſque in locis, ubi fidi cuſtodes, & devotè pſallentes, non reperiuntur; rectè faciet ſacerdos, ſi corpus Dominicum poſt finem divini officii tum in ſuum locum vel Reſervatorium ſolitum reportaverit, illícque concluſum tutò aſſervaverit.

Ordo recipiendi SS. Chriſti Corpus è Sepulchro in ſancta nocte Paſchæ.

Nocte ſancta Paſchæ, hora congrua, ſacerdos, indutus alba, ſeu ſuperpelliceo, ſtola & pluviali albi coloris, & duo miniſtri, aut plures (ſi haberi poſſint) cum debitis paramentis, præcedente Thuriferario cum incenſo & thuribulo fumigante, ſequentibus juxta crucem

Digitized by Google

cem duobus Ceroferariis cum candelis accenſis, veniunt ordine ad ſepulchrum, pro deferendo proceſſionaliter ſanctiſſimo Sacramento. Coram quo facta aliquantiſper, cum genuflectione, ſub ſilentio oratione, ſuas ſinguli candelas accendunt. Sacerdos ſurgens ac ſtans imponit incenſum in thuribulum abſque benedictione. Deinde genuflexus thurificat venerabile Sacramentum triplici ductu; illúdque proceſſionali ritu, præcedentibus aliis cum luminibus accenſis, & miniſtro continuè thurificante, cymbaliſque perſonantibus, reverenter deportat ex ſepulchro ad Altare majus, vel aliud, ubi ordinariè aſſervari conſuevit: interim Choro inchoante, & in tono feſtivo, interpoſito etiam, ubi fieri poteſt, organo, cantante ſequentem Hymnum.

Hymnus.

Aurora cœlum purpurat,
Æther reſultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit;
Rex ille dum fortiſſimus.
De mortis inferno ſpecu
Patrum ſenatum liberum
Educit ad vitæ jubar.
Cujus ſepulchrum plurimo
Cuſtode ſignabat lapis
Victor triumphat & ſuo
Mortem ſepulchro funerat.
Sat funeri, ſat lachrimis,
Sat eſt datum doloribus:
Surrexit extinctor necis,
Clamat coruſcans Angelus.
Ut ſis perenne mentibus

Paſcha-

Paſchale JEſu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſæcula, Amen.

Itaque ſacerdos, cum pervenerit ad altare antè dictum, & poſuerit ibidem venerabile Sacramentum, facit profundam genuflexionem; ſtánsque iterum imponit incenſum absque benedictione & venerabile Sacramentum triplici ductu, genuflexus, incenſat. Paſtea canitur à miniſtris, vel ipſo ſacerdote, ipſis deficientibus;
℣. Surrexit Dominus de ſepulchro, Alleluja.
℟. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluja.

Oremus.

DEUS, qui hanc ſacratiſſimam Noctem gloria Dominicæ Reſurrectionis illuſtras: conſerva, in nova familiæ tuæ progenie, adoptionis ſpiritum, quem dediſti: ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant ſervitutem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et factâ venerabili Sacramento profunda reverentia, accepto ſuper humeros velo oblongo albo, quo in proceſſione uſus fuit, ad altare aſcendit; venerabile Sacramentum reverenter accipit; & ſtans, cum eodem populo in modum crucis benedicit, nihil dicens: illúdque in tabernaculo, absque ulteriore incenſatione, recondit & cum ſuis ad ſacriſtiam vel chorum redit; in majoribus Eccleſiis inchoabitur Matutinum: in minoribus cantari poterit cantio Paſchalis.

20.
Benedictio Domorum in Sabbatho. S. Paſchatis.

Sacerdos ingrediens domum dicit : Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aſpergens loca præcipua domûs, & eos, qui habitant in ea, dicit :

Antiph. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro. Alleluja. Et omnes, ad quos pervenit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Pſalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Gloria Patri &c.

Repetitur Antiphon. Vidi aquam &c. *deinde dicit*
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Alleluja.
℟. Et ſalutare tuum da nobis. Allel.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & ſicut domus Hebræorum in exitu de Egypto agni ſanguine linitas, quod Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, figurabat, ab angelo percutiente cuſtodiſti; ita mittere digneris ſanctum Angelum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eandem Chriſtum &c.

21. Be-

Digitized by Google

21.
Benedictio Agni Paſchalis, ſeu Carnis in Paſchate.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

DEus, qui per famulum tuum Moyſen in liberatione populi tui de Ægypto Agnum occidi juſſiſti in ſiimilitudinem Domini noſti JESU Chriſti, & utroſque poſtes domorum de ſanguine hujus agni perungi præcepiſti: ita bene✝dicere & ſanctifi✝care digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

22.
Alia Benedictio Carnium.

℣. Adjutorium noſtrum, &c. ℟. Qui fecit, &c.
℣. Domine exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.
℣. Dominus vobcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, fili Dei vivi, qui es verus immaculatus Agnus, quique immaculatus in ara crucis oblatus, peccata mundi deléſti, & nos in tuum ovile reportâſti: has carnes, quas ad uſus hominum creâſti, bene✝dicere, & ſancti-fi✝care

Digitized by Google

fi✝care digneris, ut omnes ex eis ſumentes tua bene✝dictione repleti, corporis & animæ ſanitatem, te annuente, ſemper accepiſſe lætentur, Salvator mundi, Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DEus univerſæ creator carnis, qui Noë & filiis ejus, de mundis tantùm animalibus ſumere, & agnum Paſchalem olim in figuram JEſu Chriſti, (qui verus eſt agnus) manducare præcepiſti; dignare, quæſumus, Domine Deus, has carnes ovium, vel (hœdorum, vel agnorum, vel boum, vel avium &c.&c.) bene✝dicere & ſancti✝ficare, ut quicunque de tuis fidelibus ex eis comederint, omni benedictione cæleſti, & tua perenni gratia repleti ſatientur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur.

23.

Benedictio ovorum in Paſchate.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi. &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

SUbveniat, quæſumus, Domine, tuæ bene✝dictionis gratia huic ovorum creaturæ, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es, ut cibus ſalubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiarum actione ſumentibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur Aquâ benedictâ.

24. Be-

Digitized by Google

24.

Benedictio Caſei confecti ex lacte & ovis in Paſchate.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor &c.

Oremus.

Dignare quæſumus, omnipotens Deus bene✝dicere, & ſancti✝ficare creaturam hujus caſei, quam ex ovis & lacte animalium producere dignatus es: & concede propitius, ut quicunque ex eo comederint, vel guſtaverint, omni benedictione cœleſti & gratia repleantur in bonis. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

25.

Benedictio Panis, ſeu ciborum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte, panis Angelorum, panis vivus & æternæ vitæ, bene✝dicere dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto: ut omnes ex eo dignè guſtantes inde corporis & animæ deſiderabilem percipiant ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur.

26.

Alia Benedictio Panis.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens, æterne DEUS, bene✝dicere digneris hunc panem, tua ſpirituali

bene✝dictione, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, Panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſanctiDEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur Aquâ benedictâ.

27.

Benedictio ad quodcunque comeſtibile, *mutatis mutandis.*

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi. &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

BEne✝dic, Domine, creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per invocationem ſancti nominis tui, ut quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum &c.

Aſpergantur omnia.

28.

Benedictio ſementis ac ſegetum in agris Poſt Paſcha circa Feſtum S. Marci Evangeliſtæ.

SAcerdos ſuperpelliceô & ſtolâ indutus, cum miniſtris, Cruce, & cereis ad agros procedens canit vel recitat Litanias omnium Sanctorum, in fine poſt Kyrie eleyſon. Pater noſter ſecretò. Et ne nos inducas &c.

℣. Do-

Digitized by Google

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

Pietatem tuam, quæſumus, omnipotens DEUS, ut has primitias frugum, quas aëris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, bene✝dictionis tuæ imbre perfundas, tribuens populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, & à ſterilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, ut egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ: per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, arbiter throni, qui molem terræ ex nihilo pendentem gubernas, & ad victum humani generis, corporíſque ſuſtentationem, agros operibus excolere juſſiſti: miſericordiam tuam ſupplices exoramus: ut quidquid in hos agros ſalubris ſeminis ſatum atque plantatum eſt, oculis tuæ clementiæ reſpicias, aëris temperiem moderari digneris, ut reſecato atque abſorpto omnium tribulorum, ſpinarúmque ſqualore ac diabolicæ fraudis incurſu, fruges iſtas efficias fœcundas, & ad maturitatem perfectam pervenire concedas, & conſervare digneris, ut nos famuli tui uberem donorum tuorum fructum, cum gratiarum actione percipientes debitas & acceptas nomini tuo laudes referre mereamur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Te, Domine, petimus, & rogamus, ut hos frugum, ac ſeminum frumenti, ſiliginis, hor-

dei, avenæ & aliorum, cujuscunque generis fructus, tuis oculis ſerenis, hilariquе vultu reſpicere digneris: ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Ægypti dicens: dic filius Iſrael, cum ingreſſi fuerint in terram promiſſionis, quam eis daturus ſum, ut primitias frugum offerant ſacerdotibus: & erunt benedictæ fruges: ita & nos oramus Te, Domine, ut auxilium gratiæ tuæ ſuper nos, & hos fructus ad bene✠dictionem proferendam concedas, ut non grando ſurripiat, non turbo ſubvertat, nec vis tempeſtatis detruncet, nec aëris æſtus exurat, non inundatio pluvialis exterminet, non beſtia mala, & noxia ulla depaſcat vel deſtruat, ſed incolumes & ſuperabundantes pro uſu tuorum fidelium ad pleniſſimam maturitatem perducere digneris. Per Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, mitte Spiritum ſanctum, cum Angelis & Archangelis tuis & cum omnibus Sanctis & electis tuis, ut defendant & cuſtodiant has ſegetes noſtras à vermibus, aliisque malis beſtiis, ab omni maligno incurſu, ac vaſtatione, ut magnificetur Nomen tuum, DEUS, in omni loco. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Tum ſacerdos circumeundo agrum vel partem ejus aſpergit aquâ benedictâ, & poſtea cum cruce, vel aliquâ, S. Reliquiâ, dicat:

Et Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii & Spiritûs ✝ ſancti deſcendat ſuper nos & has fruges, & maneat ſemper. ℟. Amen.

29.

Benedictio herbarum comeſtibilium primo die Maji vel alio tempore.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, qui dixiſti: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum: dignare has herbas, quas ipſemet creâſti, & in uſum hominum è terra germinare feciſti; ore tuo proprio & dexterâ tuâ ſanctâ bene✝dicere, & omnibus inde ſumentibus ad corporis & animæ medelam utiles efficere propter nomen ſanctum tuum magnum & glorificatum in cœlo & in terra, imple dexteram tuam larga benedictione, & effunde eam ſuper has diverſi generis herbas, quas & ego ſacerdos tuus in nomine ſancto tuo & ad gloriam laudis tuæ exorcizo ✝, bene✝dico, & ſancti✝fico, ut quicunque de iis ſumpſerit, vel ſuper iis biberit, vel ex his fumigatus fuerit, vel in domo ſua collocaverit, per omnipotentiam tuam & glorioſam Reſurrectionem & Aſcenſionem Filii tui D. N. JESU Chriſti, elongetur ab eo omne malum, omne periculum, omne phantaſma, & omne opus diaboli. Idcirco per te Deum omnipotentem, qui das herbam

ſervituti hominum, has creaturas herbarum virtute ordinis ſacerdotalis bene✝dico, & ſancti✝fico ad fugandos dæmones, ad deſtruendum omne maleficium, ad diſſipandam omnem tempeſtatem, ad avertendum omne tonitru, & ad annihilandum omne opus nefarium ſatanæ à corporibus hominum. Et quocunque ſumptæ fuerint, ibi diſpereat omnis fraus inimici: & ibidem per virtutem nominis JESU atque B. M. V. omniúmque Sanctorum, quorum nomina ſuper has verbas invoco, ſit omnis bene✝dictio divina, omniſque deſiderata ſanitas atque proſperitas, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

30.

Benedictio herbarum in Feſto Aſſumptionis B. M. Virginis.

Sacerdos ante Miſſam indutus Albâ & Stolâ hoc die benedicit herbas ante ſe, in aliqua menſa, poſitas cum ſigno crucis, dicens:

℣. Adjutorium, &c. ℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, condidiſti cœlum & terram, ſolem & lunam, ſtellas & omnia cœleſtia & terreſtria, Tu, Domine, dominaris poteſtati maris, tu habes poteſtatem abyſſi magnæ, tu condidiſti omnia elemen-

Digitized by Google

menta; bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris has creaturas herbarum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiâſti quinque millia hominum virorum; omnésque, qui utentur ex eis, bene✝dicere & ſancti✝ficare dignare, ut ſis eis ſanitas animæ & corporis in Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti: & ab omnibus hominibus, pecoribúsque, qui ex his guſtaverint, omnem putredinem, & omne phantaſma diaboli amovere, & omnem morbum, & peſtilentiam, ac dolorem expellere digneris. Qui in trinitate perfecta vivis & regnas Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſuppliciter atque ſubmiſſis precibus tuam clememtiam deprecamur: qui mirabiliter cuncta ex nihilo creâſti, qui terram diverſa proferre germina præcepiſti, & varia medicamentorum genera ad ſananda generis humani corpora herbis indidiſti: bene✝dicere & ſancti✝ficare has diverſi generis herbas tua pietate digneris: ut quicunque ex eis in hac ſolemnitate venerabilis ac ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ ſumpturi ſunt, tam animæ, quàm corporis ſanitatem recipiant: & intercedente eâdem beata Maria ſemper virgine, ſic earum virtute jucundentur ſalubriter, quatenus in tuorum unguentorum odore Paradiſi januas adire mereantur, præſtante Domino Deo noſtro JESU Chriſto, qui tecum vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio.

DEUS, qui univerſis generibus herbarum humanis neceſſitatibus præſtitit remedia: hanc herbarum collectionem tuæ miſerationis bene✠dic dexterâ: ut quisquis languore depreſſus ex eis aliquid guſtaverit, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentatus, optatæ munus ſalutis te donante percipiat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Veneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſempiternam, in qua ſancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS: per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde thurificantur & aſpergantur.

31.
Benedictio ſeminum Dominica I. Septembris.

Afferat unusquisque agricolarum medium frumenti ſeminandi, quod ſacerdos ante Sacrum indutus Albâ benedicat hoc modo:

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

Pſalm. ex fer. 3. ad Veſp. In convertendo &c.

Lectio

Digitized by Google

Lectio libri Levitici c. 26.

In diebus illis dicit Dominus ad Moyſen : Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos : ſi in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, terra gignit germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem : & comeditis panem veſtrum in ſaturitate, & absque pavore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit, qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Reſpiciam vos, & creſcere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum. Comeditis vetuſtiſſima veterum, & vetera novis ſupervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea.

℟. Deo gratias.

℣. Mane ſemina ſemen tuum & veſpere ne ceſſet manus tua : quia neſcis, quid magis oriatur hoc aut illud : & utrumque ſimul, melius erit.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Marcum.

In illo tempore dixit JESUS diſcipulis ſuis : ſimile eſt regnum cœlorum, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm produ-

duxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis. ℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta ſint hæc ſemina bene✠dicta. ℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter rogamus ac petimus, ut hos fructus ſegetum ſerenis oculis hilarique vultu reſpicere, & tuâ dexterâ ſanctâ bene✠dicere digneris, Et ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in deſerto, dicens: Dic Filiis Iſrael, cùm ingreſſi fueritis terram promiſſionis, quam Ego dabo vobis, afferetis primitias frugum veſtrarum ſacerdotibus, & erunt benedictæ: ſic & nos rogamus Te, Domine, ut per auxilium miſericordiæ tuæ bene✠dictionem tuam ſuper hæc diverſi generis ſemina, quæ à fidelibus tuis nobis miniſttis tuis benedicenda ante conſpectum tuum, in templo ſancto tuo virtute bene✠dictionis tuæ germinent, creſcant, multiplicentur, & ad optatam maturitatem perveniant. Da, quæſumus, Domine, ut eadem grando non ſubruat, nec turbo ſubvertat, nec inundatio exterminet, nec mala beſtia conſumat: Sed propter miſericordiam tuam ad uſum noſtrum ſalva permaneant, & ad abundantem fertilitatem, pleniſſimamque maturitatem perveniant, Per Dominum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Fili DEI vivi, qui proprio ore tuo dicere dignatus es: Pater meus agri-

agricola eſt; atque temetipſum ſæpius homini ſeminatori comparare voluiſti: adeſto propitius precibus noſtris, & ſuper hæc diverſi generis ſemina, atque ſuper omnes alias ſegetes, quibus hæc commixta fuerint, nec non ſuper agros, ſuper quos hæc fuerint ſeminata, largam tuam bene✠dictionem infunde: atque ab eis omnem vim procellarum, omnéque nocumentum beſtiarum gratiâ tuæ defenſionis clementer averte, ut omnis fructus ex his ſeminibus natus tua bene✠dictione repleatur, & in horrea ſine damno & impedimento congregetur. Qui vivis &c.

BenedictioDei omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti deſcendat ſuper hæc ſemina, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergantur.

32.

Benidictio Panis S. Nicolai de Tolentino.

Primò dicatur Hymnus:

Te canunt omnes, Nicolae Gentes,
Te pii Patres ſimul, atque Matres
Voce te laudant pueri canora
Laude perenni.
Efferunt cæci, reſonántque muti,
Quos tuâ cunctos ope liberâſti,
Mira decantat tua facta claudi
Laude perenni.
Eruti per Te maris è periclis,
Quósque tu morbis variis gravatos
Mille ſanâſti, tua dona cuncti
Magna fatentur.

Quós-

Quósque vexatos pius expiâſti,
Dæmonum dira feritate, quósque
Conſequi rurſum veteris dediſti,
Lumina vitæ.

Dive, cœleſtisque habitator aulæ,
Divè, cui tantum tribuunt ſuperni
Poſſe, quem totum Dominator alti
Auxit olympi.

Laus Patri ſummo, Genitóque ſemper,
Quíque procedit Deus ex utroque
Spiritus ſanctus, Deus unus idem,
Laus tibi ſemper, Amen.

Lectio Libri Regum.

In diebus illis: Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: ſurge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te. Surrexit & abiit in Sarephta. Cúmque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna; & vocavit eam, dixítque ei. Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam. Cúmque illa pergeret, ut afferret; clamavit poſt tergum ejus, dicens; Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ reſpondit, vivit Dominus DEUS tuus; quia non habeo panem: niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & Filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti. Verumtamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer

ad me; tibi autem & Filio tuo facies poſtea. Hæc autem dicit Dominus DEUS Iſrael. Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, in qua daturus eſt Dominus pluviam ſuper faciem terræ. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ. Et comedit ipſe, & illa, & domus ejus. Et ex illa die, hydria farinæ non defecit, lecythus olei non eſt imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

℟. Deo gratias.

℣. Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panem: qui ſurgens comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, usque ad montem Dei.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: abiit JEſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis; & ſequebatur eum multitudo magna; quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Subiit ergò in montem JEſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Judæorum. Cùm ſublevâſſet ergo oculos JEſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ſuis, Andreas, frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, qui habeat quinque panes hordeaceos,

Digitized by Google

ceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? dicit ergo JEſus, facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multùm in loco. Diſcubuerunt ergò viri quaſi quinque millia. Accepit ergò JEſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus, quantùm volebant. Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: colligite, quæ ſuperaverunt, fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergò, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverunt. Illi ergò homines cùm vidiſſent, quod fecerat JEſus ſignum, dicebant: quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

℟. Laus tibi Chriſte.

℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Domine JESU Chriſte, qui benedixiſti quinque panes in deſerto: multiplica ſuper fideles tuos miſericordiam tuæ pietatis: quemadmodum feciſti cum Patribus noſtris in tua miſericordia ſperantibus: & bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris hanc creaturam panis, quem ad ſubſidium tuorum fidelium tribuiſti: quatenus à quocunque ſumptus fuerit, bene✠dictionis tuæ opulentiâ repleatur, & gratiarum actione, per te, in viſceribus ipſorum ſanctificetur. Per Chriſtum, &c.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus, qui per potentiam tuam panem iſtum in forma viſibili diſtribuiſti, & magnitudine largitatis

tuæ

tuæ humanis uſibus emanare de ſegete juſſiſti: te ſuppliciter exoramus, ut hanc panem, quem negligentia noſtra polluit, ſancti Spiritûs gratia ad munditiam revocet, & ſancti✠ficet, mundet, ac purificet, & turpitudo callidi hoſtis abſcedat, ac familiæ tuæ deinceps cum benedictione comeſtibilis tribuatur, & comedentium mundentur corda, & corpora ipſorum per tuam gratiam ſanctificentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Precamur, Domine DEUS, tuæ pietatis clementiam, ut panem iſtum, cœleſti bene✠dictione ſanctifices, & ita ex hoc fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum: ut quicunque ex eo comederit, totius virtutis & ſanitatis dulcedine perfruatur, & tibi ſanctificatori ac ſalvatori omnium gratias cum gaudio & lætítia agere mereamur, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

TE igitur ſuppliciter deprecamur, ut bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris hanc creaturam panis: ut quicunque ex eo guſtaverit, per interceſſionem dilecti famuli tui Nicolai de Tolentino conſequatur vitam æternam; & extingue ab omnibus digne ſumentibus, ſi quid veneni, ſi quid mortiferæ operationis fuerit, & clementer eos defende, Per Chriſtum, &c, Amen.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, cujus verbo cœli firmati ſunt, cui omnia ſubdita ſunt, cui omnis creatura deſervit, & poteſtas ſubjecta eſt, & expaveſcit, nos Te ad auxilium provocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit, draco fugit, ſilet vipera, & omnia venenata, etiam adhuc fortiora animalia reptantia noxia terrentur, & omnes adverſæ ſaluti humanæ radices areſcunt. Te ergò, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris hanc creaturam panis, ut quisquis ex eo comederit, per interceſſionem ſancti tui Nicolai de Tolentino vitam æternam conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur, & incenſetur. Poſtea fiat diſtributio & dicatur ſequens

Hymnus.

Laudibus ſummis celebramus omnes
Regis æterni memoranda dona,
Mentibus lætis modulemur ejus
Grandia facta.

Qui dedit quondam fidei coruſcans
Sydus ex altis, oriensque cœlis,
Sancta quem mundo peperit beatum
Monica Patrem,

Ex ſuo te nunc grege procreatum,
Multa poſt tandem revoluta ſæcla
Contulit dignum Nicolae nobis,
Ejus alumnum.

Cujus ingentes, memoréſque geſtas

Res

Res queat nemo ſatis explicare,
Cujus excelſas, celebréſque laudes
Nemo referre.
Dive, cœleſtíſque habitator aulæ.
Dive, qui tantis meritis optimis.
Vivis, & gaudens ſuper alta Cœli
Aſtra triumphas.
Laus Patri ſummo, Genitóque ſemper,
Quíque procedit Deus ex utroque
Spiritus ſanctus, Deus unus idem,
Laus tibi ſemper, Amen.

Antiphona.

Nicolaus verus Chriſti pauper, virgo, à Deo electus: obedientiam jugiter ſervans Eremitarum Ordinem ſignis & virtutibus decoravit.

℣. Ora pro nobis, beate Nicolae.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Si talis benedictio fiat ante Miſſam, vel in Quadrageſima, dicatur ſequens

Oratio.

COncede, quæſumus, omnipotens DEUS, ut Eccleſia tua, quæ beati Nicolai Confeſſoris tui virtutum & miraculorum gloriâ coruſcat, ejus interceſſione & meritis perpetua pace atque unitate lætetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Am.

Si autem poſt miſſam, dicatur

Oratio.

POpulum tuum, Domine, quæ ſumpſimus Sacramenta, cuſtodiant, ut qui beati Nicolai de Tolentino, Confeſſoris, jugiter implorant auxilium, petitionum ſuarum ſalutarem conſequantur

Digitized by Google

tur effectum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Cum maxima reverentia tenebitur hic panis in domo pro occurrentibus neceſſitatibus; quia ab Eugenio Papa laudata fuit hujusmodi benedictio, & approbata.

33.

Bedictio Panis

S. Erhardi Epiſcopi Ratisbonenſis à tempore obitûs ipſo in loco, ubi defunctus eſt, fieri ſolita, & ab ipſo profecta, die octavâ Januarii, Feſto ipſius.

Sacerdos ante miſſam indutus paramentis Miſſæ excepta planeta cum Cruce & aqua benedicta procedit ad locum, ubi panem benedicturus eſt, & dicit:

℣. Adjutorium noſtrum, in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spir. &c.
℣. Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore ſubiit in montem JESUS, & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis, cùm ſublevâſſet ergo oculos JESUS, & vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex Diſcipulis ejus, Andreas, frater

frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos? dicit ergo JEſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loca. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo JEſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus, quantùm volebant. Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperaverunt, fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverant. Illi ergo homines cum vidiſſent, quod fecerat JESUS, ſignum dicebant: quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

℟. Laus tibi Chriſte.

Antiph. De quinque panibus & duobus piſcibus ſatiavit Dominus quinque millia hominum.

℣. Diſperſit, dedit pauperibus. ℟. Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

℣. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.

℟. In die mala liberabit eum Dominus.

℣. Nunquid panem poterit dare. ℟. Aut parare menſam in deſerto.

℣. Pluit illis manna in deſerto. ℟. Et panem cœli dedit eis.

℣. Panem Angelorum manducavit homo.

℟. Miſit eis cibaria in abundantia.

℣. Domine exaudi &c.

℟. Et clamor. &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Digitized by Google

Oremus.

SAlvator mundi DEUS, Domine JESU Chriſte, qui hodiernum diem beatiſſimi Erhardi, Confeſſoris tui atque Pontificis, feſtivitate decorâſti, & diverſas creaturas ad ſalutem hominum creâſti. Quique ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia ſatiâſti, ac populum Judaicum in deſerto miraculosè paviſti, ineffabilem miſericordiam tuam ſuppliciter exoramus, & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devoté hodie ad ſanctificandum attulit, tuâ pietate benedicere † & ſanctificare † digneris, ut qui ex eis comederint, vel guſtaverint, & ab omni plaga, & totius corporis infirmitate meritis, & interceſſione ejusdem ſancti Erhardi, Confeſſoris tui atque Pontificis, plenam recipiant ſanitatem, & nos ſervos tuos ab omni corporis & animæ ægritudine ſanos conſervent. Qui vivis & regnas DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DEUS & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, cujus Imperio cœli firmati ſunt, cui omnis creatura deſervit, & omnis poteſtas ſubjecta eſt, & metuit, & expaveſcit; nos te in auxilium noſtrum invocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit, draco ſilet, morbi ceſſant, languores evaneſcunt, & pericula fugiunt, & omnia venenata, & adhuc fortiora animalia noxia terrentur; tu, Domine, extingue omnes diabolicas fraudes, & omnes adverſantes humano generi nequitias, & hos panes per interceſſionem S. Er-

Digitized by Google

S. Erhardi Confeſſoris tui, atque Pontificis tuâ virtute bene✝dicas, ut omnes ex eis piè utentes meritis & precibus B. Mariæ ſemper Virgin s & omnium Sanctorum tuorum intervenientibus ab imminentibus periculis cuſtodias, & ad regnum Gloriæ tuæ perducas, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogâſti, ſupplices te rogamus; ut ſine quibus non alitur humana conditio, interceſſione S. Pontificis, & Confeſſoris tui Erhardi noſtris facias uſibus non perire.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, benedicere digneris hos panes tuâ ſanctâ benedictione ✝, ut ſint omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamentum, per Dominum noſtrum, Filium tuum panem, vitæ, qui de cœlo deſcendit, & ad vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Hìc benedicat thus. Ab illo benedicaris ✝, in cujus honorem cremaberis. *Et thurificet panes trino ductu, deinde aſpergat illos aquâ benedictâ* in nomine Patris & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.

CAPUT SECUNDUM.

BENEDICTIONES ſpectantes ad res ſacras.

1.

Benedictio Crucis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Bene✝dic, quæſo, Domine, hanc crucem, per quam nos eripuiſti, & ſalvâſti à dæmonum poteſtate; ſancti✝fica ſignaculum iſtud Paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te auxilium perpetuum, in quocunque loco fuerit collocatum, nulla ſit habitatio dæmonum, ſed fugiant confuſi, elongentur ab ipſo loco, & habitantibus in eo, quantùm eſt cœlum à terra: & habitent Angeli ſancti fortiſſimi, locum, & habitatores protegant. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

2.

Alia Benedictio Crucis parvæ pro moribundis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

OMnipotens DEUS, qui crucis ſignum pretioſo Filii tui ſanguine decorâſti, quique per eandem crucem Filii tui, Domini noſtri JESU Chriſti, mundum redimere voluiſti, & per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus

ab

Digitized by Google

ab antiqui hoſtis chyrographo liberâſti: te ſuppliciter exoramus, ut digneris, hanc crucem paterna pietate benedicere †, cœleſtémque ei virtutem & gratiam impertiri: ut quicunque eam in paſſionis & crucis, unigeniti tui ſignum ad tutelam corporis & animæ ſuper ſe geſtaverit, cæleſtis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Si quis verò infirmus, aut moribundus eandem in manu ſua tenuerit, aut ſuper pectus ſuum impoſitam habuerit, ad eum non audeant appropinquare hoſtes maligni, nec ei tentationibus ſuis nocere, aut ſpectris ſuis pavorem immittere. Sed virtute hujus crucis benedictæ ab infeſtationibus dæmonum liberatus, JEſu Chriſto, Filio tuo, Redemptori ſuo, laudes, & gratiarum actiones perſolvat. Et quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixiſti, ita hoc ſignum crucis tuâ dextrâ benedic †, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defenſionis impende: ut portantibus illam animæ pariter ac corporis proſperitatem conferat ſalutarem, & ſpiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem &c.

Aſpergens Crucem dicat:

Sanctificetur hoc ſignum Crucis in nomine Pa†tris & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti: & benedictio illius ligni, in quo membra Salvatoris noſtri ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ſigno Crucis, ut portantes eam propter Deum inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum &c.

Digitized by Google

3.

Conjurationes, quando crux contra tempeſtates erigitur, à S. Carolo Borromæo introductæ.

BEne✝dic etiam, Domine, & ſancti✝fica illud ſignaculum Paſſionis tuæ ſacræ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus perpetuum perfice auxilium. Qui vivis & regnas.

Hic aſpergatur aqua benedicta dicendo:

SAnctificetur iſtud lignum in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ut orantes & inclinantes propter te, Domine, ante iſtam crucem inveniant ſanitatem corporis & animæ.

Bene✝dicat vos nubes DEUS Pater, Benedi✝cat vos nubes DEUS Filius, Bene✝dicat vos nubes DEUS Spiritus ſanctus.

PEr effuſum ſanguinem JESU Chriſti, per lignum crucis deſcendat, & liberet DEUS hos campos, & vineas à tempeſtatibus, & ſimul omnibus diabolicis inſidiis. JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Ecce crucem Domini ✝, fugite partes adverſæ ✝, vicit leo de tribu Juda, radix David Alleluja, Alleluja, Alleluja. Hoc ſignum ✝ erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit, fugite vos per hoc ſignum ſanctæ crucis in nomine Patris, extermino vos per crucem ✝ admirabile ſignum, in nomine Fi✝lii, diſſipo vos per crucem ſignum æternæ confuſionis veſtræ in nomine DEI Spiritûs ✝ ſancti. Diſperdo vos per crucem ✝, in qua fides noſtra conſiſtit in nomine Pa✝tris! deſtruo vos per crucem ✝ torcular,

quo

Digitized by Google

quo ſanguis Chriſti exprimitur in nomine Fi†lii; Annihilo vos per crucem † triumphum redemptionis noſtræ in nomine Spiritûs † ſancti. Conſumo vos Per crucem clavem Paradiſi in nomine Patris; deſtruo vos per crucem †, in qua pretium noſtrum pependit, in nomine Fi†lii; Dirumpo vos per crucem † morſum ſatanæ, & angelorum ejus in nomine Spiritûs † ſancti. Liquefacio vos per crucem † perpetuum ſcutum Chriſti amorem in nomine Pa†tris; Perſequor vos per crucem † fugatricem diabolorum in nomine Fi†lii: Reſolvo vos in aquam per crucem † maledictorum perditionem in nomine Spiritûs † ſancti, Amen.

Fugite inimici crucis Chriſti per Nativitatem, per paſſionem, mortem & reſurrectionem JESU Chriſti, diſſipentur, deſtruantur, annihilentur opera omnia diaboli his campis & vineis contraria.

Exorcizo vos, ventos favorabiles, & præcipio per eum, qui producit ventos de theſauris ſuis; per eum, qui fecit ventum, quaſi rorem flantem in medio fornacis ardentis, & liberavit Azariam & ſocios ejus & per eum, qui cùm aſcendiſſet naviculam, fecit ceſſare contrarium ventum, & facta eſt tranquillitas magna, ut diſpergatis, & auferatis nubes absque læſione horum camporum, & vinearum, & deportetis vos, ubi non aratur, nec ſeminatur, nec nomen DEI invocatur, in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti, Amen.

Aſpergantur omnia.

Digitized by Google

4.

Exorciſmus pro nova Cruce benedicenda, & pro loco, ubi figenda.

Benedictio loci.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DOmine DEus omnipotens, qui virgâ Moyſis præfigurâſti venerabilem & vivificam crucem dilecti Filii tui D. N. JEſu Chriſti. Benedic ✝ & ſancti✝fica locum iſtum virtute & efficacia venerandæ & vivificæ crucis ad avertendos dæmones, & omnia adverſa, cuſtodi etiam locum hunc, & animas omnium hic habitantium precibus & interceſſione glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ ſemper Virginis MARIÆ, quia benedictum & glorioſum eſt regnum tuum. Per eundem &c.

Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Juda, radix David.

℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, invoco nomen ſanctum tuum & clementiam tuam ſupplex expoſco, ut adverſus hunc & omnem immundum ſpiritum, qui vexat has præſentes, & circumjacentes partes mihi auxilium preſtare digneris. Per eundem &c.

EXorcizo te, immunde ſpiritus, omnis incurſio adverſarii, omne phantaſma, omnis legio,

Digitized by Google

gio, quocunque modo infeſtans in nomine Domini noſtri JESU Chriſti † eradicare, & effugare ab his partibus & creaturis DEI † ipſe tibi imperat, qui mari, ventis & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo, & time, ſatana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, excitator dolorum, qui ſtas & reſiſtis, cùm ſcias, Chriſtum Dominum vires tuas perdere. Illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in agno occiſus in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. Recede ergo in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, per hoc ſignum Cru†cis JESU Chriſti, Domini noſtri. Imperat enim tibi Deus Pater †, imperat tibi Deus † Filius, imperat tibi Deus † Spiritus ſanctus, imperat tibi Sacramentum Cru†cis, imperat tibi fides SS. † Apoſtolorum, imperat tibi continentia SS. † Confeſſorum, imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum † interceſſio, imperat tibi Chriſtianæ fidei † myſterium & virtus; diſcede ergo transgreſſor ab his omnibus, partibus, diſcede ſeductor plenè omni dolo & fallacia, virtutis inimice, innocentiæ perſecutor, cum omnibus tuis nocumentis, grandine, fulgere, maleficiis, da locum diriſſime, & inimiciſſime Chriſto Domino, in quo nihil inveniſti de operibus tuis, qui te ſpoliavit, & regnum tuum ſeclusit, qui te victum ligavit, & vota tua disrupit, qui te projecit in tenebras exterio-

riores, ubi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus per Chriſtum D. N. in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DEUS conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formâſti, reſpice ſuper hanc familiam tuam, loca, domos & rura ipſius, quæ dolis immundi ſpiritus appetuntur, quam vetus adverſarius & antiquus hoſtis terroribus conturbat, & damnis exagitat. Repelle, Domine, virtutem Diaboli, fallacéſque ejus inſidias amove: procul impius tentator aufugiat, da, Domine, ad hanc invocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, victus abſcedat, ut tibi hæc familia ſecura ſerviat, famuletur. Per Chriſtum &c.

Benedictio Crucis, *ad quam paranda ſunt, thus, thuribulum & aqua benedicta.*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine &c.

Oremus.

Benedic, Domine, hanc crucem tuam, per quam eripuiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſuperâſti Paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per vetiti ligni ſumptionem, qui cum DEO Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas, &c.

Oremus.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne DEUS, ut digneris bene✠dicere hoc

lignum

ignum crucis tuæ, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio ac tutela contra ſæva jacula inimicorum, per Dominum noſtrum &c.

Deinde dicitur extenſis manibus ante pectus

Præfatio.

Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.
Dominus vobiſcum &c.
Surſum corda, &c.
Gratias agamus Domino, &c.

Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, cujus ſanctum & terribile Nomen inter cæteras viſibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare & benedicere non ceſſant, qui in figuram unigenitæ ſapientiæ tuæ lignô vitæ à principio paradiſum voluptatis ornâſti, ut ejusdem fructûs ſacroſancto myſterio protoparentes noſtri generis mortem cavere, & vitam admoneres cuſtodire perpetuam, quique nos vetitæ arboris attactu juſtæ morti addictos ejusdem coæternæ tibi ſapientiæ DEI & Domini noſtri JESU Chriſti innoxia morte ad vitam miſericorditer revocare dignatus es. Te ſupplices exoramus, ut hoc ſingulare ſignum, quod ad exemplum primi illius ſacratiſſimi vexilli, quo pretioſo ſanguine Filii tui triumphâſti, fidelium tuorum devotione compactum, erigendúmque (vel erectum) eſt, tua

tua cœleſti bene✝dictione ſanctificare digneris, ut omnibus hic genuflectentibus, ac tuæ Majeſtati ſupplicantibus largior, & cordis compunctio, & admiſſorum concedatur remiſſio, atque ipſa intercedente victorioſiſſima unigeniti Filii tui Paſſione & tibi placita poſtulare, & citiùs valeant poſtulata percipere.

Da, quæſumus, clementiſſime Pater, in quo vivimus, movemur, & ſumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, qua ſuperbiam noſtri hoſtis dejecit, oculis intuemur, quotieſcunque mente recolimus, & contra hoſtem ipſum fiduciam & majorem tibi devotæ humilitatis gratiam conſequamur, quatenus in illo tremendo tuæ Majeſtatis examine, cùm paventibus elementis, cœlorúmque tunc commotis viribus ſignum iſtud glorioſum redemptionis noſtræ apparuerit in cœlo, ipſi de morte ad vitam tranſire, ad perpetuæ reſurrectionis gaudia pervenire mereamur, per eundem &c.

Oremus.

DEUS, qui beatæ crucis patibulum, quod priùs erat ſceleratis ad pœnam, convertiſti redemptis ad vitam, concede plebi tuæ ejus vallari præſidio, cujus eſt armata vexillo; ſit ei fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in adverſis defenſio, in proſperis adjuvamen; ſit ei in hoſte victoria, in civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura, ut per eam paſtor in futuro gregem conſervet incolumem, quæ nobis Agno vivente ✝ converſa eſt in ſalutem ✝, per eundem &c.

Ore-

Oremus.

SAncti✝fica, Domine JESU Chriſte, iſtud ſignaculum paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuæ victoriæ vexillum, qui cum DEO Patre &c.

Benedictio thuris.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, cui adſtat exercitus Angelorum cum tremore, quarum ſervitium ſpirituale & igneum eſſe cognoſcitur, dignare reſpicere, bene✝dicere, & ſancti ✝ ficare hanc creaturam incenſi, ut omnes languores, omnésque infirmitates, cunctæque inſidiæ inimici odorem ejus ſentientes effugiant, & ſeparentur à plasmate tuo, ut nunquam lædatur à morſu antiqui ſerpentis, quod pretioſo Filii tui ſanguine redemiſti, qui tecum & cum Spiritu &c.

Hic incenſat & aſpergit, dicens:

Sanctificetur iſtud lignum in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, & benedictio illius ligni, in quo ſacra membra Salvatoris ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ligno, ut orantes, inclinantésque ſe propter Deum ante ipſam inveniant animæ & corporis ſanitatem, per eundem &c.

Imponantur Reliquiæ, recludantur, & erigantur.

5.

Benedictio SS. Nominis JESU.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

BEnedic, Domine JESU, ſanctiſſimi Nominis tui impreſſionem, & concede, ut ſicut in fide

S. No-

S. Nominis tui claudum ambulare feciſti, dum dixit ei Petrus: In nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula: ſic tua creatura hanc S. Nominis tui impreſſionem apud ſe devotè portans, ab omni infirmitate & tentatione diabolica per tuam piiſſimam miſericordiam liberari mereatur. Et in quocunque loco hæc tremendi Nominis tui figura fuerit affixa, ibi nullus malignus ſpiritus poſſit intrare, aut maleficia ſua, ſive per alios exercere, præſtante Domino noſtro JESU Chriſto, qui præ omnibus Angelis excellentius Nomen hærediâſti, & cum Patre & Spiritu S. vivis &c.

Oremus.

DEUS, qui ſacratiſſimum Nomen dilectiſſimi Filii tui D. N. JESU Chriſti feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile, concede propitius, ut omnes maligni ſpiritus hanc S. Nominis tui figuram, quam ego Sacerdos tuus ad honorem tuum bene✠dico, atque ſancti✠fico, aſpicientes divino terrore percuſſi fugiant procul, nec audeant appropinquare homini, aut loco, in quo, & apud quem hoc benedictum Nomen JESU fuerit. Per eundem Dominum &c.

Aſpergatur.

6.

Benedictio Imaginis JESU Chriſti.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui ſacras unigeniti Filii tui, & Sanctorum imagines & effigies ſculpi vel pingi per Eccleſiam tuam voluiſti, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus & ſanctitatem ad imitandum, memoriæ oculis meditemur: Hanc, quæſumus, imaginem, (vel ſculpturam) in honorem & memoriam unigeniti Filii tui, Domini noſtri JESU Chriſti, adaptatam bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, & præſta, ut quicunque coram illa eundem unigenitum JEſumChriſtum humiliter & ſuppliciter honoraverit & invocaverit, ejus meritis & obtentu à te gratiam in præſenti, & gloriam æternam obtineat in futuro. Per eundem Dominum &c.

Aſpergatur.

7.

Benedictio Imaginis B. V. MARIÆ.

℣. Adjutorium &c. ℣. Domine exaudi &c.

Antiphona.

SUb tuum præſidium confugimus, ſancta DEI Genitrix, noſtras deprecationes non deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa & benedicta.

Pſalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis, *ut in Officio B. V. M.*

Antiphona.

Sub tuum præſidium &c.

Digitized by Google

℣. Ora pro nobis, ſancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni &c.

Oremus.

DEUS, qui de B. MARIÆ V. utero verbum tuum Angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, ut, qui vere eam genitricem DEI credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Clementiæ tuæ diſpoſitione cuncta ex nihilo creâſti: hanc imaginem in honorem piiſſimæ Genitricis Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti venerabiliter adaptatam bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris: & præſta, miſericordiſſime Pater, per invocationem Nominis tui, atque unigeniti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti, quem pro ſalute humani generis, integritate Virginis Mariæ ſervata, incarnari voluiſti, ut precibus & interceſſione ejusdem ſacratiſſimæ Virginis, quicunque eandem Miſericordiæ Matrem & Reginam, coram hac ejus effigie ſuppliciter deprecati fuerint, eamque pie honoraverint, omnium delictorum veniam & gratiam, quam deſiderant, impetrare mereantur. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Aſpergatur, & thurificetur.

8.

Benedictio Imaginum aliorum Sanctorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.

Ore-

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS: qui Sanctorum tuorum imagines, & effigies ſculpi vel pingi per Eccleſiam tuam voluiſti, ut dum illas oculis corporeis intuemur, eorum actus, vitam & ſanctitatem, ad imitandum, memoriæ oculis meditemur: hanc quæſumus, imaginem (vel ſculpturam in honorem Tui, & ſancti N. Apoſtoli vel Martyris, vel Confeſſoris, vel Virginis &c.) adaptatam bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris: & præſta, ut quicunque coram illa, glorioſum (Apoſtolum, vel Martyrem, vel Confeſſorem, vel Virginem &c.) N. ſuppliciter colere ac venerari ſtuduerit, illius meritis, & obtentu à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur.

9.

Benedictio imaginum S. Magni, vel alterius Sancti.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Sanctorum tuorum imagines ſculpi & pingi non reprobas, ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, & ſanctitatem ad imitandum mentis noſtræ oculis meditemur; has quæſumus imagines in honorem ac memoriam B. Confeſſoris tui & Abbatis Magni adap-

tatas bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris, & præſtare, ut quicunque coram una ipſarum glorioſiſſimum ſanctum Abbatem, & Confeſſorem Magnum ſuppliciter honorare, & colere ſtuduerit, illius precibus & obtentu gratiam in præſenti, ac æternam gloriam obtineat in futuro per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

℣. Ora pro nobis, beatiſſime Magne.
℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut imagines has bene✝dicere & ſancti✝ficare tuâ pietate digneris, ut domus & habitacula fidelium tuorum, in quibus affixæ, vel collocatæ fuerint, careant omni immunditia, liberentur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, ad illarum præſentiam fugiat, ut ſalubritas per ſanctam tui nominis invocationem, & per ſancti tui Magni piam apud te interceſſionem expedita ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

10.

Benedictio Candelarum in honorem S. Magni.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

BEne✝dic, Domine JESU Chriſte, Fili Dei vivi, meritis & interceſſione ſancti Magni, Abbatis & Confeſſoris tui, candelas iſtas, ſupplicationibus noſtris, & infunde eis per virtutem S. Crucis cœleſtem benedictionem, ut, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talem benedictionem & fortitudinem ſignaculô Cru✝cis accipiant, ut in quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti DEO.

PRoinde rogamus te, Domine, ut per merita & interceſſionem S. Magni emittas Angelum ſanctum tuum Raphaëlem, qui evulſit, & expulit à Sara & Tobia dæmonem mortiferum & infeſtantem, ut conterat illos & diſpergat de cunctis habitationibus colentium Deum, de lectulis, de refectoriis, & de cunctis locis, in quibus Dei famulantes habitant, & requieſcunt, dormiunt, vigilant, ambulant, & conſiſtunt, nec valeant illos maligni ſpiritus amplius inquietare vel moleſtare, aut pavores immittere ſuper eos, quos ſancti Chriſmatis tui unctione feciſti eſſe munitos.

BEnedico vos ✝ Candelas in nomine Dei ✝ Patris omnipotentis, & Filii ✝ ejus unigeniti, & Spiritus ✝ ſancti Paracliti, ut ſitis per merita & interceſſionem S. Magni Abbatis ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium

ſuorum exterminatio: adjuvante eadem ſanctâ & individuâ Trinitate, quæ in unitatis eſſentia vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

II.

Benedictio Imaginum & Numiſmatum S. Anaſtaſii Mart. Carmel. contra malos ſpiritus & morbos.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Ora pro nobis, S. Anaſtaſi, Chriſti Martyr.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEUS in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam Martyris Palmam B. Anaſtaſium evocâſti: per interceſſionem hujus glorioſi Martyris porrige nobis dexteram tuæ divinæ Majeſtatis, ut in virtute illius præſentem benedictionem perficiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Antiphona.

Sancte DEI Martyr, Anaſtaſi, conſtans contemptor idolorum, qui crucem Chriſti adamâſti: ſequens viam Dei amatorum, præbe nobis, ut tuo gloriemur in honore.

Pſalmus.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.

Domine, libera animam meam à lab iis iniquis & à lingua doloſa.

Quid

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria Patri.

Repetitur Antiphona.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Sacerdotibus tuis in conſecratione eorum tantam gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfectéque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quod modò facturi ſumus, nobiſcum facias, & quidquid bene✠dicturi, nobiſcum bene✠dicas: & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: ut ſicut ego has imagines ſive numiſmata S. M. Anaſtaſii bene✠dico & ſancti✠fico; ſic & tu eadem bene✠dicas, & ſancti✠fices. Sintque hujus Sanctæ tui meritis ſuga dæmonum, omnium languorum, morborúmque ſanatio, cujuscunque maleficii ac damni fraude nequiſſimi ſpiritus illati exterminatio & Angelorum pacis ingreſſus & fida cuſtodia. Per Chriſtum &c. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Antiphona.

Sancte Anaſtaſi Martyr victorioſe, qui viciſti

 mun-

mundum glorioſè; Pugil caſte pervigil, cultor eremi in terra ſancta Carmeli, miles Chriſto conſecratus, ſanguine proprio purpuratus, ora pro nobis, pugna pro nobis, triumpha pro nobis. *Pſalmus* 121. *fer.* 3. *ad Veſp.*

Antiphona repetitur.

Oremus.

DEUS Angelorum, DEUS Arch-Angelorum, DEUS Prophetarum, DEUS Apoſtolorum, DEUS Martyrum, DEUS Confeſſorum, DEUS Virginum, & omnium bene viventium, DEUS & Pater Domini N. J. Chriſti, te invoco, & nomen ſanctum tuum atque præclaræ Majeſtatis clementiam ſupplex expoſco, ut mihi auxilium præſtare digneris, & mecum has imagines, ſive numiſmata glorioſi Martyris tui Anaſtaſii bene✠dicere, ſancti✠ficare & conſe✠crare, ut ubicunque reperta & appoſita fuerint, inde velociter exeat, & recedat omnis nequitia maligni ſpiritus, & maneat benedictio tua & ſanctificatio ibi ſempiterna. Per eundem &c. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Oremus,

DOmine JESU Chriſte, piiſſime redemptor, caſtiſſime animarum ſponſe, omniúmque Illuminator & Rector, qui per Spiritum ſanctum Eccleſiæ tuæ in ſancto Concilio Nicæno congregatæ indicâſti, eáque te inſpirante fideliter agnovit, per effigiem S. Martyris tui Anaſtaſii dæmones morbóſque fugari: Concede per piiſſimam clementiam tuam & ſanctiſſimam tuam benedictionem✠, ut hæ imagines,

vel

vel numiſmata ejusdem S. Martyris tui effigie inſignita ita à me ſacerdotali & conſecrata manu benedicantur, uti in præſenti bene✠dico, & ſanctificare intendo, ut omnibus eisdem piè & devotè utentibus ſint remedium ſalutare corporis & animæ, & ſuper ea bibentes tam homines, quàm animalia à languoribus ſuis curentur, & priſtinæ ſanitati reſtituantur. Per te, miſericordiſſime ſalvator, qui febribus imperâſti, mox receſſerunt, qui cæcos, claudos, leproſos, paralyticos, & omnes languentes ad te confugientes clementiſſimè ſanâſti, adauge quoque in nobis eandem ſanctam fidem in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris, adeſto ſupplicationibus noſtris, & omnis illius loci ſis Protector, ubi hæc imago, vel numiſma affixum fuerit, ut ibi nulla nequitia contrariæ poteſtatis conſiſtat; ſed virtute Spiritûs ſancti & operatione ejus fiat ibi promptum tibi ſervitium & aſſiſtat devota libertas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergitur aquâ benedictâ.

12.

Benedictio Annuli S. Joſephi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Manda DEUS virtuti tuæ.
℟. Confirma hoc DEUS, quod operatus es.
℣. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
℟. Tibi offerent Reges munera.

 ℣. An-

℣. Annulo ſuo ſubarrhavit me & poſuit ſignum in faciem meam.

℟. Ut nullum præter eum amatorem admittam.

Antiph. Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: pariet autem tibi filium, & vocabis nomen ejus JEſum.

℣. Conſtituit eum Dominum domûs ſuæ.

℟. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Oremus.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ ſponſi, quæſumus, Domine, meritis adjuvemur: ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.

℟. Amen.

Hymnus.

Joſeph ab ortu Regio, de ſtirpe flos Davidica.
Huic creditur Nutritio Proles Tonantes unica.
Hunc Virgo ſponſum prædicat, Deusque Patrem nuncupat.

Antiphona. Salve Patriarcharum Apex, cui DEUS omnipotens omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus benedixit.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, omnium moderator & inſpector Cordium, ſuperborum humiliator & humilium exaltator, qui ſanctum Patriarcham Joſeph à fratribus ſuis in ferreis compedibus humiliatum univerſæ terræ Ægypti conſtituiſti dominatorem, & regio conſignato annulo omnia Regni bona manui ejus ſubjeciſti, omni etiam deſuper ei infusâ cœleſti benedictione,

ne, quâ populus electus à fame & mortis faucibus ereptus; & ſimiliter in lege gratiæ ſanctum Joſephum à fabrilibus operibus ad Thronum gratiæ exaltâſti, unigeniti & dilecti Filii Salvatoris conſtituiſti Nutritium, eúmque glorioſiſſimæ Virgini MARIÆ unigeniti verbi tui electæ Matri annulo ſanctæ fidei caſtiſſimi connubii, & intemeratæ Charitatis deſponſâſti: proinde & omnia bona pariter ei venerunt cum illa & innumerabilis honeſtas per manus illius. Per potentiſſimam interceſſionem & cumulatiſſima merita horum duorum ſanctiſſimorum & caſtiſſimorum ſupplices conjugum deprecamur piiſſimam clementiam & Majeſtatem tuam, quatenus digneris hunc annulum in honorem ſancti Joſephi Nutritii incarnati Filii tui & glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ Sponſi bene✝dicere & ſancti✝ficare, ut ſit tutamen contra inſidias & contagia diabolica: omnium maleficiorum exterminatio: caſti amoris incitamentum; infirmarum manuum roboratio; omnium piarum operationum proſperitas: & illi piè & reverenter portantes liberentur ab omni odio & mala voluntate, diligántque charitate perfectâ. Te, æternum Patrem ingenitum, & Filium tuum unigenitum, JEſum Chriſtum, Dominum noſtrum, ac Spiritum ſanctum Paracletum in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Antiphon. Salve fidelis Eccleſiæ ſanctæ Dei œconome, cui frumentum electorum & panem Vitæ pro ſolatio animarum conſervâſti.

℣. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum.

℟. Di-

℟. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Candor lucis æternæ, & Speculum ſine macula divinæ Majeſtatis, Virginitatis, & caſtarum mentium amator, qui ſanctum Joſephum, Nutritium tuum, virgineámque Matrem tuam annulo ſponſalitio conjugatos perfecto divinóque amore dilexiſti; illis in omnibus ſubditus te panem vivum Angelorum pro totius mundi ſolatio cuſtodiendum tradidiſti. Per illum tuum divinum amorem te, piiſſime Domine, rogamus, præſta nobis auxilium gratiæ tuæ, & hunc annulum bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris, ut omnes reverenter & devotè eum portantes ſecum, & venerantes, à te cœleſtibus bene✠dictionibus repleantur, Tibi, Virginique Matri grati & dilecti exiſtant, atque ad vitam æternam, ubi tecum vero cœleſti ſponſo uniti vivant in ſæcula ſæculorum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Antiph. Salve, magni conſilii adjutor, qui ſudore vultus tui victimam noſtræ ſalutis aluiſti.

℣. Inveni, quem diligit anima mea.

℟. Tenui eum, & non dimittam.

Oremus.

DEUS, in cujus verbo, quod tutelæ & alimoniæ ſancti Joſephi commiſſum fuit: ſanctificantur omnia, quæ vel facimus, vel percipimus: effunde, quæſumus, ſanctiſſimam bene✠dictionem tuam ſuper nos, & ſuper hunc an-

annulum eidem Sancto dicatum, ut per interceſſionem & merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ ac ejus ſancti ſponſi Joſephi bene✝dicti maneant, & nos, quæcunque præſentis vitæ neceſſitas pie poſtulat, miſericorditer cum gratiarum actione feliciter aſſequamur. Per eundem Dominum noſtrum, &c. Amen.

Aſpergatur.

13.

Benedictio Candelarum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Fili Dei vivi, bene✝dic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris: infunde eis, Domine, per virtutem ſanctæ Cru✝cis benedictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti: talem benedictionem ſignaculô ſanctæ Cru✝cis accipiant, ut quibuscunque locis incenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis, & facturis ab habitantibus in illis, nec præſumant amplius inquietate, vel moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergantur.

14.

Alia Benedictio Candelarum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creâſti, & juſſu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire feciſti: Te humiliter deprecamur, ut has candelas ad uſus hominum & ſanitatem corporum & animarum, per invocationem tui ſanctiſſimi nominis & per interceſſionem B. MARIÆ V. & per preces omnium Sanctorum tuorum bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris: quatenus ii, qui eas in honorem tuum accendunt, aut in manibus ſuis deferunt, ſancto igne dulciſſimæ charitatis tuæ accenſi, in templo ſanctæ gloriæ tuæ repræſentari mereantur. Per eundem Chriſtum.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde bene✠dictionem tuam ſuper hos cereos, & ſancti✠fica eos lumine gratiæ tuæ, ut ſicut hæc luminaria igne viſibili accenſa nocturnas depellunt tenebras, ita corda noſtra inviſibili igne, ſeu ſancti Spiritûs ſplendore illuſtrata omnium vitiorum cæcitate careant: ut ii, qui eos ad honorem tuum accendunt, aut in manibus ſuis portant, purgato mentis oculo cernere poſſint, quæ tibi ſunt placita, & ſaluti ſuæ utilia, quatenus poſt hujus ſæculi caliginoſa diſcrimina ad lucem indeficientem pervenire mereantur. Qui vivis &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Fili Dei vivi, bene✠dic has candelas ſupplicationibus noſtris, & per vir-

virtutem ſanctæ Cru✝cis tuæ, infunde iis bene✝dictionem cœleſtem: ut in quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant ac fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec præſumant amplius inquietare aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti DEO, qui vivis &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

15.

Benedictio Candelæ pro moribundis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Fili Dei vivi, qui dixiſti: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: bene✝dicere dignare candelam iſtam, & infunde ei per virtutem S. Cru✝cis benedictionem cæleſtem, talémque benedictionem ſignaculô S. Crucis accipiat, ut quibuscunque in locis accenſa, aut à quibuscunque infirmis in manibus portata fuerit, diſcedant & contremiſcant principes tenebrarum, fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis. Nec præſumant inquietare aut moleſtare, aut tentare famulos tuos, qui eam ob honorem tuum in manibus ſuis geſtaverint. Tu, Domine, qui es lumen ad revelationem gentium, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, digne-

digneris, illuminare intellectum eorum, qui lumen hoc devotè ſuſceperint: ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & Patrem tuum cœleſtem. Qui cum eo & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

16.

Benedictio Vexilli Eccleſiaſtici pro Templis & Proceſſionibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, cujus Eccleſia eſt velut caſtrorum acies ordinata, bene✝dicere digneris hoc Vexillum, ut omnes ſub eo tibi Domino Deo noſtro exercituum militantes, per interceſſionem ſancti N. Patroni, inimicos ſuos inviſibiles in hoc ſæculo ſuperare, & poſt victoriam in cœlis triumphare mereantur, per te, JEſu Chriſte, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

17.

Benedictio Roſariorum Confraternitatis Roſarii.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui propter eximiam Charitatem tuam, qua dilexiſti nos, & Filium tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum de cœlis in terram deſcendere, & de bea-

beatiſſimæ Virginis MARIÆ utero ſacratiſſimo, Angelo nunciante carnem ſuſcipere, crucémque ac mortem ſubire, & tertia die gloriosè à mortuis reſurgere voluiſti, ut nos eriperes de diaboli poteſtate: obſecramus immenſam clementiam tuam, ut hæc ſigna Roſarii in honorem & laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Eccleſia tua fideli dicata bene✝dicas, & ſancti✝fices, eisque tantam Spiritûs ſancti infundas virtutem, ut quicunque horum quodlibet ſecum portaverit, atque in domo ſua reverenter habuerit, & in eis ad te, ſecundùm ejusdem ſanctæ Societatis inſtituta, divina contemplando myſteria devotè oraverit, ſalubri & perſeverante devotione abundet; ſitque conſors & particeps omnium gratiarum, privilegiorum, & indulgentiarum, quæ eidem ſocietati per ſanctam Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerunt. Et ab hoſte viſibili & inviſibili ſemper & ubique in hoc & in futuro ſæculo liberetur: & in exitu ſuo ab ipſa beatiſſima Virgine MARIA DEI, Genitrice, tibi plenus bonis operibus præſentari mereatur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde aſpergantur aquâ benedictâ dicendo: In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti, Amen.

18.

Benedictio Candelarum S. Roſarii.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oratio.

DOmine JESU Chriſte, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum;

effunde per interceſſionem B. Virginis MARIÆ, Matris tuæ, & per quindecim ejus Roſarii myſteria benedictionem tuam ſuper hos cereos, & candelas, & ſanctifica eas lumine tuæ gratiæ, & concede propitius: ut ſicut hæc luminaria, igne viſibili accenſa nocturnas depellunt tenebras, ita corda noſtra inviſibili igne, id eſt, Spiritûs ſancti ſplendore illuſtrata, omnium vitiorum cæcitate careant, ut puro mentis oculo cernere ſemper poſſimus, qui tibi placita ſunt, & noſtræ ſaluti utilia, quatenus poſt hujus ſæculi caliginoſa diſcrimina ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

19.

Abſolutio impertienda Confratribus SS. Roſarii in articulo mortis.

Dicto Confiteor, Sacerdos dicat: Miſereatur tui &c. Indulgentiam &c.

Dominus noſter JEſus Chriſtus, Filius Dei vivi, qui B. Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & remittat tibi omnia, quæcunque, vel quomodocunque in toto vitæ decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, & ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam, quam in baptiſmate accepiſti, & per indulgentiam plenariam à ſummis Pontificibus Innocentio octavo, & Pio quinto Confratribus SS, Roſarii in articulo mortis con-

Digitized by Google

conſtitutis conceſſam, liberet te à præſentis, & futuræ vitæ pœnis, dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, paradiſi januam aperire, téque ad gaudia ſempiterna perducere, per ſacratiſſima ſuæ vitæ, paſſionis & glorificationis myſteria in ſanctiſſimo Roſario comprehenſa. Qui cum Patre & Spiritu ſancto DEUS unus vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

20.

Ordo benedicendi & recipiendi Scapulare B. V. M. de monte Carmelo.

Perſona receptura genuflectat ante Altare majus, vel ante Altare Virg. & tunc ſacerdos habens poteſtatem, ſtola ad collum indutus incipiat Antiphonam.

Suſcepimus, DEUS, miſericordiam tuam in medio templo tui: ſecundùm Nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ, juſtitiâ plena dextera tua.

Pſalmus 47.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis: in civitate DEI noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.

DEUS in domibus ejus cognoſcetur: cùm ſuſcipiet eam.

Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt: convenerunt in unum.

Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ùt parturientis in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.

Sicut audivimis, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate DEI noſtri: DEUS fundavit eam in æternum.

Suſcepimus, DEUS, miſericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundùm nomen tuum, DEUS, ſic & laus tua in fines terræ: juſtitiâ plena eſt dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ: propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus.

Ponite corda veſtra in virtute ejus: & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic eſt DEUS, DEUS noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.

Pſalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in mentem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus bededictionem: & vitam usque in ſæculum.

Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas &c.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

℟. DEUS meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Ni-

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oratio.

SUſcipiat te, DEUS, in numero fidelium ſuorum, & nos licet indigni ſuſcipimus te in orationibus noſtris: concedat tibi DEUS per unigenitum ſuum Mediatorem DEI & hominum tempus bene vivendi, locum bene agendi, conſtantiam bene perſeverandi. Et ſicut nos hodie fraterna charitas ſpiritualiter conjungit in terris, ita divina pietas, quæ dilectionis eſt auctrix & amatrix, nos cum fidelibus ſuis conjungere dignetur in cœlis. per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

Oremus.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum, quem in tuo ſancto Nomine ad participationem omnium bonorum ſpiritualium, & fraternitatem recipimus hujus ſacræ religionis beatæ Genitricis tuæ Virgini Mariæ ſpecialiter dedicatæ, bene✝dicere digneris, & præſta, ut te largiente devotus in Eccleſia perſiſtere valeat cum augmento virtutum, atque ſuffragiis hujusmodi ſacri Ordinis adjutus vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde converſus ad habitum dicat:

℣. Oſtende nobis Domine miſeric. &c.
℣. Scapulis ſuis obumbrabit tibi.
℟. Et ſub pennis ejus ſperabis.

Digitized by Google

℣. Domine DEUS virtutem converte nos.
℟. Et oſtende faciem tuam: & ſalvi erimus.

Oremus.

SUppliciter Te, Domine, rogamus, ut ſuper hunc habitum ſervo tuo imponendum bene✝dictio tua benigna deſcendat, ut ſit bene✝dictus, atque Divina virtute procul pellantur hoſtiam noſtrorum viſibilium & inviſibilium tela nequiſſima. Amen.

Oremus.

CAput omnium fidelium, DEUS, & humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmeli amorem atque devotionem ſervus tuus eſt delaturus, dexterâ tuâ ſancti✝fica, & hoc, quod per illum myſticè datur intelligi, tuâ ſemper cuſtodiâ, corpore & animo ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus feliciſſimè perducatur. Qui vivis &c.

Oremus.

CReator, conſervator & ſalvator omnium, largitor humanæ ſalutis, DEUS, dator gratiæ ſpiritualis, bene✝dictionem tuam ſuper hunc habitum immitte: ut, qui eum geſtaverit, cœleſti virtute munitus, fidem integram, ſpem firmam & charitatem deſideratam teneat, & à te nunquam ſperari permittas. Qui vivis &c.

Deinde aſpergat aquam benedictam ſuper habitum, & poſtea ipſum imponat perſonæ recipienti, dicens:

Accipe, vir devote, habitum benedictum, precamúrque ſanctiſſimam Virginem, ut ejus meritis

ritis illum perferas ſine macula, & te ab omni adverſitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

Deinde dicat:

EGo, ex poteſtate mihi tradita, & conceſſa, ſuſcipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, diſciplinarum, precum, ſuffragiorum, eleemoſynarum, jejuniorum, Vigiliarum, Miſſarum, horarum Canonicarum, ac cæterorum bonorum Spiritualium, quæ paſſim die noctúque (cooperante miſericordia JESU Chriſti) à Religioſis totius Ordinis Carmelitarum peraguntur. In nomine Patris &c.

Poſtea ſigno crucis benedicens perſonam recipientem dicat:

Benedicat te Conditor cœli & terræ, DEUS omnipotens, qui te eligere dignatus eſt ad B. V. MARIÆ de monte Carmeli ſocietatem & confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitûs tui conterat caput ſerpentis, qui tibi eſt adverſarius, & tanquam victor palmam, coronam ſempiternæ hæreditatis conſequaris. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Deinde aſpergatur perſona recipiens aquâ benedictâ.

21.

Forma abſolutionis S. Scapularis pro agonizante.

Dicto Confiteor &c. Miſeratur &c. Indulgentiam &c, *dicit has orationes.*

Digitized by Google

Oratio.

DOminus noſter JEſus Chriſtus DEI Filius, qui omnia horribilia tormenta pro peccatoribus ſubiit, ut eos ad vitam revocaret, ſalvat omnes, & neminem vult perire, neque vult mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquirit. Ipſe nunc ſuâ infinitâ miſericordiâ te reſpiciat, avertat omnem iram, & indignationem, atque per indulgentiſſima Miſericordiæ ſuæ viſcera tibi remittat univerſas iniquitates tuas: & quaſcunque pœnas ex rigore maximæ juſtitiæ ſuæ debitas. Ego autem ipſius Domini noſtri JEſu Chriſti indignus famulus, & Miniſter, ex authoritate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; item ex Privilegiis per ſummos Pontifices fratribus & confratribus ſanctiſſimæ Matris MARIÆ de monte Carmelo conceſſis, atque ex licentia, poteſtate & commiſſione mihi à meis ſuperioribus impoſita, in quantum poſſum & debeo, declaro te conſequi indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum (ſi tamen hac vice è vita non migraveris, aliàs eandem tibi reſervo pro ultimo mortis tuæ articulo) in nomine Patris &c.

Ego inſuper eadem auctoritate tecum diſpenſo ſuper omnes negligentias, ſi quas contraxiſti, iſtum S. Habitum deferendo, & declaro, atque ſignifico, te creaturam DEI fore abſolutam hic, & ante tribunal Domini noſtri JEſu Chriſti ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis propter peccata, quæ contra bonitatem DEI vivi & veri commiſiſti, téque manifeſto reſtitutam illi innocentiæ, quâ in Baptiſ-

mo

mo per ſacrum Salvatoris lavacrum induta fuiſti: In nomine Patris, &c.

Oremus.

DOminus noſter JESUS Chriſtus, Pater miſericordiarum, & conſolator peccatorum, qui dixit: nolo mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur & vivat, nec veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam ipſe ſua ineffabili miſericordia & ſolita pietate ad veram cordis contritionem te vocet, & gratiam devotæ pœnitentiæ inſpiret, ut dignè remiſſionem negligentiarum acquirere, & indulgentias hujus ſacri Carmelitici habitûs obtinere, atque cum Electis ejus ad æterna gaudia valeas feliciter pervenire. Qui cum Patre & Spiritu &c. Amen.

Oremus.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & iſtam creaturam ad tuam ſanctiſſimam imaginem creatam, tuo proprio ſanguine redemptam, tuâ providentiâ ineffabili conſervatam, gubernatam, cuſtoditam, & ſalvatam, quam nos in tuo ſancto Nomine ad participationem omnium bonorum Spiritualium, & Confraternitatem recipimus, bene✝dicere digneris, & præſta, ut te largiente devotè te diligat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, atque ſuffragiis hujus S. Ordinis B. V. adjuta vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

MARIA, Mater gratiæ, Mater miſericordiæ &c.

Oratio.

DEfende, quæſumus Domine, B. Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

22.

Benedictio vinculorum ſive catenularum Mancipatûs Parthenici.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui vincula peccatorum noſtrorum disrumpis, ut libertate filiorum gaudere valeamus, & qui ad vincula ſalutis hominem advocas, dicens: injice pedem tuum in compedes illius, & collum tuum in torques illius, & ne accedieris vinculis ejus; hæc vincula, quæ in ſignum perpetuæ ſervitutis ad honorem B. V. ſervi ejus deferre intendunt, bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, & concede eis, ſic illa devotè gerere, ut vivendo candore caſtitatis illuſtrentur, ac moriendo à vinculis peccatorum abſoluti, interceſſione ejusdem ſanctiſſimæ Matris MARIÆ, tecum, & cum illa in regno gloriæ congaudere valeant ſine fine. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

23.

Benedictio annulorum, & armillarum, quæ in B. V. MARIÆ, & Joſephi æternum obſequium deferri ſolent.

Anti-

Antiph. Tulit rex annulum ſuum de manu ſua, & dedit eum in manu Joſeph, veſtivítque eum Stolâ byſſinâ & collo torquem auream circumpoſuit.

℟. Annulo ſuo ſubaravit eum.

℣. Ut præpoſitum eum ſcirent univerſæ terræ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, qui juſto judicio diſperdis ſuperbos, & exaltas humiles, quique antiquum Patriarcham Joſeph, ob inſignem caſtimoniam ſuam de ſqualore carceris eductum, ſupremum Ægypti Dominum conſtituiſti & regio annulo, ac torque aurea condecorari, voluiſti, concede propitius: ut qui ſecundi Joſephi caſtiſſimæ MARIÆ Sponſi, ac unigeniti tui Nutritii ſacrum annulum, quo ſibi innocentiſſimam ac ſemper illibatam Virginem MARIAM deſponſavit, in terris noſtra devotione colimus, ejus interceſſione & patrocinio à te in cælis deſponſari mereamur. Per eundem Chriſtum, &c.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, unigenitum Filium tuum JESUM, per piiſſimæ V. MARIÆ puriſſimas manus faſciis ligari & involvi, à ſanctiſſimo Joſepho ulnis geſtari, ac manibus impiorum duriſſimis vinculis fereis & funibus ligari, crudeliter conſtringi & trahi permiſiſti, ut nos à vinculis peccati, & cruciatibus æternis clementer

ter eriperes: bene✝dic, Domine, annulos iſtos,& catenulas, & vincula, quæ fideles tui in ſignum ſacræ mancipationis geſtare decernunt, & præſta, ut quicunque in memoriam faſcinarum & vinculorum dilectiſſimi Filii tui, ac beatiſſimæ Matris ejus, MARIÆ, ſanctiſſimique Joſephi devotè ea portaverint, & ſanctiſſimæ Virginis ac beatiſſimi Joſephi ſponſi ejus perpetuo famulatui & obſequiis ſeſe dedicaverint, in articulo mortis ſuæ ab omnibus peccatis abſoluti, perpetua libertate donati, cum omnibus Sanctis coronâ gloriæ perfrui mereantur in cœlis, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur.

24.

Benedictio Coronarum Domini noſtri JESU Chriſti.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.
℟. Et campi tui replebuntur ubertate.
℣. Domine exaudi orationem meam &c.

Oratio.

DEUS, qui redemptionem populo tuo Angelo nuntiante per unigeniti filii tui incarnationem miſiſti, eúmque triginta tribus annis ſervilem formam gerendo humani generis ſalutem operari ſanxiſti, per quem poſtmodum B. MichaëliEremitæ Camaldulenſi tot in memoriam annorum illorum orationes Dominicas recitare tibi beneplacitum eſſe ratificâſti: dignare ergo, Domine, has co-

coronas bene✝dicere, & ſancti✝ficare, ut famuli tui, qui eas devotè geſtaverint, ac devotè recitaverint, indulgentias & gratias per ſummos Vicarias conceſſas plenè conſequi mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

25.

Benedictio S. Zachariæ ad cruces & numiſmata contra peſtem.

Relatio.

Quando Anno 1546. *Tridenti graviſſima graſſabatur peſtis, referuntur Patres Concilii Tridentini cum devotione deportâſſe quosdam characteres in forma crucis diſpoſitos à S. Zacharia Epiſcopo Hiroſolymitano collectos, & in effectu deprehendiſſe ipſorum deportationem ac venerationem eſſe utile remedium contra peſtem; utpote ſignantiam varias devotas preces jaculatorias & affectuoſas, vetuſtas & approbatas precatiunculas, pro avertendo malo contagionis, uti conſtat ex earum explanatione infra poſita. Fuerunt autem dicti charectêres olim ab eodem S. Antiſtite manu propria in membrana conſcripti; ac demum in Hiſpanienſi Monaſterio de Fraytes rurſus reperti, & in venerationem poſiti cum miro effectu devotarum perſonarum illos venerantium, deportantium, & eorum ſignata orantium.*

Explanatio Characterum.

✝ Z. ✝ D. I. A. ✝ B. I. Z. ✝ S. A. B. ✝ Z. ✝ H. G. F. ✝ B. F. R. S.

Sacræ hæ litteræ à S. Zacharia Epiſcopo Hieroſolymitano ante aliquot centenos annos in membrana manu ſcriptæ, in Hiſpanienſi Monaſterio de Fraytes repertæ ſunt, una cum earundem expoſitione & Oratione.

✝ Crux

† Crux Chriſti ſalva me.

Z. Zelus domus tuæ liberet me.

† Crux vincit, crux regnat, crux imperat, per ſignum crucis libera me, Domine, ab hac peſte.

D. DEUS, DEUS meus expelle peſtem à me, & à loco iſto, & libera me.

I. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, cor & corpus meum.

A. Ante cœlum & terram DEUS erat, & DEUS potens eſt, liberare me ab iſta peſte.

† Crux Chriſti potens eſt ad expellendam peſtem ab hoc loco, & à corpore meo.

B. Bonum eſt præſtolari auxilium DEI cum ſilentio, ut expellat peſtem à me.

I. Inclinabo cor meum ad faciendas juſtificationes tuas, ut non confundar, quoniam invocavi te.

Z. Zelaxi ſuper iniquos pacem peccatorum videns, & ſperavi in te.

† Crux Chriſti fuget dæmones, aërem corruptum, & peſtem expellat.

S. Salus tua ego ſum, dicit Dominus: clama ad me, & ego exaudiam te, & liberabo te ab hac peſte.

A. Abyſſus Abyſſum invocat, & voce tua expuliſti dæmones: libera me ab hac peſte.

B. Beatus vir, qui ſperat in Domino, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

† Crux Chriſti, quæ anteà fuit in opprobrium, & contumeliam, & nunc in gloriam, & nobilitatem, ſit mihi in ſalutem, & expellat à loco iſto dia-

diabolum, & aërem corruptum, & peſtem à corpore meo.

Z. Zelus honoris DEI convertat me, antequam moriar, & in nomine tuo ſalva me ab iſta peſte.

✠ Crucis ſingum liberet populum DEI, & à peſte eos, qui confidunt in eo.

H. Hæccine reddis Domino popule ſtulte? redde vota tua offerens ſacrificium laudis, & fide illi, quia potens eſt iſtum locum, & me ab hac peſte liberare, quoniam, qui confidunt in eo, non confundentur.

G. Gutturi meo, & faucibus meis adhæreat lingua mea, ſi non benedixero tibi: libera ſperantes in te, in te confido, libera me DEUS ab hac peſte, & locum iſtum, in quo Nomen tuum invocatur.

F. Factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram in morte tua, Domine, DEUS meus, fiat lubrica & tenebroſa diaboli poteſtas, quia ad hoc veniſti Fili DEI vivi, ut diſſolvas opera diaboli, expelle tuâ potentiâ à loco iſto, & à me ſervo tuo peſtem iſtam, diſcedat aër corruptus à me in tenebras exteriores.

✠ Crux Chriſti defende nos, & expelle à loco iſto peſtem, & ſervum tuum libera à peſte iſta, quia benignus es, & miſericors, & multæ miſericordiæ, & verax.

B. Beatus, qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas, in die mala liberabit eum Dominus. Domine, in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

F. Fa-

F. Factus eſt DEUS in refugium mihi, quia in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

R. Reſpice in me Domine, DEUS meus Adonai de ſede ſancta Majeſtatis tuæ, & miſerere mei, & propter miſericordiam tuam ab iſta peſte libera me.

S. Salus mea tu es, ſana me, & ſanabor, ſalvum me fac, & ſalvus ero.

Hæ litteræ debent benedici à ſacerdote poſt Miſſam, antequam ſacra paramenta deponat.

Benedictio Characterum præfatæ Crucis.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.

Oremus.

DEUS omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ bene✝dictionis infundas, & hos Characteres & litteras ad abigendos dæmones, morbóſque pellendos, tua revelatione præparatas virtute ſancti Spiritûs bene✝dicere digneris, & omnibus eis utentibus ſanitatem mentis & corporis, & gratiam ſanctificationis benignus concede: ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati, atque irreprehenſibiles appareant, & inſidias latentis inimici per auxilium miſericordiæ tuæ clementer effugiant. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

DOmine JESU CHRISTE, qui voluiſti pro mundi redemptione, de virgine naſci, circumcidi à Judæis reprobari, à Juda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens

ad

Digitized by Google

ad victimam duci, atque in conſpectu Pilati ſpinis coronari, aculeo clavorum perforari, in cruce levari, inter latrones reputari, felle & aceto potari, ab hominibus blaſphemari, lanceâ vulnerari, & tandem in cruce mori. Per has ſanctiſſimas pœnas, & paſſiones tuas, quas ego indignus recolo, ſuppliciter te oro, ut de loco iſto, & de domibus ejus, & de omnibus incolis ejus, & de me ſervo tuo, & de omnibus, quicunque per litteras, & characteres hos invocaverint ſanctum Nomen tuum, expellas omnes inſidias diaboli & fraudes, & peſtem, & ad priſtinam ſanitatem hunc locum, & omnes habitatores ejus, me quoque indignum famulum tuum, & omnes, quicunque ſignati fuerint hoc ſigno ſanctificationis tuæ, perducere digneris fracto vinculo cujuscunque gentis malignæ, Amen.

Deinde dicat Sacerdos ſequentia verba S. Zachariæ:

MAledicti & excommunicati, & blaſphemi dæmones in virtute verborum iſtorum, Meſſias, Emanuel, Sabaoth, Adonai, Athanatos, Ishyros, Eleîſon, Tetragrammaton, vos conſtringimus, vos privamus, vos expellimus ab iſto loco, & ex domibus ejus, ubi fuerint hæc ſigna DEI, & præcipimus vobis, ut non habeatis poteſtatem per peſtem nocere corporibus habitantium in eo. Ite, ite, ite maledicti in ſtagnum ignis, ite ſtatim ad loca vobis deputata, & nunquam huc accedatis. Imperat vobis Deus Pater, imperat vobis Deus Filius, impe-

Digitized by Google

rat vobis Deus Spiritus ſanctus, imperat vobis SS. Trinitas unus DEUS. Diſcedite maledicti dæmones in nomine DEI noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

DEUS, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majeſtatem tuum ſuppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua miſericordia confidentes cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore ſalvetur, & congruam tibi exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat.

Concede nos famulos tuos, quæſumus, Domine DEUS, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ MARIÆ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia & æterna perfrui lætitia.

Da nobis, quæſumus, Domine, piæ petitionis effectum, & peſtilentiam mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoſcant, à te indignante talia flagella prodire, & te miſerante ceſſare. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spi-

Digitized by Google

Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde aſpergit eas.

26.

Benedictio Numiſmatum & crucis ſanctiſſimi Patris Benedicti.

Sacerdos Ordinis ſanctiſſimi Patris Benedicti cotta & ſtola ſaltem indutus ad altare, vel crucifixum, & candelam benedictam ardentem poterit modo ſequenti benedicere Numiſmata, & cruces S. Patris Benedicti, præparatis oleo, & aquâ benedictis.

℣. Adjutorium ✝ noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis, præ cæteris tantam gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: Quæſumus clementiam tuam, ut, quod modò benedicturi ſumus, bene✝dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: Sintque ad noſtræ humilitatis preces, ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti meritis, fuga dæmonum & Angeli pacis ingreſſus, per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Invocandum eſt devotè Patrocinium ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti Litaniis ſequentibus:

KYrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.

Spiritus ſancte DEUS, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis,
Sancta MARIA, ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancta Maria, ordinis noſtri Patrona ſanctiſſima, ora pro nobis.
Sancte Pater Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, amator caſtitatis, ora pro nobis.

Sancte Benedicte,
Amator charitatis,
Amator omnium virtutum,
Bone conſolator afflictorum,
Benigne dilector proximorum,
Bone cuſtos fratrum tuorum,
Imitator IESU Chriſti,
Amator crucis,
Contemptor mundi,
Calcator ſæculi,
Contemptor mundanarum voluptatum,
Profligator cacodæmonum,
Dux ſacræ militiæ,
Auctor noſtræ Religionis,
Inſtaurator vitæ Monaſticæ,
Doctor diſcipline,
Speculum perfectionis,
Stella Religionis,
Decus Eccleſiæ Catholicæ,
Regula paupertatis,
Flos Caſtitatis,
Magiſter obedientiæ,
Magiſter diſcretionis,
Ora pro nobis.

Exem-

Sancte Benedicte,

Exemplum humilitatis,
Præceptor taciturnitatis,
Flos pietatis.
Flos Religioſitatis,
Flos ſanctitatis,
Decor totius honeſtatis,
Lux devotionis,
Lux orationis,
Lux contemplationis,
Exemplum fratrum tuorum,
Exemplum Religionis,
Exemplum virtutum omnium,
Templum Spiritus Sancti,
Protector ad te clamantium,
Protector tui Ordinis,
Patriarcha monachorum,
Pater tuorum devotorum,
Reſuſcitator mortuorum,
Operator Miraculorum,
Aſſecla Patriarcharum,
Compar Prophetarum,
Sectator Apoſtolorum,
Similis Martyrum,
Gemma Abbatum,
Imitator Anachoretarum,
Gloria Confeſſorum,
Conſors Virginum,
Collega Sanctorum omnium,
Victor & Triumphator mundi,

Ora pro nobis,

Propitius eſto: Parce nobis, Domine.
Propitius eſto: Exaudi nos, Domine.
A prævaricatione mandatorum, tuorum, libera nos Domine.

A transgreſſione votorum noſtrorum,
Ab incurſu omnium malorum,
Per ſanctam converſionem ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti,
Per exemplarem vitam ejus,
Per ſanctam paupertatem ejus,
per ardentiſſimam charitatem ejus,
Per mundiſſimam caſtitatem ejus,
Per profundam humilitatem ejus,
Per ferventiſſimas orationes ejus,
Per ſancta Jejunia ejus,
Per ſancta ſilentia ejus,
Per admirabilem abſtinentiam ejus,
Per merita & intercesſiones ejus,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos,
Ut perfectum amorem tuum in nobis conſervare digneris,
Ut perfectam mortificationem ſenſuum & propriæ voluntatis noſtræ nobis donare digneris,
Ut veram converſionem morum ſecundùm regulam Sanctiſſimi Patris noſtri nobis largiri digneris,
Ut diſciplinam monaſticam in nobis augere & conſervare digneris,
Ut continuum in virtutum acquiſitione profectum nobis concedere digneris,
Ut Ordinem noſtrum amplificare & tueri digneris,
Ut perſeverantiam in tuo ſancto ſervitio nobis donare digneris,

Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Ut hæc numiſmata benedicere tuâ pietate digneris,
Ut hæc ſigna prohibeant acceſſum ſagis ad locum, in quo reponentur,
Ut animalibus veneficio aut maleficio afflictis remedium exhibeant,
Ut cruces iſtæ morbos ope dæmonis inflictos cum omnibus maleficiis & ligaturis expellant,
Ut tentationes, ſpectra & inſidiæ latentis inimici per auxilium miſericordiæ tuæ abigantur,
Ut maledicti dæmones ab humanis corporibus in virtute benedictionis ſanctiſſimi Patris Benedicti procul pellantur,
} Te rogamus audi nos.

Pater DEUS piiſſime, Te rogamus &c,
Fili DEUS dulciſſime, exaudi nos Domine.
Spiritus Sancte DEUS benigniſſime, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte axaudi nos.
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Pater noſter.

Ora pro nobis S. Pater Benedicte. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

EXcita Domine in Eccleſia tua ſpiritum, cui beatus Benedictus Abbas ſervivit: ut eodem nos repleti ſtudeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit.

DEUS, qui nos à ſæculi vanitate converſos ad bravium ſupernæ vocationis accendis, peccatoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam no-

nobis, quâ in te perſeveremus, infunde: ut profectionis tuæ muniti præſidiis, quod te donante promiſimus, impleamus, & noſtræ profeſſionis executores effecti, ad ea, quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Lectio Libri Regum.

HAbitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus: Nunciatúmque eſt Regi David, quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia ejus propter Arcam DEI. Dixítque David: Ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam. 2. *Reg.* 6.

Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autèm, qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, DEI virtus eſt. 1. *Cor.* 1.

Domine, fac mecum, ſignum in bonùm, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tù, Domine, adjuviſti me, & conſolatus es me, *Pſalm.* 65.

Ponam te quaſi ſignaculum. *Agg.* 2.

Signum habentes ſalutis ad commemorationem. *Sapientiæ.* 16.

Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi reſpicerent, ſanabantur.

℣. Adjutorium noſtrum, in nomine Domini. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123.

℣. Domine exaudi. &c. Et clamor meus ad te veniat. *Pſalm.* 101.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

ROgamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ut intercedente ſanctiſſimo Patre noſtro Benedicto digneris bene✝dicere hoc ſignum Crucis, ut ſit remedium ſalutari generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio, ac tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum.

Oremus.

BEne✝dic, Domine, hanc crucem tuam, per quam eripuiſti mundum à dæmonum poteſtate, & ſuperâſti S. paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem.

Hìc aſpergatur aquâ benedictâ, & dicat:

Sanctificetur hoc ſignum crucis in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs✝ſancti, ut orantes ante iſtam crucem, portantéſque illam inveniant corporis & animæ ſalutem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

27.

Benedictio Olei ſimplicis, quod adhiberi poterit modo infra memorando.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, creatura Olei, per DEUM Patrem✝ omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, & omne

 Phan-

Digitized by Google

phantaſma ſatanæ eradicare & effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo uſuri ſunt, ſalus mentis & corporis in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & JEſu ✠ Chriſti, Filii ejus, Domini noſtri, & Spiritûs ſancti ✠ Paraclyti, & in charitate ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, cui adſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſervitium ſpirituale cognoſcitur, dignare, reſpicere, & bene✠dicere & ſanctificare ✠ hanc creaturum olei, quam ex olivarum ſucco eduxiſti, & ex eo infirmos inungi mandâſti, quatenus ſanitate perceptâ tibi Deo vivo gratias agerent: præſta quæſumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in nomine tuo bene✠dicimus, uſi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis inſidiis inimici liberentur, & cunctæ adverſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo ſanguine Filii tui redemiſti: ut nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum.

Aſpergat oleum aquâ benedictâ.

Applicatio olei. Oleo præfato benedicto in modum Crucis inungenda ſunt Numiſmata ſub pronuntiatione horum verborum:

Per interceſſionem ſanctiſſimi Patriarchæ Bene-

ne-

nedicti accipiant hæc Numiſmata virtutem repellendi dæmones, & omnes inſidias eorum in nomine Pa✠tris & Filii ✠ & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

28.

Benedictio olei miræ virtutis contra quaſcunque infirmitates & præſtigia diaboli.

Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus, ſtans ante Altare, in quo eſt SS. Sacramentum, dicit à cornu Epiſtolæ.

Antiph. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & oſculatus eſt eum.

Pſalmus.

Audite cœli, quæ loquor &c. *qui habetur in Sabbatho ad laudes.*

Lectio libri Levitici c. 2.

ANima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, fundétque ſuper eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes: Quorum unus tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare, in odorem ſuaviſſimum Domino. Quod autem reliquum fuerit de Sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Cùm autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila, panes ſcilicet absque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ oleo, & absque fermento, divides eam mi-

minutatim, & fundes ſuper eam oleum. Sin autem de craticula fuerit ſacrificium, æquè ſimila oleo conſpergetur: quam offerens Domino trades manibus ſacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper altare in odorem ſuavitatis Domino. ℟. Deo gratias.

Antiphona. Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Et concidam à facie ejus inimicos ejus: & odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo: in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Lectio Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli.

INfirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua. ℟. Deo gratias.

℣. Paraſti in conſpectu meo menſam, adversùs omnes, qui tribulant me. Impinguâſti oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et

Digitized by Google

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

à cornu Evangelii dicitur

Dominus vobiſcum &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore, ſuſpiciens JESUS dixit: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones: qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam deſcenderet eâdem viâ, & viſo eo præteriit: ſimiliter autem & Levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit, Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum: & videns eum miſoricordiâ motus eſt, & appropians aligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens eum in jumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. Et alterâ die protulit duos denarios & dedit ſtabulario, & ait: curam ejus habe, & quodcunque ſupererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi.

℟. Laus tibi Chriſte.

Sacerdos oſculato libro vadit ad cornu Epiſtolæ.

29.

Benedictio Evangeliorum S. Joannis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, te ſuppliciter deprecamur, ut bene✠dicere, & ſancti✠ficare digne-

digneris hæc ſancta Evangelia, in tui nominis honorem per dilectum tuum Apoſtolum Joannem Evangeliſtam, dictante Spiritu ſancto conſcripta, ut meritis ſacratiſſimæ Incarnationis tuæ, interceſſione ejusdem beatiſſimi Evangeliſtæ tui, quicunque eis uſus fuerit, vel cum reverentia ſuper ſe portaverit: ſalutem animæ & corporis à te recipiat, & à viſibilium atque inviſibilium inimicorum inſultibus præſervari mereatur. Qui vivis &c.

Et Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper hæc Evangelia, & maneat ſemper.

Aſpergantur aquâ benedictâ, & incenſentur.

30.

Benedictio & Exorciſmus Chartæ contra dæmones, & ſpectra, quæ infeſtant, & vexant homines, vel jumenta, vel domos &c.

Accipe chartam, eámque exorciza & benedic hac formula:

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorciſmus Chartæ.

EXor✝cizo, & conjuro te, Charta, per titulum Domini noſtri Salvatoris (JESUS Nazarenus Rex Judæorum) per omnia verba & nomina, quæ de creatore omnium creaturarum dicuntur, & per eum, qui tribuere, & facere poteſt, ut omnia, quæ in te ſcribentur ad effectum ſalutis æternæ perducere valeas, & ut omnis fallacia, & virtus diaboli exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta ſine mora in

in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs✝ ſancti, Amen.

Aſpergitur aquâ benedictâ, & in ea ſcribantur ſequentia verba in modum crucis.

J.
N.✝R. Qui verbum Caro factum eſt, & habitavit
J. in nobis, naſcens ex MARIA Virgine, per ineffabilem pietatem, & miſericordiam ſuam piiſſimam, & per interceſſionem B. Virginis MARIÆ, Angelorum, Sanctorúmque omnium, & maximè Apoſtolorum, & Evangeliſtarum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis & ſancti N. Martyrum, virginum & viduarum, ipſum quæſo, ut dignetur me liberare, & conſervare ab omni infeſtatione Satanæ & miniſtrorum ejus. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat &c. Amen.

Deinde accipiatur ſal exorcizatum, & benedictum, item modicum ceræ de cereo paſchali, vel alterius benedictæ & ruta benedicta, & omnia aſperſa per aquam benedictam, ponantur in prædicta Charta benedicta complicata, & ſuſpendatur in collo patientis vel in loco vexato & infeſtato & DEI gratia conſervabit.

31.

Benedictio & Exorciſmus chartæ pro Agnus DEI, vel aliis rebus ſanctis ad fugandum diabolum, & deſtruendum maleficium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Exor-

Exorciſmus.

EXorcizo te, creatura chartæ, quæ in uſum humani generis ad referandum etiam magnalia de lege Domini digna viſa es, & per divinam voluntatem chartæ conjugii à Raphaele inter Tobiam & Saram celebrati; in quo etiam opere Angelico diabolus extitit victus, per Dominum Deum univerſi, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, qui extendit cœlum ſicut pellem, in qua cœleſtibus ſplendoribus quaſi characteribus ſcribens, cælos facit ſuam gloriam enarrare, ut bene✝dicaris, & ſancti✝ficeris ad omne opus diaboli deſtruendum, ſive illud præſentiæ, ſive potentiæ, ſive maleficii, ut quicunque te ſacris rubus reſperſam, vel ſacram rem concludentem ſuper ſe portaverit, ab omni infeſtatione diabolica liberetur per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Oremus.

DOmine, potens in prælio, Deus ultionum, & Pater patrum noſtrorum, qui per Moyſen & Prophetas antiquorum voluminum ſcriptores, etiam divinæ tuæ bonitatis myſteria divinitùs revelâſti, & per SS. Evangeliſtas & Apoſtolos tuos novi teſtamenti Filii tui paginam ſcribi voluiſti: quique per Jeremiam Prophetam tuum, cadaver Joachim Regis Juda projiciendum ad æſtum per ſolem, & ad gelu per noctem eidem nunciâſti, quoniam tres pagellas vel quatuor cum Juda legiſſet in libro à Baruch filio Neri ex ore Jeremiæ ſcripto, eundem in ignem injecit, atque comburi fecit: bene✝dicere & ſancti✝ficare digne-

digneris hanc chartam, ut quicunque eam vel ſacris ſcriptam, vel ſacra concludentem ſuper ſe portaverit, ita miſericordiam tuam gaudeat adfuiſſe, ut & ipſe ſatanas & ab ipſo immiſſæ oppreſſiones tam maleficiorum, quàm incantationum omnium confundantur, conterantur, amoveantur, & in infernum dejiciantur. Per te DEUS Trine in perſonis, unus in eſſentia, æqualis vivens in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

32.

Benedictio Atramenti.

BEnedic Domine, hoc atramentum benedictione ✝ cœleſti, & aſſiſtat ſuper illud virtus Spiritûs ſancti, ut ubicunque uſurpabitur, longè recedat virtus inimicorum, umbra phantaſmatum, incurſio maleficiorum, percuſſio diabolicæ artis, omnis ſpiritus ſagarum, téque ipſum omnipotentem deprecamur, qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

33.

Benedictio Chartæ & Atramenti.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS Abraham, DEUS Iſaac, DEUS Jacob, qui in dilectiſſimi Filii tui titulo triumphali Sanctæ crucis (JEſus Nazarenus, Rex Judæorum) ſcribi voluiſti, ipſiúsque JEſu nomen in corde

S. Ignatii literis aureis ſcripſiſti, quæſumus, ut hanc creaturam chartæ & atramenti benedicere † & ſanctificare ✝ digneris, ut, qui orationes vel ſancta nomina ſuper ea ſcripta devotè portaverit, vel ſi in plumis laneis, vel paleis, vel lectis, domibus & indumentis, vel in quibusvis locis collocata fuerint non poſſint latitare dæmones, ſed adſtricti dare ſignum reale ſuæ potentiæ, & contra dæmones ſint armaturæ ſanctæ, & benedictæ, potentes ad deſtructionem cunctorum maleficiorum, incantationum, ligationum, ſignaturarum, facturarum, faſcinationum, & omnium inimicorum inviſibilium, nec habeant poteſtatem inquietandi, vel perturbandi creaturas tuas ſanguine pretioſiſſimo Filii tui redemptas, ut poſſint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, ac alia naturalia liberè exercere: ideo exorcizo te ✝ chartam & atramentum, benedico † & ſanctifico ✝ te, per eum, qui dixit Moyſi: ſcribe hoc in libro, & trade auribus Joſue: delebo enim memoriam Amalech ſub cælo, per eum, qui ipſemet Moyſi præcepit, ut ſcriberet in tabulis verba fœderis decem: & Tobiæ, ut accepta charta faceret conſcriptionem conjugii. Per ipſum JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ

34.

Exorciſmus ſupra atramentum.

EXorcizo te, creatura atramenti, in nomine Patris † & Filii ✝ & Spiritûs † ſancti, ne commu-

mune ſis ulli ſpiritui immundo, ſed dabis honorem viventi atque regnanti Patri †, & Filio †, & Spiritui † ſancto, ubicunque uſum vel per te ſcriptum fuerit, ſpiritus mox ab eo loco recedat, atque idcircò ſanctifico † te, creatura atramenti, in nomine JEſu Chriſti Nazareni, Filii DEI vivi, Regis & Judicis noſtri, ut ſis purgatio & ſanctificatio hominum, quos DEUS ad ſuam ſanctam gloriam vocare dignatus eſt, te invoco, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ut hoc atramentum exorcizare † & benedicere † atque ſanctificare † pro tua pietate digneris, ut omnis immundus ſpiritus locum in eo ultrà non habeat, ſed ubicunque uſum, & ex eo ſcriptum fuerit, Angelorum tuorum ibi deſcendat exercitus. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Dicatur poſtea Pſal. 67. Exurgat DEUS, & diſſipentur &c. ex fer. 4.

Pſal. 90. Qui habitat in adjutorio altiſſimi &c.

Pſal. 58. Eripe me de inimicis meis &c.

Litaniæ de omnibus Sanctis.

35.

Exorciſmus Calami.

EXorcizo te, creatura calami, in nomine Patris † & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, ut per hanc Exorcizationem individuæ Trinitatis, ac unius

virtutis Deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſærii, omnis malitia diaboli, omnis violenta incurſio, omne confuſum, & cæcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc calamo, ut omnis, qui eo uſus fuerit, & ſcripſerit, fiat per divinam omnipotentiam ſanus ab omni maleficio diabolico, nec poſſit illi nocere ulla nequitia malignorum ſpirituum; dignare ergo, Domine, pro tua pietate hunc calamum benedicere ✝ & ſanctificare, ut quicunque ex eo ſcripſerit, ſit punctus dolore pœnitentiæ, & ab eo eradicentur facturæ, maleficia, incantationes, tumores, dolores, & ligationes quomodolibet factæ contra creaturas Dei, ſit deſtructio omnium operum ſatanæ in nomine immaculatæ Conceptionis B.M.V. ſancti Antonii de Papua, & ſancti Ubaldi, benedico ✝ & ſanctifico hujus calami virtutem ad obſeſſos liberandos, ad reſtituendam valetudinem, ægrotantibus ſanitatem, ad extinguenda venena, tumores & dolores, ad reſtituendum conjugii amorem, & ad depellenda & comprimenda omnia adverſa & noxia, & quicunque per hunc calamum ſcriptus uteretur, ab omni languore & infirmitate ſanetur, & ab omnibus inſidiis inimici liberetur, Amen.

Oremus.

MUltiplica, ô æterne DEUS, benedictones tuas ſuper hunc calamum ſicut ſtellas cœli, dum ego N.N. indigniſſimus Sacerdos per JEſum Chriſtum benedico ✝ & ſanctifico ✝ hujus calami characteres, deſtruo omnia maleficia, languores & dolores, & vexationes diabolicas, atque irrito omnes actio-

actiones demonum, malignorum ſpirituum, atque ſagarum. In nomine Patris ✠ & Filii ✠, & Spiritûs ✠ ſancti, Amen,

36.

Exorciſmus alius ſupra calamum.

Itaque adjuro te, creatura calami, iterum per ſeptiformem ſpiritum Dei vivi, adjuro te per novem Ordines Angelorum, adjuro te per vocem tonitrui coruſcantis tremendi cœleſtis Regis, adjuro te per lignum ſanctæ crucis & per tres clavos, & per ſanguinem pretioſiſſimum in cruce effuſum, adjuro te per omnia merita paſſionis Chriſti, adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meæ, adjuro te per ſeptem verba Chriſti, in cruce prolata, adjuro te per verbum hoc (*verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*) ut expellas mox omnem umbram, omnes ſatellites adverſariorum, machinationes diaboli, ſive ſpirituum immundorum, ſive damnatorum, ſive errantium, ſive invocationes magicæ artis, ſive præcantatorum argumenta, ſive draconum & omnium volucrum, vel viperarum, quod imperat tibi DEUS & Dominus JESUS Chriſtus, Filius DEI vivi, quòd mox, ut qui hanc calamum uſurpaverit, & in ſchedula verba ſcripta ſacra ſcripſerit, in nomine DEI Sabaoth, ſive homines, ſive domus, ſive pecora vel quæcunque animantia, ſive vineæ, ſive ſeminati agri, aut campi, ſive qualiscunque creatura univerſalis, ſive qualiscunque locus per hunc calamum ſcriptam ſchedulam & ſacra no-

Digitized by Google

nomina, & characteres ſcriptos ſumpſerit, ab homine in ægritudine detento, maligni ſpiritûs infeſtatione percuſſo, mox expellas & excludas omne maligum, ut poſſit homo velociùs ſalvus fieri per virtutem Domini noſtri JEſu Chriſti, quia neque dici, neque ſcribi, neque cogitari poteſt, cui nomen DEI eſt, tu autem, Domine, qui per divinam voluntatem Moyſi & Prophetis antiquorum voluminum ſcriptoribus etiam divinæ bonitatis myſteria divinitùs revelâſti, & per Evangeliſtas & Apoſtolos novi teſtamenti Filii tui paginas ſcribi voluiſti, benedicere † & ſanctificare † digneris hunc calamum, ut quicunque vel ſacris nominibus per iſtum calamum ſcriptos characteres, & verba ſacra concludentem ſuper ſe geſtaverit, vel potu aut liquore ſumpſerit, ut ab ipſo ſatanæ oppreſſiones, & maleficiorum omnium turbines evaneſcant. Per JEſum ſanguine in monte Oliveti manantem, flagellatum, ſpinis coronatum, & crucifixum, & agonizantem & mortuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

VEre ſanctus, verè benedictus atque metuendus, & adorandus es Domine DEUS noſter, ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis, ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orare decrevit, dicens: Pater noſter &c. Sed libera nos à malo, Amen.

Libe-

Digitized by Google

LIbera nos, quæſumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris, libera nos, quæſumus, Domine, famulos tuos & famulas tuas à gladio, à fame, à fraude & tentatione diabolica, à percuſſione ſæculi, ab infirmitatibus malis, per liberatorem & redemptorem noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

37.

Benedictio ſuper chartam, atramentum & calamum.

OMnipotens æterne DEUS, qui dediſti Sacerdotibus poteſtatem ſuper ſerpentes & ſcorpiones, invocamus nomen ſanctum tuum potentiſſimum, terribile & formidabile, ſuper Chartam hanc, atramentum & calamum, quem benedicere † conſecrare † virtutem potentiæ tuæ infundere † digneris, qui es Dominus Exercitium, Dominus fortis & potens in prælio, & ſicut miſiſti Angelum de cœlo, qui catenâ magnâ apprehendit draconem magnum, antiquum, qui eſt diabolus, ſatanas, & ligavit eum per annos mille ne ſeducat gentes, ſic mittere digneris. Michaelem Archangelum, principem militiæ cœleſtis, ut dæmones creaturas pretioſo ſanguine redemptas vexantes ad uſum & ſcriptionem, ſumptionem aut potationem ita liget, ut eorum manus & pedes ſint compedibus aggravati, ut tuis miniſtris ſeſe adeſſe publicent, obedientiam præſtent, eorum pareant præceptis: ut creaturas

tuas, famulum vel famulam N. N. ſtatim relinquant, & in ſumptione hujus benedictæ ſchedulæ ſcriptæ, cum pavore, gemitu, mœrore, fletu, terrore & formidine in nomine ſancto tuo ad exeundum, & ſanum relinquendum hominem ſint adſtricti.

BEnedico igitur has tres materias: conſecro ✝ & ſuper has potentiam divinam invoco ✝, ut ſit materia fletûs ✝, materia conculcationis ✝, materia terroris ✝, materia formidinis ✝, materia gemitus & doloris ✝, omnibus dæmonibus humana corpora vexantibus, ita ut ſicut JEſus Chriſtus in cruce poſuit frænum lucifero, & ſuis ſequentibus, ſic, ô ſacra materia, ſis frænum dæmonibus ſuper frænum equi, muli, aſini, & omnium jumentorum, & ut ad tuum uſum adeſſe ſuum in continenti relinquant, nec ullo aut quovis modo vexare valeant. Sis, ô materia benedicta, frænum fortiſſimum & oriſcipula, in ore & labiis & maxillis eorum, potens, & terribilis, refrænans & expellens ſuperbos, ut mox cedant & cadant in conſpectu noſtro invocato Nomine omnipotentis DEI, ſicut ceciderunt muri in Jericho, ſis materia quaſi catena contexta operibus mirabilibus, & vinculis fortiſſimis tanquam manus potens, & fortis. Dominus exercitium ſuper ſuperbiam & arrogantiam eorum, ſis quaſi catena per merita hujus ſanctæ ✝ Crucis Domini noſtri JESU Chriſti. Sis catena triplex per virtutem Sanctorum trium clavorum Chriſti, ſis catena quintuplex, per merita quinque plagarum Chriſti. Sis materia quaſi catena ſeptuplex, per ſeptem verba dicta à Chriſto in cruce

Sis

Digitized by Google

Sis materia quaſi catena multiplex per flagella dura Chriſti, ſis frænum ſanguinis exeuntis de latere Chriſti omnibus ſpiritibus immundis, ut cum timore mox à creatura humana vexata ad abyſſum inferni deſcendant, ad hujus ſacræ materiæ uſum & ſumptionem, ad hominem vexatum relinquendum ſint adſtricti, nec ſit, qui auxilium præſtet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Iterum benedico ✝ vos tres materias per eum ✝, qui juſſit fieri in rationali catenas aureas ex auro puriſſimo, per eum ✝, qui confregit catenas cervicum inimicorum, per eum ✝, qui in camo & fræno maxillas dæmonum conſtringit, ne quemquam impoſterum ullo modo lædere valeant, per eum ✝, qui ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulat, & conculcat leonem & draconem, per eum ✝, qui diſſipat gentes, quæ bella volunt, per eum ✝, qui juſſit ligare hominem non habentem veſtem nuptialem, & in tenebras exteriores mitti, per eum ✝, qui facit mirabilia ſolus, per eum ✝, qui fuit à Judæis captus, ligatus, flagellatus, conſputus, ſpinis coronatus, & in cruce confixus, occiſus: per omnia ✝, quæ fecit, dixit & adimplevit Chriſtus, ut ſis materia benedicta ✝, conſecrata ✝ ad damnandam ſuperbiam & arrogantiam obſtinatorum dæmonum, ita, ut ad uſum & ſumptionem maleficia ſua proſternant, hominem innoxium relinquant, tandem fugiant, ad laudem DEI omnipotentis, ſalutem hominum, & omninm dæmonum confuſionem, in nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti.

SUper vos iterum invoco virtutem duplicis catenæ Divi Petri Apoſtoli, Principis Apoſtolorum, cui & collegis ſuis potiſſimum data eſt à DEO & Domino virtutum poteſtas calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & dæmonia ejiciendi, liberaque facultas & authoritas ligandi & ſolvendi animas fidelium à peccatorum nexibus, & per catenas & vincula, quibus ligati ſunt ſancti DEI Martyres, dum teſtimonium perhibentes JESU CHRISTI verbera & ſupplicia à tyrannis, tormenta, paſſiones & mortem fortiter ſuſtinebant, ut hæredes fierent in domo DEI: ut dæmonum ſeu dæmones, maleficia, & faſcinationes, atque artes magicas N. famulum vel famulam DEI vexantes, liget, in nomine Patris † omnipotentis, im nomine JESU † CHRISTI ſalvatoris noſtri, & in nomine Spiritûs † ſancti paracliti, & hanc creaturam DEI, à laqueis cunctis ſpirituum malorum, & eorum ligaturis & vinculis univerſis, per virtutem ſanctæ † Crucis penitus abſolvas, es enim ut Sacerdotale ornamentum, es velut funda David contra Goliath, es lorica ſacrorum DEI miniſtrorum, & aurea torques & monile agri aurei velleris Regis ſæculorum, es denique ea, quæ omnia vincula dæmonum disrumpis, per nomen JESU CHRISTI Nazareni, & nobis ſis materia benedicta, jucunditatis, candoris & innocentiæ, atque immortalitatis. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

38. Be-

38.

Benedictio ſagittarum S. Sebaſtiani, vel aliorum ſignorum alicujus Confraternitatis, vel Sancti.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in ſæculum.
℣. Domine exaudi &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, largitor bonorum omium, ſalus & vita noſtra, te ſupplices exoramus, & petimus, ut has ſagittas (vel hæc ſigna, &c.) quibus Domini Redemptoris noſtri, in cruce pro nobis pendentis ſignum, & imago intemeratæ V. Deiparæ MARIÆ, & S. Sebaſtiani Mart. (vel alterius Sancti) impreſſa eſt, bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris, ut qui has ſecum devotè geſtaverint, vel domi aſſervaverint, per merita ſanctiſſimæ MARIÆ, & per interceſſionem S. Sebaſtiani (vel aliorum Sanctorum) ab omni peſtifera lue, ab omni morbo contagioſo & ab omnibus inimicorum inſidiis præſerventur, & corporis & animæ ſanitatem continuam conſequantur. Per Dominum noſtrum, JEſum Chriſtum, Filium tuum, verum animarum noſtrarum corporúmque medicum. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergantur omnia,

39.

Benedictio Imaginis, Numiſmatis, vel monetæ effigie S. Georgii inſignitæ.

℣. Adjutorium noſtrum. *Ore-*

Digitized by Google

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, largitor bonorum omnium, ſalus & vita noſtra, te ſupplices exoramus, & petimus, ut hanc monetam &c. cui imago S. Georgii M. tui impreſſa eſt, bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris, ut qui eam devotè geſtaverint, vel domi aſſervaverint, per merita & interceſſionem S. Georgii ab omni graviori corporis lapſu præſerventur, ejúsque, uti & animæ, ſanitatem continuam conſequantur: Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, veram animarum noſtrarum corporúmque medicinam. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Am.

Aſpergatur.

40.

Benedictio Cinguli Militiæ Angelicæ S. Thomæ Aquinatis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Filii Dei vivi, puritatis amator & cuſtos, obſecramus immenſam clementiam tuam: ut ſicut miniſterio Angelorum ſanctum Thomam Aquinatem cingulô caſtitatis cingere, atque à labe corporis ac animæ præſervari feciſti: ita ad honorem & gloriam ejus bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris cingulum iſtud, ut, quicunque illud circa renes reverenter portaverit ac tenuerit, ab omni immunditia mentis & corporis purificetur, atque in exitu ſuo per manus ſanctorum

rum. Angelorum tibi digne præſentari mereatur. Qui cum Patre & Spiritû ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergat cingulum aquâ benedictà, & poſtulanti ſequenti oratiunculâ diſtribuat:

Præcingat te Dominus JEſus Chriſtus cingulô caſtitatis, & meritis ſancti Thomæ Aquinatis, extinguat in lumbis tuis omnem humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ & caſtitatis, Amen.

Si plura ſimul benedicenda ſint, dicantur omnia in plurali.

41.

Benedictio Capſarum pro Reliquiis & aliis ſanctuariis includendis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

OREmus, dilectiſſimi, nobis Deum Patrem omnipotentem, ut, qui omnia per unigenitum Filium ſuum in virtute Spiritûs S. valde bona creavit, ipſe nobis indignis ad conſecrationem & benedictionem harum Capſarum reliquiis Sanctorum ſuorum recondendis paratarum, rorem gratiæ ſuæ clementer infundere dignetur. Per eundem Dominuum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium ſuum, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus.

Deinde manibus junctis ante pectus dicitur Præfatio.

Per omnia ſæcula ſæculolum.
℟. Amen.

℣. Do-

Digitized by Google

℣. Dominus vobiſcum.

℣. Surſum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domine Deo noſtro.

℟. Dignum & juſtum eſt.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine S. Pater omnipotens, æterne Deus ineffabilis Deus miſericordiam, & Deus totius conſolationis; Qui Moyſi famulo tuo præcipiſti, ut juxta exemplar, quod ei in monte demonſtrâſti, Arcam de lignis imputribilibus conſtrueret, & eam auro mundiſſimo circumdaret, in qua vaſa aurea mannâ cœleſti plena, cum tabulis Teſtamenti, digito Majeſtatis tuæ conſcripis, in teſtimonium futuris generationibus ſervari deberent: quique noſtris ſæculis, eadem ſacratiùs intelligenda manifeſtâſti: dum corpus unici Filii tui, ope Spiritûs S. de incorrupta Virgine conceptum, & anima rationali vivificatum omni plenitudine refudiſti: Te ſuppliciter imploramus, omnipotens Deus, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut hæc vaſcula Sanctorum tuorum honoribus præparata, eisdem ſanctis tuis intercedentibus, cœleſti bene✠dictione perfundere digneris: quatenus, qui horum patrocinia requirunt, ipſis intercedentibus, cuncta ſibi adverſantia te adjuvante ſuperare, & omnia commoda profutura, abundantiâ largitatis tuæ mereantur invenire, & ſicut illi, te inſpirante, ſpiritualium

tualium nequitiarum verſutias cavere, & humanitus exquiſita tormenta, non ſolùm contemnere, ſed etiam penitùs evincere, Chriſto Domino confortante, potuerunt; ita ipſorum merita venerantibus, & Reliquias humiliter amplectentibus, contra diabolum & angelos ejus, contra fulmina, fulgura, & tempeſtates, contra corruptum aërem, & morbos hominum, vel animalium, contra malarum beſtiarum, & ſerpentium diverſiſſimas formas, contra malorum hominum adinventiones peſſimas, eorundem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ, ad depurgationem nocivorum, & defenſionem proficuorum ſemper & ubique propitius oſtende. Per eundem Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, qui, ut murmur inſani populi compeſceres, & ſacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam ejus aridam germinare, & flores fructiferos producere feciſti: eamdémque in arca Teſtamenti pro ſigno virtutis tuæ poni juſſiſti: ſed & nobis eodem præſagio Chriſtum in ara crucis arefactum, citiſſima Reſurrectione refloreſcere, & in Eccleſia noviſſimo tempore reſuſcitanda per mortem ſuam, die ac nocte fructificare demonſtrâſti; Te, quæſumus, indulgentiſſime generis humani proviſor, ut hæc vaſcula Sanctorum tuorum receptaculo præparata, ita gratiâ tuâ ſanctifices, ut ubicunque in tuo nomine prolata

lata fuerint intercedentibus Sanctorum tuorum meritis, cuncta adverſa depellas & nullifices, & omnia utilia multiplices, atque cuſtodias: quatenus fideles tui, magnitudine ſine univerſitate beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integrata Sanctorum corpora ſe percepiſſe gratulentur, & per temporalia loca ipſorum precibus impenſa, ad æterna cum eis gaudia poſſidenda fiducialiùs animentur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur.

CAPUT TERTIUM.

Benedictiones Veſtium ſacerdotalium & aliorum ad cultum divinum ſpectantium.

I.

Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere à Superiore Regulari, vel alio Privilegium habente.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui per Moyſen, famulum tuum, Pontificialia atque ſacerdotalia ſeu levitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, & ad decorem ſeu laudem nominis tui, fieri decreviſti, adeſto propitius invocationibus noſtris: & hæc in-

indumenta ſacerdotalia deſuper gratia tua irriganti benedictione, per noſtræ humilitatis ſervitutem, puri†ficare, bene†dicere & conſecrare † digneris: ut divinis cultibus, & ſacris miniſteriis apta & benedicta exiſtant. Hiſque ſacris veſtibus ſacerdotes, ſive levitæ tui induti, defenſi & muniti ab omnibus impulſionibus, ſeu tentationibus malignorum ſpitituum, eſſe merantur, tuiſque miniſteriis aptè, & condignè ſervire, & inhærere, atque in his placidè & devotè perſeverare, tribue. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia Oratio.

DEUS, invictæ virtutis auctor, & omnium rerum creator, & ſanctificator, intende propitius ad preces noſtras, & hoc orarium, ſeu amictum, albam, cingulum & manipulum, ſtolam, planetam, ac pluviale, ſtrictam, & dalmaticam leviticæ ſeu ſacerdotalis gloriæ miniſtris tuis ferenda, tuo proprio ore benedi†cere, ac ſancti†ficare digneris, omnéſque eis utentes tuis miniſteriis aptos, & tibi in eis devotè, ac laudabiliter ſervientes, gratos effici concedas, & nunc, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia Oratio.

DOmine DEUS omnipotens, qui veſtimenta Pontificibus, ſacerdotibus & levitis in uſum tabernaculi fœderis neceſſaria, Moyſem famulum tuum facere juſſiſti, eúmque ſpiritu ſapientiæ ad id perágendum repleviſti, hæc veſtimenta, in uſum, & cultum miniſterii tui præparata, ſanctificare † be-

nedicere ✠ & conſecrare ✝ digneris, atque miniſtros altaris tui, qui ea induerint, ſeptiformi Spiritûs ſancti gratiâ dignanter repleri, atque caſtitatis ſtolâ præcinctos beatâ facias cum bonorum fructu operum miniſterii congruentis immortalitate veſtiri. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c.

Poſtea aſpergantur.

2.

Benedictio Amictûs.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

IMmenſæ pietatis, plenitudinis gratiarum infuſor DEUS, qui per os prophetæ tui dixiſti: expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam; plenitudinem gratiæ, & bene✝dictionis tuæ ſuper hunc amictum, quæſumus, propitiatus extende, ut omnes, qui eô uſi fuerint, perfectam, quam deſignat amictus, caſtigationem vocis & gulæ ſentiant, fiántque perfecta virtute decori, ut ex amictibus ipſis reddantur tibi Deo omnipotenti moribus & gratiâ ſpecioſi. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

3.

Benedictio Albæ.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, qui Aaron, & filios ejus, tunicis lineis in decorem & gloriam ſacerdotii indui præcepiſti, cum quibus ipſi

ſanctificati, tibi etiam in ſanctuario miniſtrarent; hanc, quæſumus, lineam tunicam tuæ virtutis ſanctificatione bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris: quatenus omnes, qui eâ induti in ſancto miniſterio ſuo uſi fuerint, digni fiant altaris tui miniſtri, ipſósque ſeptiformi gratia Spiritûs ſancti repletus, & caſtitatis zonâ præcinctos, facias cum miniſtris Angelicis immortalitatis fruitione veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

4
Benedictio Cinguli.

Oratio.

DEUS innocentiæ reſtitutor, & puritatis amator, qui utriusque teſtamenti patres lumbos ſuos præcingere inſtruxiſti: quo videlicet carnalem lumborum luxuriam diſcerent ſobrietate continentiæ coarctare; ſancti✝fica, & benedic ✝, quæſumus, Domine, cingulum iſtud, ut omnes, qui eô cincti fuerint, & ab æſtu voluptatum carnalium, refrigerium ſentiant, & Spiritûs ſancti rore perfuſi, quæ tua ſunt, mundo corde, & caſto corpore deſiderent, & ſectentur, Per Dominum noſtrum &c.

5.
Benedictio Manipuli.

Oratio.

DEUS, qui de fructu operum, terram ſatias, & ſecundùm opera ſua retribuis, & judicas unumquemque; manipulum iſtum, per quem fructus bonorum operum deſignantur, tuæ bene✝dictionis do-

dono ſancti✝fica, quatenus miniſtri altaris tui ipſo utentes manipulo, per bonorum operum fructum, digna ſe gaudeant aſſequi præmia meritorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

6.

Benedictio Stolæ.

Oratio.

INeffabilis benignitatis,& clementiæ DEUS,cujus jugum ſuave,onúsque leve eſſe, tu ipſe perhibes, quíque per os ſapientis, collum nos ſubjicere jugo tuæ ſapientiæ docuiſti; bene✝dic, quæſumus, & ſancti✝fica,ſtolam iſtam,jugum manſuetudinis præſignantem, ut ſacerdotes & levitæ tui, qui eidem ſtolæ humeros, & colla ſubmiſerint, ſuavitatis tuæ ſentiant lenitatem,quatenus inter illam magnam,& innumerabilem turbam,quam beatus Joannes vidit in conſpectu Agni ſtolis albis amictam, ſtolas ſuas lavare in ipſius Anni ſanguine mereantur: ac tanquam formoſi in ſtola ſua, & in multitudine ſuæ fortitudinis gradientes, ſtolâ induantur gloriæ æternaliter cum electis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

7.

Benedictio Caſulæ.

Oratio.

DEUS, fons bonitatis, & juſtitiæ, qui tui operis miniſtros ad extremum veſtimento, caſulæ, cujus munimine interius omnia tegerentur, veſtiri ſanxiſti, bene✝dic, quæſumus, & ſancti✝fica caſulam iſtam,

Digitized by Google

iſtam, & concede petitionibus noſtris, ut omnes hac caſulâ induti, enumeratis intùs omnium virtutum ornamentis vinculum perfectæ Charitatis ſuper omnia habeant, quô deſiderare, ,& quô proficere, te præſtante, valeant. Per Chriſtum &c.

8.

Benedictio Tunicellæ.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Moyſi famuli tuo levitica indumenta, quæ ad cultum ſanctuarii pertinent, facere præcipiſti; bene✝dic, quæſumus, hanc ſtrictam, ſeu Tunicellam, ut ſubdiaconatûs miniſteriis, quibus famuli tui decenter ſunt ornati, & virtutum percipiant incrementa, & vitiorum monſtra devitantes, ad te, qui via & veritas, & vita es, gratioſi valeant pervenire. Per Chriſtum &c.

9.

Benedicto Dalmaticæ.

Oratio.

DEUS omnipotens, bonarum virtutum dator,& omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ac petimus: ut mentibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hanc Dalmatiam digno cultui tuo præparatam, virtute ſancti Spiritûs bene✝dicere, ſancti✝ficare,& conſe✝crare digneris, & omnibus eam portantibus gratiam ſanctificationis ſacri miniſterii tui benignè concedas,ut in conſpectu tuo ſancti,& immaculati, atque irre-

prehenſibiles appareant, & auxilium tuæ miſericordiæ acquirant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

10.

Benedictio Pluvialis.

Oratio.

DOmine DEUS, Pater omnipotens, Rex ac magnificus triumphator, qui per ſanctos Patres noſtros, qui tibi in ſacerdotali Ordine placuerunt, diverſi generis ornamenta, & veſtimenta ſacerdotalia fieri & in his ornari ſacerdotes, tibi ſervientes, voluiſti, exaudi propitius orationem noſtram, & hanc Cappam, ſeu Pluviale, dextrâ tuâ ſanctâ bene✠dicere, & conſe✠crare digneris; quatenus hoc veſtimentum Miniſtris, & Levitis, Sacerdotibus, ac Pontificibus ad divinum cultum ornandum atque explendum proficiat, ſanctisque altaribus mundi, & ornati in hac veſte miniſtraturi irreprehenſibiles in actu, & dicto interiùs exteriùsque appareant, & tibi ſoli DEO puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ ſuæ, irreprehenſibiliter ſanctorum Patrum exempla ſequentes ſervire valeant, iisque ſacris miniſteriis ſecundùm tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis cœleſtis regni gloriam, cum omnibus nobis, ſibique commiſſis percipere mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

11.

Benedictio crucis, quæ ponitur ſuper veſtimentum.

BEne✠dic, Domine JESU Chriſte, hanc crucem, per quam eripuiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſu-

& ſuperâſti paſſione ſuggeſtorum peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Qui cum DEO Patre & Spiritu ſancto &c.

Alia Benedictio ejusdem.

SAncti✝fica, quæſumus, Domine, iſtud ſignaculum paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tu s obſtaculum, & credentibus in te efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum DEO Patre & Spiritu S. vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

12.

Benedictio Mapparum, ſive Linteaminum Altaris.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & hæc ſancta linteamina ſacri altaris uſui præparata bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris. Per Chriſtum &c.

Alia Oratio.

DOmine DEUS omnipotens, qui ornamenta & linteamina facere Moyſen ſervum tuum per quadraginta dies docuiſti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in uſum miniſterii tabernaculi fœderis, ſancti✝ficare, bene✝dicere, & conſe✝crare digneris hæc linteamina ad tegendum, involvendumque altare glorioſiſſimi Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, qui tecum vivit & regnat in

16.

Benedictio Tabernaculi, Vaſculi (id eſt) Ciborii, Monſtrantii & Lunulæ pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut vaſculum hoc pro corpore filii tui Domini noſtri JESU Chriſti in eo condendo fabricatum bene✝dictionis tuæ gratiâ ditare digneris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit.

17.

Benedicto Thuribuli.

Oratio.

DEUS, ad cujus ſepulchrum cum aromatibus in ſpecie animarum ſanctarum virtutes ſanctorum operum geſtantium diluculo mulieres veniſſe memorantur: & in cujus conſpectu Angelus, habens thuribulum aureum ſtetiſſe, & datis incenſis de orationibus omnium Sanctorum ante thronum Domini adoleviſſe, cœleſti juſſione divulgatur, adeſto propitius invocationibus noſtris, & hoc thuribulum cœleſti bene✝dictione perfunde, ut quicunque ex eo thimiamatis, vel thuris fragrantiam ſenſerint, tua donante immenſa clementia odores orationum ante conſpectum Majeſtatis tuæ per manus ſanctorum emittant Angelorum. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. DEUS &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.
BENEDICTIONES
pro hominibus.

I.
Benedictio Peregrinorum ad loca ſancta exeuntium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Poſteà ante Dominus vobiſcum *dicitur*

Antiph. In viam pacis: *& canticum.*

Benedictus Dominus DEUS Iſraël &c. cum Gloria Patri, *& repetitur*

Antiph. In viam pacis &c. *cum verſibus & orationibus, ſicut in itinerario in fine Breviarii & Diurnalis.*

Poſt quartam orationem, Præſta, quæſumus, *dicitur hæc Oratio:*

Exaudi, Domine, preces noſtras, & iter famulorum tuorum propitius comitâre, atque miſericordiam tuam, ſicut ubique es, ita ubique largire, quatenus à cunctis adverſitatibus tua opitulatione, & bene✠dictione defenſi gratiarum tibi referant actionem, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Pax & Bene✠dictio DEI omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, dicendo:

Procedatis in pace: In nomine Domini JESU Chriſti, Amen.

Si-

dono ſancti✠fica, quatenus miniſtri altaris tui ipſo utentes manipulo, per bonorum operum fructum, digna ſe gaudeant aſſequi præmia meritorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

6.

Benedictio Stolæ.

Oratio.

INeffabilis benignitatis, & clementiæ DEUS, cujus jugum ſuave, onúſque leve eſſe, tu ipſe perhibes, quíque per os ſapientis, collum nos ſubjicere jugo tuæ ſapientiæ docuiſti; bene✠dic, quæſumus, & ſancti✠fica, ſtolam iſtam, jugum manſuetudinis præſignantem, ut ſacerdotes & levitæ tui, qui eidem ſtolæ humeros, & colla ſubmiſerint, ſuavitatis tuæ ſentiant lenitatem, quatenus inter illam magnam, & innumerabilem turbam, quam beatus Joannes vidit in conſpectu Agni ſtolis albis amictam, ſtolas ſuas lavare in ipſius Anni ſanguine mereantur: ac tanquam formoſi in ſtola ſua, & in multitudine ſuæ fortitudinis gradientes, ſtolâ induantur gloriæ æternaliter cum electis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

7.

Benedictio Caſulæ.

Oratio.

DEUS, fons bonitatis, & juſtitiæ, qui tui operis miniſtros ad extremum veſtimento, caſulæ, cujus munimine interius omnia tegerentur, veſtiri ſanxiſti, bene✠dic, quæſumus, & ſancti✠fica caſulam iſtam,

iſtam, & concede petitionibus noſtris, ut omnes hac caſulâ induti, enumeratis intùs omnium virtutum ornamentis vinculum perfectæ Charitatis ſuper omnia habeant, quô deſiderare, ,& quô proficere, te præſtante, valeant. Per Chriſtum &c.

8.

Benedictio Tunicellæ.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Moyſi famuli tuo levitica indumenta, quæ ad cultum ſanctuarii pertinent, facere præcipiſti; bene✝dic, quæſumus, hanc ſtrictam, ſeu Tunicellam, ut ſubdiaconatûs miniſteriis, quibus famuli tui decenter ſunt ornati, & virtutum percipiant incrementa, & vitiorum monſtra devitantes, ad te, qui via & veritas, & vita es, gratioſi valeant pervenire. Per Chriſtum &c.

9.

Benedicto Dalmaticæ.

Oratio.

DEUS omnipotens, bonarum virtutum dator,& omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ac petimus: ut mentibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hanc Dalmatiam digno cultui tuo præparatam, virtute ſancti Spiritûs bene✝dicere, ſancti✝ficare,& conſe✝crare digneris, & omnibus eam portantibus gratiam ſanctificationis ſacri miniſterii tui benignè concedas, ut in conſpectu tuo ſancti,& immaculati, atque irre-

Digitized by Google

prehenſibiles appareant, & auxilium tuæ miſericordiæ acquirant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

10.

Benedictio Pluvialis.

Oratio.

DOmine DEUS, Pater omnipotens, Rex ac magnificus triumphator, qui per ſanctos Patres noſtros, qui tibi in ſacerdotali Ordine placuerunt, diverſi generis ornamenta, & veſtimenta ſacerdotalia fieri & in his ornari ſacerdotes, tibi ſervientes, voluiſti, exaudi propitius orationem noſtram, & hanc Cappam, ſeu Pluviale, dextrâ tuâ ſanctâ bene✠dicere, & conſe✠crare digneris; quatenus hoc veſtimentum Miniſtris, & Levitis, Sacerdotibus ac Pontificibus ad divinum cultum ornandum atque explendum proficiat, ſanctisque altaribus mundi, & ornati in hac veſte miniſtraturi irreprehenſibiles in actu, & dicto interiùs exteriùsque appareant, & tibi ſoli DEO puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ ſuæ, irreprehenſibiliter ſanctorum Patrum exempla ſequentes ſervire valeant, iisque ſacris miniſteriis ſecundùm tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis cœleſtis regni gloriam, cum omnibus nobis, ſibique commiſſis percipere mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

11.

Benedictio crucis, quæ ponitur ſuper veſtimentum.

BEne✠dic, Domine JESU Chriſte, hanc crucem, per quam eripuiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſu-

& ſuperâſti paſſione ſuggeſtorum peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Qui cum DEO Patre & Spiritu ſancto &c.

Alia Benedictio ejusdem.

SAncti†fica, quæſumus, Domine, iſtud ſignaculum paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tu s obſtaculum, & credentibus in te efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum DEO Patre & Spiritu S. vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

12.

Benedictio Mapparum, ſive Linteaminum Altaris.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & hæc ſancta linteamina ſacri altaris uſui præparata bene†dicere, & ſancti†ficare digneris. Per Chriſtum &c.

Alia Oratio.

DOmine DEUS omnipotens, qui ornamenta & linteamina facere Moyſen ſervum tuum per quadraginta dies docuiſti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in uſum miniſterii tabernaculi fœderis, ſancti†ficare, bene†dicere, & conſe†crare digneris hæc linteamina ad tegendum, involvendúmque altare glorioſiſſimi Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, qui tecum vivit & regnat in uni-

unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Poſtea aſpergatur.

13.

Benedictio linteaminis, quo tegendum & ſervandum eſt Corpus Dominicum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

OMnipotens ſempiterne DEUS, bene✝dic linteamen iſtud ad tegendum, involvendumque Corpus & ſanguinem Domini noſtri JESU Chriſti. Qui tecum vivit & regnat &c.

Aſpergatur.

14.

Benedictio Corporalium & Pallarum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum.

Oratio.

CLementiſſime Domine, cujus inenarrabilis virtus, cujus myſteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quæſumus, ut hoc linteamen tuæ protectionis bene✝dictione ſanctificetur ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſanguinem Filii tui Domini noſtri, JEſu Chriſti. Qui tecum vivit & regnat &c.

Alia Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, bene✝dicere, ſancti✝ficare & conſe✝crare digneris linteamen iſtud ad tegendum & involvendum corpus & ſanguinem Filii tui Domini Noſtri JEſu Chriſti. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Alia

Digitized by Google

Alia Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram bene✝dictionem hoc linteamen ſanctificetur, & corporis ac ſanguinis Redemptoris noſtri novum ſudarium Spiritûs S. gratiâ efficiatur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

15.

Benedictio ſacrorum Vaſorum & aliorum Ornamentorum in genere.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c

Oremus.

EXaudi, Domine, preces noſtras, Pater clementiſſime, & hæc purificanda vaſa; & ornamenta ſacri altaris, atque Eccleſiæ tuæ, ſancti miniſterii tui uſui præparata, bene✝dicere, ſancti✝ficare & conſe✝crare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Alia Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, à quo omnia immunda purgantur, & in quo omni purgata clareſcunt ſupplices filii tui tuam omnipotentiam invocamus, ut ab his vaſis, ornamentis & miniſteriis, quæ tibi offerunt famuli tui, omnis ſpiritus immundus concuſſus longè diſcedat, & per tuam bene✝dictionem ad uſum & miniſterium ſancti Altaris & Eccleſiæ tuæ ſanctificata permaneant. Per Chriſtum &c.

16.

Benedictio Tabernaculi, Vaſculi (id eſt) Ciborii, Monſtrantii & Lunulæ pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut vaſculum hoc pro corpore filii tui Domini noſtri JESU Chriſti in eo condendo fabricatum bene✠dictionis tuæ gratiâ ditare digneris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit.

17.

Benedicto Thuribuli.

Oratio.

DEUS, ad cujus ſepulchrum cum aromatibus in ſpecie animarum ſanctarum virtutes ſanctorum operum geſtantium diluculo mulieres veniſſe memorantur: & in cujus conſpectu Angelus, habens thuribulum aureum ſtetiſſe, & datis incenſis de orationibus omnium Sanctorum ante thronum Domini adoleviſſe, cœleſti juſſione divulgatur, adeſto propitius invocationibus noſtris, & hoc thuribulum cœleſti bene✠dictione perfunde, ut quicunque ex eo thimiamatis, vel thuris fragrantiam ſenſerint, tua donante immenſa clementia odores orationum ante conſpectum Majeſtatis tuæ per manus ſanctorum emittant Angelorum. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. DEUS &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

BENEDICTIONES pro hominibus.

I.

Benedictio Peregrinorum ad loca ſancta exeuntium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Poſteà ante Dominus vobiſcum *dicitur*

Antiph. In viam pacis: *& canticum.*

BenedictusDominusDEUS Iſraël &c.cumGloria Patri, *& repetitur*

Antiph. In viam pacis &c. *cum verſibus & orationibus, ſicut in itinerario in fine Breviarii & Diurnalis.*

Poſt quartam orationem, Præſta, quæſumus, *dicitur hæc Oratio:*

Exaudi, Domine, preces noſtras, & iter famulorum tuorum propitius comitâre, atque miſericordiam tuam, ſicut ubique es, ita ubique largire, quatenus à cunctis adverſitatibus tua opitulatione, & bene✠dictione defenſi gratiarum tibi referant actionem, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Pax & Bene✠dictio DEI omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, dicendo:

Procedatis in pace: In nomine Domini JESU Chriſti, Amen.

Si-

Digitized by Google

Si ſit, unus ſolus peregrinaturus, omnia dicuntur in ſingulari: ſi ſacerdos ſimul iturus, in prima perſona pluralis.

2.

Benedictio poſt Reditum Peregrinorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Antiph. Ecce ſic benedicitur homo, qui timet Dominum.

Pſal. 116. Laudate Dominum omnes gentes, vel *Pſal.* 127. Beati omnes, qui timent Dominum, cum Gloria Patri, &c.

Ex veſp. fer. quartæ repete

Antiph. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Benedicti, qui veniunt in nomine Domini.

℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.

℣. Reſpice, Domine, in ſervos tuos, & in opera tua.

℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum,

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spir. &c.

Oremus.

LArgire, quæſumus, Domine, famulis tuis indulgentiam placatus, & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant.

Omnipotens ſempiterne DEUS, noſtrorum temporum, vitæque diſpoſitor, famulis tuis continuæ tran-

Digitized by Google

tranquillitatis largire ſubſidium, ut quos incolumes propriis laribus reddidiſti, tua facias protectione ſecuros.

DEUS humilium viſitator, qui nos paterna dilectione conſularis, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuam in nobis ſentiamus adventum. Per Dominum noſt. &c.

Aſpergantur.

Pax & benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper, Amen.

3.

Benedictio mulieris prægnantis, ubi aut Matris, aut infantis vita periclitatur.

Parochus hac benedictione non utatur niſi rogatus: & tum cautè obſervet, ne quid, præſente ſe, contra verecundiam, quavis neceſſitate committatur.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℞. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Eſto illi Domine, turris fortitudinis.
℞. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto.
℞. Et de Sion tuere eam.
℣. Domine exaudi &c. ℞. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum Spir. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis

nitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate hæc famula tua ab omnibus ſemper muniatur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

DOmine Deus, omnium Creator, fortis & terribilis, juſtus & miſericors; qui ſolus bonus & pius es, qui de omni malo liberas Iſraël, qui electos Patres munere Spiritûs tui ſanctificâſti, qui glorioſæ Virginis MARIÆ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum eſſe mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparâſti: qui Joannem Baptiſtam Spiritu ſancto repleri, & in utero matris exultare feciſti: accipe ſacrificium cordis contriti, ac fervens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis, pro conſervatione prolis debilis, quam ei dediſti concipere; & cuſtodi partem tuum, & defende ab omni dolo & injuria antiqui hoſtis, ut obſtetricante manu fœtus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac ſanctæ regenerationi ſervetur, tibique in omnibus jugiter deſerviat, & vitam conſequi mereatur æternam. Per eundem Chriſtum, Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Poſtea aſpergat aquâ benedictâ in modum crucis, recitans ſequentia:

Pſalmus 66.

DEUS miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut

Ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi, DEUS: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populus in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi DEUS: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos DEUS, DEUS noſter, benedicat nos DEUS: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri &c.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu.

℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Angelis ſuis mandet de te.

℟. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Viſita, quæſumus, Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea, & à præſenti famula tua longè repelle; angeli tui ſancti habitent in ea, qui eam, & fœtum ejus ab omni adverſitate & mortis periculo tua bene✝dictione cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergat illam in modum crucis.

4. Be-

4.

Benedictio veſtis baptiſmalis, quæ Chriſmale dicitur.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, benedic, quæſumus, hanc veſtem, tuo baptiſmate regeneratis imponendam, quatenus adoptionem filiorum adipiſcentes, amicti ſtolis albis, cum omnibus his, qui laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine tuo, te per ſemitam mandatorum tuorum ſequantur in hoc ſæculo, & laudent, ac glorificent in futuro. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

5.

Benedictio mulieris purificandæ poſt Partum.

Si quæ puerpera poſt partum, juxta piam ac laudabilem conſuetudinem ad Eccleſiam venire voluerit pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque à ſacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo & ſtolâ inductus cum miniſtro aſpergillum deferente, & ſacerdoti reſpondente, ad fores Eccleſiæ accedat.

Deinde illam foris ad limina genuflectentem, vel (ubi commodè fieri nequit) ſtantem & candelam accenſam in manu tenentem, ſtans ipſe intra fores Eccleſiæ aperto capite, ter in modum unius crucis aquâ benedictâ aſpergat, nihil dicens

℣. Adjudorium &c.

An-

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem DEI Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria patri &c.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem ſtolæ, eam a ſiniſtra indroducit aliquantulum in Eccleſiam, dicens;

Ingredere in templum DEI, adora filium beatæ MARIÆ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Caveat ſacerdos, ut, ſi quid mulier pro benedictione offerre vult, illud non, dum Stolam ei porrigit, ſed finita primùm benedictione accipiat.

Puerpera ingreſſa genuflectit coram altari Eccleſiæ in aliqua illius capella, & orat gratias agens pro beneficiis ſibi collatis.

Sacerdos autem, ſtans ante altare, converſus ad illam dicit:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter,

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Salvam fac ancillam tuam, Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum fidelium patientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem: & præſta, ut poſt hanc vitam ejusdem beatæ MARIÆ meritis & interceſſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde

Deinde illam aſpergit iterum aquâ benedictâ ter in modum unius crucis.

Poſteà extenta manu faciens crucem ſuper illam dicit:

Pax & benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper, Amen.

Mulier poſt partum adverſa valetudine impedita differat purificationem, donet utcunque viribus reſtituta Eccleſiam ingredi poſſit, non obſtante mortis periculo: purificatio enim absque licentia extra Eccleſiam fieri non debet.

6.

Benedictio & Exorciſmus Conjugum maleficiô impeditorum.

Fit interdum (Deo hominum vindicante ſive infidelitatem, ſive libidinem) ut vir & mulier maleficiô impediti, à matrimonii uſu impediantur. Ad quam depellendam noxam conjuges, primum omnium diligenti conſcientiæ examine, & Confeſſione ſacramentali præmiſſa, adibunt ſacerdotem; qui, lectâ Miſſâ de Spiritu S. aut Deipara Virgine Maria ſequentes ſubjiciet orationes:

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Salvum fac ſervum tuum, & ancillam tuam.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuêre eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere eis.
℣. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

 Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Fili DEI vivi, qui in paradiſo terreſtri matrimonium inſtituiſti in officium; & poſtmodùm pro nobis Homo ſactus; & ex Virgine natus, etiam in Sacramentum; & tuâ præſentiâ ac miraculorum tuorum primitiis dignanter illuſtrâſti: quæſumus, ut per merita beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Matris tuæ, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Wolfgangi, omniumque Sanctorum & Sanctarum tuarum hos conjuges, Matrimonii Sacramento copulatos bene✠dicere, & ab omni ligamento, faſcinatione, & maleficio ſatanæ, fœcunditatem, & ſalutarem ſobolis propagationem eis impertiendo tua pietate liberare digneris. Qui cum Patre & ſancto Spiritu vivis &c.

Deinde Pſalmi ſequentes dicuntur.

Pſalmus I.

BEatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et folium ejus non defluet: & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.

Nun ſic impii, non ſic; ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

Ideo non reſurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio juſtorum.

Quo-

Quoniam novit Dominus viam juſtorum: & iter impiorum peribit.

Gloria Patri. Sicut erat &c.

Pſalmus.

QUi habitat in adjudorio Altiſſimi: in protectione DEI cœli commorabitur.

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum: DEUS meus, ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis.

Scutô circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu,& dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Pſalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Deinde preces ſequentes:

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Salvum fac ſervum tuum & ancillam tuam,
℟. DEUS meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuêre eos.

℣. Ni-

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui beatæ ſemper Virginis Mariæ uterum mirabiliter fœcundâſti, ut de Spiritu ſancto verum DEUM & hominem, Salvatorem noſtrum JEſum Chriſtum conciperet: imploramus Clementiam tuam, ut his famulis tuis, matrimonii nexu conjunctis, ſublato omni dæmonis impedimento & maleficio, ſalutarem matrimonii fructum largiri digneris. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum &c.

Deinde benedicens utrique, ſubjiciat:

Creator cœli & terræ, qui primis parentibus matrimonii fœdere ſociatis dixit: creſcite, & multiplicamini, & replete terram; ille ſua benedictione adversûs omnes diabolicas infeſtatione fœcundet, atque multiplicet, & Chriſtianæ ſobolis ſalutarem propagationem miſericorditer vobis concedat, in nomine Pa†tris & Fi†lii, & Spiritûs† ſancti, A.

Poſteà aſpergat illos aquâ benedictâ, & dimittat.

7.

Alia Benedicto & Exorciſmus conjugum maleficio detentorum.

Exorciſta ponens manum ſuam ſuper caput maleficiati

conetur deſtruere facturas, & maleficia contra ipſum facta ſacris verbis & adjurationibus hoc modo:

Conjuratio.

SI aliquis maleficus (malefica) per ſua maleficia, incantationes, ligaturas, ſignaturas & facturas ſuas vel aliquo verbo, aut pacto, arte diabolica inito, vel aliquo maleficio te N. faſcinavit, vel aliquo vinculo te ligavit, ut non poſſis uti matrimonio, Chriſtus, Filius DEI vivi, per ſuam pietatem & miſericordiam te ab illo liberet & abſolvat: Et ego authoritate omnipotentis Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti, mihi ab ipſo, & à ſancta Catholica & Romana Eccleſia tradita diſſolvo omnia illa maleficia, quibus tu N. ab actu conjugali impediris, & diſſoluta eſſe decerno, & præcipio omnibus ſpiritibus immundis, qui ad inſtantiam aliorum dæmonum ſeu maleficiorum impedimenta illa fabricaverunt, ſeu conſervaverunt, vel adhuc tali impedimento favent, & illud conſervant, & impediunt hunc ſervum DEI N. aliquo maleficiô, ſeu factura à tali actu, ut ſtatim & ſine mora non obſtante quocunque pacto cum malefico, ſeu malefica, inito deſtruant, & ab illo removeant omnem malignam ſuam faſcinationem, & omne opus nefarium diaboli & miniſtrorum ejus, per virtutem, & in virtute Domini noſtri JEſu Chriſti, qui propter magnam miſericordiam ſuam venit in hunc mundum, & incarnatus eſt in utero Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ut homines perditos ad cœleſtia revocaret, quos diabolus ſuâ perverſitate damnaverat, & cauſa deſtruendi, & expellendi omnia opera ſatanæ & male-

le-

Digitized by Google

leficia ejus ab omnibus, & condemnandi dæmones in profundum inferni & abyſſi. Ecce crucem ✝ Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Juda, Radix David, JESUS, MARIÆ Filius, mundi ſalus, & Dominus, qui beatiſſimæ Virgini Matri ſuæ felicem partum tribuit, ſit tibi clemens & propitius, & tibi N. concedat, ut matrimonio uti poſſis ad generandam, & educandam, atque nutriendam prolem DEO & hominibus gratam. In nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

8.

Benedictio Thori.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, creatura plumarum, per eum, quem vidit Iſaias ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: Sex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus DEUS exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus: ut nulla communio ſit tibi cum Angelis maledictis & excommunicatis; ſed fias creatura benedicta ✝ & ſanctificata ✝ ad expellendos & fugandos inimicos noſtros, & eſto inimica inimicis noſtris, & affige affligentes creaturam hanc N. per JESUM Chriſtum, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Digitized by Google

Oremus.

CLementiſſime Deus, qui affligendo ſanas, & caſtigando nos ſalvas, deprecor Majeſtatem tuam & clementiam ſuper has plumas, quas be†dico & ſancti†fico per nomen tuum, qui juſſiſti plumas projici prope altare ad orientalem plagam, qui cortinas Tabernaculi variatas opere plumato fieri juſſiſti: & qui diceris aquila plena multis plumis: ut ſicut ego exorcizo†, bededico & ſanctifico†, has plumas, & lectum, & thorum, ut ſit immaculatum & mundum ab omni opere ſatanæ: ſic & tu benedicere † & ſanctificare † digneris: ut quisquis & præcipuè creatura tua N. ſuper has plumas, & lectulum, ut dormiat, proſtrata fuerit, tuam ſanctam benedictionem recipiat, dormiat, & ſecura quieſcat. Imò omnis ſpiritus immundus, omnis incurſio ſatanæ, omne phantaſma, omne maleficium, omnis incantatio, ligatura, ſignatura, factura, & omne opus quomodolibet diabolicum in ea N. factum, deſtruatur, annihiletur, exterminetur, diſſipetur, expellatur, & ab ea ſeparetur, quantum eſt elongatum cœlum à terra, lux à tenebris: nec ampliùs revertatur, prout, ego in nomine tuo Tetragrammaton deſtruo †, annihilo †, extermino †, diſſipo †, & expello †, & ac ea N. ſeparo, ut non revertatur: & ſpiritus maledictos thorum creaturæ tuæ N. pretioſo ſanguine Filii tui redemptæ, violare volentes contero †, & diſperdo † per ſanctum nomen Jehova. Sicut verò mulier Sunamiditis fecit cœnaculum parvum, & poſuit in eo lectum, & menſam, & ſellam, & can-

de-

delabrum, & recepit Eliſæum virum ſanctum Dei, qui ibi requievit; ſic plumas & lectulum totum iſtum bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris, & ſit nunc & ſemper bene✠dictus & ſancti✠ficatus, prout ego in nomine ſancto tuo, bene✠dico & ſancti✠fico per eum, quem adoravit Iſraël converſus ad lectuli caput: Per eum, quem, David adoravit, jacens in lectulo; per eum, qui ſanavit paralyticum jacentem in lecto: per eum, qui dormiebat in navicula & fecit ceſſare ventos: per eum, qui dixit, non eſt mortua puella, ſed dormit: per eum, qui dixit diſcipulis ſuis, dormite jam & requieſcite: per eum, qui dixit Petro: Simon, dormis? per eum, qui dixit: Lazarus, amicus noſter, dormit, & qui vivit, & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, ſicut ſuſcitâſti puerum Sunamitidis jacentem in lecto per ſervum tuum Eliſæum: & ſalvâſti Joam per manum Joſabeth in cubiculo lectorum, ne interficeretur; ſi digneris ſalvare hanc creaturam tuam N. ab infeſtationibus dæmonum, & ſicut Sunamitidis illa recepit gratias à Viro DEI, & benedictionem: ſic hæc creatura N. conſequatur tuam gratiam & benedictionem largam, ut ſuper lectum hunc & plumas dormiat, & fiducialiter requieſcat & inveniat locum Domino, tabernaculum DEO Jacob, & aſcendat in lectum ſtrati ſui, & det ſomnum ſuis tanquam in

ſinu

Digitized by Google

ſinu ſancto tuo, & requieſcat ſicut in lectis eburneis: ſicut in tentoriis Iſraël pacificè, cum pace, cum Charitate in timore DEI à veſpere usque mane, & adoret te toto corde & mente: nec ſit, qui eam terreat, lectulus hic ſit floridus, bene✝dictus, & ſancti✝ficatus ex diverſis nominibus DEI: ex aromatibus Myrrhæ & Thuris, & ex diverſis pulveribus pigmentarii, & ſicut lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiant ex fortiſſimis DEI potentis, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi uniuscujusque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Et tu, Domine, qui dixiſti: ego dormio, & cor meum vigilat: & alibi, ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, qui Dominus ſuſcepit me. Sic hæc creatura N. audiat vocem tuam melliſluam & dormiat: ſicut Jacob in Bethel; dormiat ut leo; & inimicus ſuſcitare non audeat: dormiat inter medios cleros, & inter columbas, habentes pennas deargenteas: dormiat in ſinu Abiſag Sunamitidis: & foveat, & calefaciat, ſicut Regem David: dormiat ſuper ſtratum ſuum, & vivat Dominus, qui eruit animam ſuam de omni anguſtia. Irruat ſopor ſuper eam & dormiat in lectulo ſuo tanquam non timens, ſed quieſcens & ſuavis ſit ſomnus ejus: & cum dormierit, cuſtodiant eam Angeli ſancti Dei, & mandata JEſu Chriſti: & evigilans, loquatur cum eis verba vitæ, ut in lecto ſuo per noctem quærat, quem diligit anima ſua. Et tandem, benedicte Deus, multiplicentur tuæ bene✝dictiones ſuper hanc creaturam N. vexatam & ſuper plumas has ſicut ſtellæ cœli & arena maris,

ris, ſicut jam multiplicâſti ſuper Abraham, Iſaac & Jacob. Per ipſum Chriſtum, Filium tuum, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Quo facto in medio thori collocantur menſura alicujus crucifixi, & in plumis ipſis, vel lanis, incorporentur videlicet Thus, Myrrha, Ruta, Hypericon, Oliva, Cera benedicta, ac divina Nomina ſequentia:

Ecce Crux ✠ JEſu Chriſti ✠ cruce Chriſtus vincit ✠ Chriſtus regnat ✠ Chriſtus imperat ✠ Agios ✠ Iſchiros ✠ Sother ✠ Sabaoth ✠ Adonay ✠ Heloym ✠ Homouſion ✠ Tetragrammaton ✠ Otheos ✠ Athanathos ✠ Alpha & Omega ✠ Salvator ✠ Principium ✠ Finis ✠ Primogenitus ✠ via ✠ veritas ✠ Jehova ✠ vita ✠ Sapientia ✠ æternus ✠ virtus ✠ Paracletus ✠ Ego ſum ✠ Qui ſum ✠ Meſſias ✠ Agnus ✠ Ovis ✠ Vitulus ✠ Aries ✠ Leo ✠ Os ✠ Miſericors ✠ Charitas ✠ Lux ✠ Omnipotens ✠ Creator ✠ Redemptor ✠ Amor ✠ Emanuel ✠ Primus ✠ Noviſſimus ✠ Janua ✠ Petra ✠ Gloria ✠ Imago Patris ✠ Unicus ✠ Fons vitæ ✠ Panis ✠ Brachium ✠ Dominus ✠ Mons magnus ✠ Clavis David ✠ Dux Domûs Iſraël ✠ Radix Jeſſe ✠ Sceptrum Domûs Iſraël ✠ Oriens ✠ Splendor ✠ Adonai ✠ Sol Juſtitiæ ✠ Rex gentium ✠ Expectatio gentium ✠ Candor lucis æternæ ✠ Rex gloriæ ✠ JEſus Chriſtus ✠ Dominus virtutum ✠ Triumhator inferni ✠ JESUS DEUS de DEO ✠ JEſus æterna ſapientia ✠ JEſus Patri coæqualis ✠ JESUS DEUS, & homo ✠ JEſus ſplendor paternæ gloriæ ✠ JEſus lumen de lumine ✠ JEſus, quo cœli firmati

ſunt

ſunt ✠ JESUS amor Patris ✠ JESUS brachium Spiritûs ſancti ✠ JESUS Thronus Sanctiſſimæ Trinitatis ✠ JEſus Majeſtas gloriæ ✠ JEſus ſemen vitæ æternæ ✠ JEſus natus de Maria Virgine ✠ JEſus ſacerdos magnus ✠ JEſus lapis angularis ✠ JEſus princeps pacis ✠ JEſus ſtella ex Jacob ✠ JEſus liber vitæ ✠ JEſus medicina ſalutis ✠ JEſus vena aquarum ✠ JEſus Scala cœli ✠ JEſus porta paradiſi ✠ JEſus caput Eccleſiæ ✠ JEſus panis vivus ✠ JEſus ✠ fides firma ✠ JEſus ſpes noſtra ✠ JEſus charitas perfecta ✠ JEſus fundamentum humilitatis ✠ JEſus fons pietatis ✠ JEſus Judex univerſi ✠ JEſus ſanitas languentium ✠ JEſus conſolator afflictorum ✠ JEſus oppreſſor ſuperborum ✠ JEſus deſtructor idolorum ✠ JEſus fugatio tenebrarum ✠ JEſus depopulator dæmonum ✠ JEſus malleus maleficorum ✠ JEſus jugum ferreum luciferi ✠ JEſus Prædator tartari ✠ JESUS morſus ſatanæ, & Angelorum ejus ✠ JEſus triumphator inferni ✠ JEſus illuſtrator paradiſi ✠ JEſus angelorum ferculum ✠ JEſus gloria Sanctorum omnium ✠ Maria Mater univerſorum ✠ Maria arca theſaurorum DEI ✠ Maria paradiſus ✠ Maria deliciarum hortus ✠ Maria cedrus ✠ Maria cypreſſus ✠ Maria palma ✠ Maria roſa ✠ Maria oliva ✠ Maria vitis ✠ Maria Platanus ✠ Maria Balſamum ✠ Maria Myrrha ✠ Maria Galbanus ✠ Maria Lilium ✠ Maria ſcala cœli ✠ Maria porta Paradiſi ✠ Maria mare ✠ Maria ros ✠ Maria luna ✠ Maria ſol ✠ Maria terra ✠ Maria arcus cœleſtis ✠ Maria collum ✠ Maria columba ✠ Maria elephas ✠ Maria ovis ✠ Maria Ebur ✠ Maria dies ✠ Maria fons omnium gratiarum ✠ Maria navis ſecu-

Digitized by Google

ſecuriſſima ✠ Maria nubes ✠ Maria mons Sinai ✠ Maria thronus ✠ Maria vellus ✠ Maria lux ✠ Maria vas Dei ✠ Maria roſa Dei ✠ Maria ſedes Dei ✠ Maria civitas Dei ✠ Maria ceſtellum ✠ Maria ſtella matutina ✠ Maria lignum vitæ ✠ Maria ſpeculum perſectionis ✠ Maria bonitatis metrum ✠ Maria puteus aquarum viventium ✠ Maria regula morum ✠ Maria via ſalutis ✠ Maria Sponſa DEI ✠ Maria Mater CHRISTI ✠ Maria Spiritûs ſancti templum ✠ Maria Palatinum ſuperni Imperatoris ✠ Maria hoſpitium Deitatis ✠ Maria cella DEI aromatica ✠ Maria Imperatrix univerſi ✠ Maria dominatrix dæmonum ✠ Maria Virga dæmonum ✠ Maria Pavor inferni ✠ Maria auxiliatrix potentiſſima ✠ Maria advocata prudentiſſima ✠ Maria Mediatrix efficaciſſima ✠ Maria medicina peccatorum ✠ Maria ſalus deſperantium ✠ Maria conſolatrix afflictorum ✠ Maria ſanitas infirmorûm ✠ Maria liberatrix captivorum ✠ Maria defenſio oppreſſorum ✠ Maria portus ſalutis ✠ Maria civitas refugii tutiſſima ✠ Maria Virgo Virginum ✠ Omnes Spiritus beati defendite me ✠ omnes ſancti Apoſtoli orate pro me ✠ omnes ſancti Martyres intercedite pro me ✠ omnes ſancti Confeſſores ſupplicate pro me ✠ omnes ſanctæ Virgines & viduæ orate pro me ✠ Amen,

9.

Benedictio & Exorciſmus maleficia patientium, aut à dæmonio vexatorum.

QUi verbum Caro factum eſt, & in cruce affixus, ſedénsque ad dexteram Patris, ut cre-

credentium exaudiat preces, ille per ſuum ſanctum Nomen, cui omne genu flectitur, ac per merita Virginis & Matris ejus, non per preces omnium Sanctorum & Sanctarum DEI, præſervare ab omni maleficorum ac dæmonum incurſu Te N. dignetur, qui in unitate perfecta vivit & regnat: Ecce enim ✠ crucem Domini noſtri JESU CHRISTI, in qua ſalus, vita, reſurrectio noſtra, confuſio omnium maleficorum ac dæmonum; Fugite ergo, partes adverſæ. Nam ego conjuro vos dæmones infernales, & ſpiritus malignos cujuſcunque generis, ita præſentes, ſicut abſentes quomodocunque & ſub quocunque prætexu, aut vocatos, aut invocatos, aut ſponte, aut miſſos; ſeu per incantationem, ſeu per artem malorum hominum, aut mulierum, properatis ad hibitandum vel moleſtandum, quatenus ſemota diabolica fraude incontinenter debeatis ✠ Per DEUM vivum, ✠ verum, ✠ ſanctum ✠ Patrem, ✠ Filium ✠ Spiritum S. ✠ præſertim per eum, ✠ qui in Iſaac eſt immolatus ✠ in Joſeph venundatus ✠ in Agno occiſus ✠ in homine crucifixus, in cujus ſanguine vicerunt vos, quando Michaël pugnavit vobiſcum, & fecit victoriam, recedere, appropinquantes retrocedere, nec valeatis ſub quocunque prætextu moleſtare creaturam iſtam, nec in corpore, nec extra corpus, nec per viſionem, nec per terrorem, neque de die, neque de nocte, nec dormiendo, nec vigilando, nec comedendo, nec orando, nec aliquid naturale aut ſpirituale faciendo, aliter vobis infundo ✠ omnes maledictiones ✠ pœnas tormen-

mentorum, detruſionis in ſtagnum ignis & ſulphuris, per manus inimicorum veſtrorum, ſancta Trinitate jubente, Michaële Archangelo exequente.

Nam ſi tenemini aliquo vinculo præcepti, adorationis, ſuffumigii, innodationis, artis & facturæ ad quemcunque perverſum finem & effectum compilato & fabricato, ſive in herbis, verbis, lapidibus, elementaribus, ſive naturalia ſint, ſive ſimplicia, aut mixta, temporalia aut ſpiritualia, aut Sacramentalia, aut in nominibus magni DEI, aut Angelorum, ſive in Characteribus, horis, minutis, diebus, anno, menſe, ſuperſtitiosè obſervato, cum pacto expreſſo aut tacito, etiam juramentô firmatô, omnia illa † irrito, annulo, deſtruo per potentiam Patris, qui totum mundum creavit † per ſapientiam Filii Redemptoris † per Bonitatem Spiritûs ſancti, qui totam legem adimplevit † qui eſt † erat † venturus eſt † omnipotens † Agios † Athanatos † Sother † Tetragrammaton † Jehova † Alpha & Omega † Principium & finis. Extinguatur ergo in creatura iſta, & fugetur omnis virtus diabolica per delationem ſanctiſſimæ crucis, invocationémque Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, nec non B. Virginis, & omnium in cœlo regnantium cum Agno occiſo ab origine mundi, & bene viventium in Eccleſia ſancta Dei.

Recedite ergo, & ſicut fumus jecoris piſcis combuſti dictante Raphaële ſpiritum à Sara fugavit,

Digitized by Google

gavit, ita benedictiones iſtæ expellant vos, ut non audeatis accedere ad hanc creaturam inſignitam ſigno ſanctæ crucis, per milliaria centum, quia mandatum meum non eſt meum, ſed ejus, qui miſſus eſt à ſinu Patris, ut opera veſtra deſtrueret, & in ara crucis deſtruxit, nobis talem dedit poteſtatem, ad gloriam ſuam, & utilitatem fidelium vobis imperandi, prout imperamus & præcipimus, ut non audeatis accedere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

✠ Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluja, Amen. Fiat, fiat.

Initium ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

10.

Benedictio fumigationis aromatum & cubiculi, quæ debet fieri quotidie præſente maleficiato.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo ✝ te creatura fumigationis ex diverſis aromatibus compoſita, per DEUM ✝ omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt: Et per tres Reges orientales, qui Chriſto obtulerunt aurum, thus, & myrrham: ut nulla virtus adverſarii, nullus exercitus diaboli, nulla incurſio ſatanæ, nullum phantaſma tecum ſit: ſed efficiaris fumigatio benedicta ✠ ſanctificata ✝ ad fugandos dæmones à corporibus humanis, & eorum habitaculis: & ad eradicandum omne maleficium

arte

arte diabolica factum: In nomine Patris † omnipotentis, & in charitate Domini noſtri JEſu † Chriſti, & in virtute Spiritûs † ſancti, Amen.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, tuam imploramus clementiam, ut ſalvare nos digneris ex ore leonis: qui circumit, quærens, de unitate Eccleſiæ tuæ, quem devoret: ſed tu, fortiſſime Leo de Tribu Juda, contere contrariæ virtutis ſævitiam rugientem, & bene†dic, & ſancti†fica fumigationem hanc aromatum ad fugandos à corporibus humanis dæmones, & ab eorum habitaculis: ad eradicandum omne maleficium, incantationem, faſcinationem, ſignaturam, facturam, ligationem, infeſtationem, & omne opus diabolicum: ne inimicus poſſit prævalere contra creaturas tuas ſanguine filii tui redemptas. Sancti†fica, & bene†dic hæc aromata, ut ſint tanquam aromata, quibus conditi ſunt Jacob & Joſeph: & quibus utebatur Heſter; & tanquam aromata multa Salomonis: & thymiamata de aromatibus boni odoris ad diſſipandum inimicum & vapor, & nebula, & odor hujus fumigationis ſit ſicut odor Cypri, & Nardi, & Croci, Fiſtulæ & Cinamomi, Myrrhæ & Aloes, & ſuper omnia aromata ad deſtruenda omnia phantaſmata, & in cantamenta ſatanæ. Et ego bene†dico te, creatura fumigationis, & ſancti†fico per eum, quem cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt: & per eum te ſancti†fico, qui tangit montes, & fumigant; ut domus hæc bene†dicatur & ſancti†ficetur, & à te

fumigetur, & repleatur fumo à Majeſtate DEI: & de virtute ejus aſcendat fumus incenſorum de manu Angeli coram DEO: & aperiatur templum tabernaculi teſtimonii in cœlo: & exeant angeli habentes miſericordias DEI, veſtiti lapide mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis, & inhabitent in hac domo, cuſtodientes hanc creaturam N. & omnes habitantes in ea, & fumus hujus fumigationis aſcendat, & eradicet omne genus dæmoniorum, & omnia maleficia, incantationes, ligationes, ſignaturas, & facturas, ab hac domo, & ab hac creatura N. quam in nomine ſancto tuo bene†dico & ſancti†fico, & benedictionibus cœleſtibus † repleo, ſit hoc cubiculum, & domus Thalamus DEI: ſit palatium CHRISTI, ſit habitaculum Spiritûs ſancti, ſit hæc domus, tanquam cella aromatum, & odoramentum unguenti optimi: & impleatur odore unguenti, & fumi Nardi piſtici pretioſi: Sit tanquam domus DEI, ad adolendum incenſum coram eo, & ad fumiganda aromata, & deſcendat dilectus in hanc domum, ſicut in hortum ſuum ad areolam aromatum, & quisquis fumigatus fuerit ex his aromatibus, bene†dicatur, & ſancti†ficetur, & videat & audiat voces, & lampades & ſonitum buccinæ de cœlo, & montem fumigantem: & loquatur cum DEO, & reſpondeat ei DEUS, verba vitæ & ſalutis, & ſit ſicut, quæ aſcendit per deſertum, ut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris & univerſi pulveris pigmentarii, ut liberetur ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, facturis, & a dæmonibus eam vexan-

vexantibus, ſit odor hujus fumigationis aromaticæ, ſicut odor vinearum florentium, & malorum, & mandragoræ: ſit quaſi myrrha, dans odorem ſuavitatis libani, ſit tanquam incenſum aromatum, quo adolebatur altare aureum, ſub tecto teſtimonii contra velum; Sit tanquam odor holocauſtorum Noe, quæ odoratus eſt Dominus odore ſuaviſſimo: ſit ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, & ſicut odor pretioſiſſimus victimæ Domini: ſit ſicut odor Nardi in accubitu Regis. & ſicut odor divinus effuſus in fundamento altaris Principi excelſo: & ſicut Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuavitatis; ſic in odore illius bene✠dicatur domus; ſanetur hæc creatura N. ab omnibus infeſtationibus ſatanæ, & ejus potentiæ membráque tota ſui corporis ſancti✠ficentur in odorem vitæ, & dulcoretur variis odoribus in vitam æternam: & ad odorem & fumum hujus aromaticæ fumigationis non lateat dæmon, ſed fugiat cum ſatellitibus ſuis & maleficiis, & incantationibus, & ligationibus, & ſignaturis, & facturis, & cæteris operibus ſuis diabolicis ab hac creatura DEI N. & ab hac domo: & elongetur ab eis quantum eſt elongatum cælum à terra, lux à tenebris, & veritas à mendacio. Per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur cubiculum & fumigatio aquâ benedictâ, & ſuper ignem benedictum ponatur.

Species pro fumigatione aromatica.

℞. Storacis calam. drac. 1. cum dimidia.
Thuris opt. drac. 1.
Nucis muſc. | an. drac. I. cum
Cariofil. | dimidia
Ligni aloes ſcrup. I.
Ambræ griſ. gra. I.
Muſc. elect. gr. II.
Ladani ping drac. II.

Pulverizentur pulverizanda ſecundùm artem & cum modico draganti infuſi, & molliti in aqua roſarum fiat maſſa, & formentur ad formam trociſci, & benedicantur, atque ex dicta fumigatione fumigetur maleficiatus pluries in die veſtimentáque & domus, &c.

Suffumigium ad torquendos dæmones.

℞. Carnis vel limaturæ ungulæ aſini unc. 1.
Stercoris canis unc. II.
Stercoris diaboli unc. I.
Sulphuris | |
Hypericonis | an. unc. III.
Rutæ | |

Miſc. & fiat ſuffumigium.

II.

Benedictio omnium medicinalium Unctionum, Balneorum, & odorabilium, mutatis mutandis.

℣. Adjutorium nostrum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo ✠ te, creatura medicinæ, per medicum æternæ ſalutis, qui à morte æterna genus humanum proprio ſanguine ſanitati reſtituit: per eum te exorcizo ✠, qui ad curationem hominum vir-

virtutem medicinalem herbis, lapidibus, ac diverſis creaturis contulit, ut nulla tibi ſit communicatio cum angelis apoſtaticis, ſed in virtute Domini Noſtri JEſu Chriſti cunctas inimici fallacias à te expello; & ſicut tu ex diverſis materiis facta es compoſito medicinalis ad ſanandas Dei creaturas, & præcipuè à diabolo vexatas; ſic virtutem tuam naturalem retineas, ſupernaturalémque recipias, adjurata in virtute Dei Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ ſancti, cuncta maleficia deſtruentis ac regnantis in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, qui es vera ſalus, & medicina; à quo omnis ſanitas, & medicamentum venit, quæſumus clementiam tuam & pietatem, ut hanc medicinam, ad expellendas omnes ægritudines, & quaſcunque virtutes diabolicas, & infeſtationes maleficiales: imò & ipſos dæmones à corporibus & viſceribus hominum, quam in nomine ſancto tuo bene✝dico, & ſancti✝fico, tu clementiſſime bene✝dicere, ſancti✝ficare, & conſe✝crare digneris: & in homine, qui eam biberit (vel eâ uſus fuerit) extingue febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura; cordis & capitis dolores & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates pectoris remove: infeſtinationéſque cunctas é quibusvis partibus corporis reſolve, phantaſmaticis adeſto periculis, tumoréſque compeſce: fiátque illi hæc medicina ſancta morbi præſentis expulſio & peccatorum omnium optata remiſſio: ut dum gloriatur adverſarius de habitatione percepta, ab hac

creatura N. cum omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, facturis &c. ipſe confuſus recedat. Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

O Æterne DEUS, qui tuâ providentiâ ab initio cuncta gubernas; quoniam dediſti & in mari viam, & in fluctibus ſemitam firmiſſimam, oſtendens, quoniam potens es ex omnibus ſanare etiamſi ſine arte aliquis adeat mare: nam per hæc viſibilia medicamenta non ſanatur quis à morſu ſerpentis antiqui, Domine, ſed per te, omnium Salvatorem, quia tu ſolus es, qui liberas ab omni malo: & miſericordiâ tuâ adveniente ſalvas filios tuos, imò tuus, Domine, ſermo velociter ſanat omnes ad te confugientes, qui livore ſanguinis pretioſiſſimi Filii tui totum mundum ſanâſti: Infunde ergo, Domine, tuam ſanctam virtutem † & benedictionem † in hanc medicinam, & ſana, potentiſſime DEUS, creaturam tuam N. quia conturbata ſunt oſſa ejus, & anima illus turbata eſt valde: ſana etiam à deſcendentibus in lacum, quia clamat ad te, ſicut ſanâſti Chananæam: & Publicanum: ſicut ſanâſti aquas per Eliſæum; ſicut percuſſos aſpicientes in ſerpentem æneum; & ſicut, Domine JESU, ſanâſti hydropicum, & tangentes fimbriam veſtimenti tui; ſana eam, ſicut qui prius deſcendebat in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate, ſicut ſanâſti ſocrum Petri febricitantem, & ſicut ſanabas omnes languores & infirmitates in populo & omnes oppreſſos à diabolo. Nam multitudo ſapientiæ tuæ ſanitas eſt.

or-

Digitized by Google

orbis terrarum, & cùm aqua deleret, terram, ſanavit iterum ſapientia, tua, & cujus livore ſanati ſumus; cujus tactu vis febrium mox receſſit, cujus ſermone confeſtim ſurdus audivit: cujus juſſu mutus fari non diſtult, ſatan fugiit, claudus cucurrtit, cæcus vidit, ægrotus prævaluit, ſurrexit de ſepulchro quatriduanus: ſic ſana eam, Domine JESU, ab omni ægritudine, & â vulneribus ſatanæ, & miniſtrorum ejus. Et ſicut ſanâſti pluries populum Iſraëlem, & puerum Centurionis, & curâſti vexatos à ſpiritibus immundis & ſanâſti multitudinem copioſam plebis ab omni Judæa & Jeruſalem maritima & Tyri & Sidonis à languoribus ſuis; ſi huic creaturæ tuæ N. languenti conferas ſalutem & veram medicinam. Sint oculi tui Domini ſuper eam, & da illi ſanitatem & vitam, & huic medicinæ vim & virtutem & Benedictionem † & ſanitatem, ut ab hac creatura N. expellat dæmones & deſtruat, & eradicet omnia maleficia, incantationes, ligationes, tumores, dolores, ſignaturas, faſcinationes, & facturas diabolicas: nam veniſti, Domine, quærere & ſalvum facere, quod perierat.

Oremus.

BEne†dic, Domine, & ſancti†fica hanc medicinam, & virtus Spiritûs ſancti ſit ſuper eam, ad evacuanda, & deſtruenda, annihilanda, & eradicanda à corpore hujus creaturæ N. maleficia cuncta, cujusvis maledictionis ſint facta, & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem, prout ego in nomine ſancto tuo, & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti Nazareni crucifixi Filii tui exorcizo † benedico † & ſanctifico †, quia ipſe propitiatur omnibus

bus noſtris, & ſanat omnes infirmitates noſtras. Benedico te per ipſum, qui redemit de interitu vitam noſtram, & coronat nos in miſericordia & miſerationibus. Sancti†fico te per ipſum, qui miſit verbum ſuum, & ſanavit nos, & redemit nos de interioribus noſtris, & producit in mondibus fænum, & herbam ſervituti hominum. Benedico te per ipſum, cujus manus vulnerat, & medetur, percutit & ſanat: ſancti†fico te per ipſum, qui miſit Apoſtolos, prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. Bene†dico & ſancti†fico hanc medicinam, ut ſit medicina ſalutis animæ, & corpori hujus creaturæ N. ſit hæc medicina tanquam aqua egrediens de ſanctuario DEI, in potum ad expellendam omnem febrim, & ægritudinem, ac tumorem, & dolorem, & ad extirpandum omne maleficium, incantationem, ſignaturam, facturam arte diabolica factam. Sit tanquam cor, & fel, & jecur piſcis Archangeli Raphaëlis & Tobiæ ad medicamenta utilia: & ſicut ipſe Archangelus duxit & reduxit Tobiam ſanum, ejúſque Patri reſtituit viſum, & fecit eum videre lumen cœli: ſic tu, ô medicina, per iſtam ſanctam bene†dictionem & virtutem Spiritûs ſancti, quam in te infundo, reſtitue ſanitatem creaturæ DEI N. Nam altiſſimus creavit te de terra, ut ſis medicina ſanitatis, & medicina pacis, conſolationis & benedictionis: ſit ſuper te virtus Spiritûs † ſancti, & virtus divina tecum ſit ad ſanandam creaturam Dei N. ab omni maleficio & infeſtationibus ſatanæ. Tandem in nomine illius, qui eſt DEUS omnipotens, DEUS exercitium, qui facit mirabilia magna ſolus: accipe, ô medicina, virtutem

tem Spiritûs † ſancti, ut ubicunque attigeris, virtute divina à corpore creaturæ N. expellas omnem infirmitatem, tumorem, & dolorem, omnéque maleficium, incantationem, ligationem, ſignaturam & facturam ſibi factam, & omne vinculum diabolicum confringe, diſſipa, deſtrue, evacua, extirpa, eradica, vome, vel per ſeceſſum emitte, prout magis expedierit, ſine læſione aliqua animæ & corporis: prout ego in nomine JEſu Chriſti expello †, confringo †, diſſipo †, deſtruo †, extirpo †, eradico †, & ad nihilum redigo †, à corpore ipſius creaturæ Dei N. & infundo in te omnes benedictiones æterni Dei. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Aſpergatur.

12.

Benedictio Cereviſiæ, Mulſi, vel alterius Potûs.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui feciſti cælum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt: Rogamus te in nomine JESU CHRISTI, unigeniti Filii tui, ut ſanctificare † & benedicere † digneris cereviſiam iſtam (potum iſtum) ſicut benedixiſti ſex hydrias in Cana Galilææ, ita convertere digneris materiam iſtam potus in

in ſuavitatem & hilaritatem lætitiæ ſpiritualis, ſervis tuis, qui in fide catholica crediderunt. Per eundem Dominum &c.

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elemontorum & fructuum, qui per Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc in refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſanctifices ✝: atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis ✝ adveniat, & mala omnia te propitiante ab ea procul recedant. Per eundem Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur.

13.

Benedictio puerorum, ſeu infantium cùm primùm in Eccleſia præſentantur à parentibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

QUæſumus, Omnipotens Deus, Pueris iſtis (vel Puero iſto) pro quibus (vel quo) tuam deprecamur clementiam, bene✝dicere digneris, & per virtutem ſancti Spiritûs corda eorum (vel cor ejus) corrobora, vitam ſanctifica, caſtitate decora: & ſenſus eorum (vel ejus) in bonis operibus munire,

&

Digitized by Google

& informare, & ab omnibus diabolicis ac humanis fraudibus & inſidiis tua protectione & virtute tueri, & tandem ad Requiem æternam perducere digneris. Per Chriſtum &c.

Pſal. Laudate, Pueri, Dominum, *ex Veſp. Dom. cum* Gloria Patri &c.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Bnedic, Domine, Pueris iſtis (vel Puero iſti.)

℟. Et invocetur ſuper eos (vel eum) nomen Domini Dei noſtri.

℣. Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis.

℟. Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui parvulos tibi oblatos, & ad te venientes complectebaris (*hic ponat manus ſuper capita puerorum*) manúsque ſuper illos imponens benedicebas, atque dicebas: ſinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium eſt enim regnum cælorum, & Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei: reſpice: quæſumus, ad Pueri vel Puellæ (*ſi fuerit unus*) ſeu pueorum vel puellarum præſentium innocentiam, & ad ſuorum parentum devotionem, & clementer eos hodie per miniſterium meum bene✝dic, ut in tua gratia & miſericordia ſemper proficiant, te ſapiant, te diligant, te timeant, & mandata tua cuſtodiant & ad finem optatum feliciter perveniant,

per

in ſuavitatem & hilaritatem lætitiæ ſpiritualis, ſervis tuis, qui in fide catholica crediderunt. Per eundem Dominum &c.

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum, qui per Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc in refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſanctifices ✠: atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis ✠ adveniat, & mala omnia te propitiante ab ea procul recedant. Per eundem Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur.

13.

Benedictio puerorum, ſeu infantium cùm primùm in Eccleſia præſentantur à parentibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

QUæſumus, Omnipotens Deus, Pueris iſtis (vel Puero iſto) pro quibus (vel quo) tuam deprecamur clementiam, bene✠dicere digneris, & per virtutem ſancti Spiritûs corda eorum (vel cor ejus) corrobora, vitam ſanctifica, caſtitate decora: & ſenſus eorum (vel ejus) in bonis operibus munire, &

& informare, & ab omnibus diabolicis ac humanis fraudibus & inſidiis tua protectione & virtute tueri, & tandem ad Requiem æternam perducere digneris. Per Chriſtum &c.

Pſal. Laudate, Pueri, Dominum, *ex Veſp.Dom. cum* Gloria Patri &c.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Bnedic, Domine, Pueris iſtis (vel Puero iſti.)

℟. Et invocetur ſuper eos (vel eum) nomen Domini Dei noſtri.

℣. Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis.

℟. Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui parvulos tibi oblatos, & ad te venientes complectebaris *(hic ponat manus ſuper capita puerorum)* manúsque ſuper illos imponens benedicebas, atque dicebas : ſinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium eſt enim regnum cælorum , & Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei : reſpice : quæſumus, ad Pueri vel Puellæ *(ſi fuerit unus)* ſeu pueorum vel puellarum præſentium innocentiam, & ad ſuorum parentum devotionem , & clementer eos hodie per miniſterium meum bene✝dic, ut in tua gratia & miſericordia ſemper proficiant , te ſapiant, te diligant , te timeant , & mandata tua cuſtodiant & ad finem optatum feliciter perveniant,

per

per te, Salvator mundi. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus in ſæcula.

℟. Amen.

Oremus.

RESpice, quæſumus, Domine, ad præſentium puerorum (vel præſentis hujus pueri) devotionem: ut in tua gratia & miſericordia proficiant & creſcant, & cum ſancta bene✠dictione tua in gratia cœleſti conſerventur, & poſt hanc vitam ad æternam ſalutem perducantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Sacerdos imponens manus ſuper eos (vel eum) cum ſigno crucis dicit:

Benedictio DEI omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, deſcendat ſuper vos & cuſtodiat, & dirigat, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergantur.

14.

Benedictio ad pueros induendos veſte ex voto.

Primò benedicantur veſtimenta.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℟. Et clamor, &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui pro noſtra ſalute ſuſcipiens humanam naturam, te veſtimento carnis induere dignatus es, benedictione ſanctâ tuâ bene✠dic iſta parvula veſtimenta, quæ pro gratiis tuis exſolvendis cum omni devotione, ſanctóque voto, ac veneratione B. Virginis MARIÆ, vel

(S.N.)

(S.N.) infans iſte ſuper ſe ſuſcepturus eſt. Infunde in eum, quæſumus, tuam ſanctam bene✝dictionem, ut cùm primùm induerit hoc Religionis ſimile veſtimentum, intercedente beato Patre noſtro Franciſco, deſcendat ſuper eum gratia tua, & protegat illum ab omni malo mentis & corporis. Qui vivis &c.

15.

Benedictio Chordæ, ſeu Cinguli.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam &c.

Oremus.

DEUS, qui, ut ſervum abſolveres, Filium tuum funibus ligari voluiſti, bene✝dic, quæſumus, funem iſtum, ut famulus tuus N. qui eo velut ligamine corpus cinget, vinculorum ejusdem Filii tui, Domini noſtri JESU Chriſti, memor exiſtat. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Aſpergat aquâ benedictâ viſtimenta & chordam, adoleátque incenſo.

Cùm verò eum exuit ſuis veſtimentis, dicat:

Eripiat Dominus de corde tuo pompas, quibus abrenuntiâſti, dum Baptiſmum ſuſcepiſti.

Pſal. Eripe me, Domine, ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalva me.

Gloria Patri &c.

Po-

Poſteà induit eum habitu, dicens:

Immittat in te Dominus ſanctum Religionis amorem, ſanctóque fervore ſuccendaris, & ardeas cœleſtium bonorum deſiderio.

Pſal. Laudate, pueri, Dominum &c.

Poſteà cingat eum, dicens:

Præcingat te Dominus zonâ juſtitiæ, ut immaculatus conſerves omnia mandata ſua.

Pſalmus.

Laudate Dominum in ſanctis ejus: Laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: Laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: Laudate eum in Pſalterio & Cithara.

Laudate eum in Tympano & Choro: Laudate eum in Chordis & Organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus: Laudate eum in cymbalis jubilationis; omnis ſpiritus laudet Dominum. Gloria Patri &c.

Deinde det ei candelam accenſam, & dicat:

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oratio.

Domine JEſu Chriſte, lux vera de vero lumine, quæſumus clementiam tuam, ut per interceſſionem beati Pâtris noſtri Franciſci mentem parvuli hujus illumines, ut, cum ad annos diſcretionis advenerit, ſancto tibi animo corporéque deſerviat. Qui vivis &c.

Poſteà benedicat puerum, offerendo eum ad altare, dicens:

Confirma, Deus, in puero, quod operari feciſti à templo ſancto tuo. De-

Deducat eum ſpiritus tuus bonus in terram rectam, & benedictio tua ſit ſuper eum ſemper.

Deinde reddat eum parentibus, & converſus ad circumſtantes, dicat:

Benedicat vos divina Majeſtas Pa✝ter, & Fi✝lius, & Spiritus ✝ ſanctus, Amen.

16.

Benedictio Thalami, Thori & Lecti cum Exorciſmo.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oratio.

DOmine ſancte Pater, qui caſtigando nos ſalvas, deprecor Majeſtatem tuam, ſuper hunc lectum, & ſuper hanc domum, & ſuper omnia, quæ ſunt in ea, & ſuper has plumas, quæ omnia bene✝dico, purifico, exorcizo, atque ſanctifico, per nomen ſanctum tuum, & ſervi tui N. quem deprecor, ut ſit in noſtró auxilio, & omnium creaturarum: ſic, & tu, Domine, bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris hunc lectum, domum & omnia, quæ ſunt in ea, & plumas ſuas, ut quiſquis, & præcipuè hæc creatura N. ſuper has plumas, & lectum proſtrata fuerit, dormiat, & tuam ſanctam benedictionem recipiat, & dormiat, & ſecura quieſcat, imò omnis ſpiritus immundus, omne phantaſma, omne maleficium, vel factura, ligatura, ſignatura, & omne opus, quomodolibet diabolicum, in lectum, vel plumas has, vel domum factum deſtruatur, annihiletur,

exterminetur, diſſipetur, expellatur, elongetur, quantùm eſt elongatum cœlum à terra, lux à tenebris, nec amplius revertatur, & Ego N. ſacerdos DEI deſtruo, & extirpo, & annihilo, ut non revertatur, & ſpiritus maledicti thorum, domum, tuas creaturas violare volentes, contero, & diſperdo, & tandem, Domine, multiplica tuas ſanctas benedictiones ſuper lectum, & has plumas, & domum & ſuper creaturas, quæ habitant in ea, nam ego omnia bene†dico, ſancti†fico ſacerdotali auctoritate † qua fungor in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ, & ponat ſacerdos incenſum ſuper ignem benedictum, ut fumigetur domus, vel cubiculum, vel lectus, ponatur in lecto Cera, Agnus DEI, oliva palmarum benedicta cum ſale exorcizato, & incenſo cerei, cum auro, & myrrha.

17.

Benedictio veſtimentorum vel indumentorum, & linteaminum lecti, & ſimilium mutatîs mutandîs.

EXorcizo vos, creaturæ diverſæ indumentorum, per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis humani, ut ſitis indumenta benedicta † pura † & munda † ab omni virtute diaboli, & miniſtrorum ejus, & ab omnibus facturis & maleficiis, cujuscunque generis ſint: & vires diaboli retinere non poſſitis, ſed ſitis indumenta pura †, bene†dicta, & ſancti†ficata: Quæſumus, Domine, ut hæc indumenta puri†ficare, bene†dicere & ſancti†ficare digneris,

Digitized by Google

digneris, nam ego ſacerdos tuus hæc indumenta in tuo nomine bene†dico, purifico † & ſanctifico, † concede, Domine, ut qui ea portaverit, & induerit, cœleſtis gratiæ, & benedictionis plenitudinem valeat accipere, ut ab omnibus dæmonibus & facturis ſit liber & defenſus. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Oremus.

Omnipotens æterne DEUS, qui inter cætera mirabilia tua creaturas diverſis ornamentis decorâſti, & tunicas pelliceas Adæ & Evæ feciſti, nóſque veſte miſericordiæ in hoc ſæculo, & in futuro regno ſtolâ gloriæ circumdas: quæſumus, ut hæc indumenta pro tui nominis honore puri†ficare & bene†dicere digneris, quæ & ego in nomine tuo purifico † & benedico, tuámque clementiam ſupplex invoco, ut creaturam iſtam, quæ hîs indumentis veſtietur, ſub tua protectione conſervare, & copioſis meritis, diverſiſque virtutibus ditare, & ornare digneris, ut cum ſenſeris horum veſtimentorum fragrantiam, des eidem creaturæ tuæ oſculum pacis, & benedicas eam in anima & corpore. Concede, Domine, ut odor horum veſtimentorum ſit ſicut odor thuris, qui Angelos lætificet, dæmones verò in fugam convertat. Da quoque, Domine, ut famulus tuus (famula tua) qui hæc veſtimenta portaverit, cœleſtis gratiæ plenitudinem, & tuæ protectionis munimen mereatur accipere: útque ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus, & inſidiis incolumis permaneat, téque DEUM ſuum omnipotentem

glorificet in tempore & æternitate, per Dominum noſtrum &c.

Benedictio DEI omnipotentis Patris &c.

18.

Benedictio Annuli ſponſalis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Benedic✝, Domine, annulum hunc, quem nos in nomine tuo & in honorem B. MARIÆ Virginis, atque S. Joſephi, ſponſi ejus, benedicimus, & præſta, ut quæ eundem portaverit, fidelitatem integram ſuo ſponſo tenens in pace & fide tua permaneat, in mutua Charitate ſemper vivat, & ſeneſcat, atque in longitudine dierum multiplicetur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, conditor æternæ ſalutis, Domine, emittere digneris Spiritum ſanctum tuum Paraclitum de cœlis; & tuam ſanctam benedictionem ſuper annulum hunc, ut ſit armatura potens contra omnes virtutes diabolicas, & ego in nomine tuo eum bene✝dico, & ſancti✝fico in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

19.

Benedictio Vini in ſolemnitatibus Nuptiarum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bonorum omnium dator, & conſervator; qui inter reliquas creaturas tuas vinum, in hominum ſuſtentationem & lætitiam, ex fructu uvarum prodire juſſiſti; quique per unigenitum Filium tuum, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, in nuptiis in Cana Galilææ, aquam in vinum mirabiliter permutâſti, & Sacramentum protioſiſſimi ſanguinis ejusdem Filii tui in vini materia ſanctificari feciſti: te ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam vini bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris, ut famuli tui & famuſæ, ex eo guſtantes, animæ & corporis recipiant ſoſpitatem, & te omnium gratiarum largitorem ſine fine collaudent. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat aquâ benedictâ, in modum crucis, nihil dicens. Poſtea vinum diſtribuitur per manus laicorum in mundo profano vaſe; primùm quidem ſponſis, tum aliis Chriſti fidelibus, qui nuptiis interſunt, omnibus modeſtè guſtantibus.

20.

Benedictio Infirmorum.

Sacerdos intrans domum infirmi cum aqua benedicta dicat:

℣. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Oremus.

INtroeat, quæſumus, Domine JESU CHRISTE, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu,

æterna felicitas, divinà proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna; effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum: adſint Angeli pacis: domúmque hanc deſerat effugata diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos nomen ſanctum tuum, bene✠dic converſationi noſtræ, ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum: qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula &c. A.

Poſtea dicitur

Pſalm. De profundis clamavi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi, Domine.

IN illo tempore, ſurgens JEſus de ſynagoga introivit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam: & continuo ſurgens miniſtrabat illis. Cùm ſol autem occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JEſum. At ille ſingulis manus imponens curabat eos.

Quo dicto ſubditur:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.

℟. Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

℟. Deus meus ſperantem in te.

Digitized by Google

℣. Ego dixi: Domine, miſerere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

RESpice, Domine, famulum tuum, fratrem noſtrum, in infirmitate ſui corporis laborantem: & animam refove, quam creâſti: ut caſtigationibus emendatus, continuò ſe ſentiat tuâ medicinâ ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Ponat manum ſuper caput infirmi, & dicat:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt †, JESUS, Mariæ Filius, mundi Salus, & Dominus, meritis B. M. & B. Franciſci, Confeſſoris ſui, & omnium Sanctorum ſit tibi clemens, & propitius.

℟. Amen.

Dominus JEſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat: intra te, ut te conſervet: ante te ſit, ut te deducat: poſt te ſit, ut te cuſtodiat: ſuper te ſit, ut te bene†dicat: Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergatur.

21.
Benedictio Medicinæ, Unctionis, vel Balnei, vel Brodii medicati, mutatîs mutandîs.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

QUæſumus clementiam tuam, æterne DEUS, ut hanc medicinam (vel unctionem, vel balneum vel brodium &c.) ad expellendas omnes ægritudines, & fugandas diabolicas virtutes, & maleficorum infeſtationes; imò & ipſos dæmones à corporibus humanis, quam in nomine ſancto tuo, & ſancti N. bene†dico, & ſancti†fico, ſic tu omnipotens, & clementiſſime DEUS, bene†dicere, ſancti†ficare, piiſſime DEUS, digneris, & in omni, qui eam biberit, extingue febrium infeſtinationes, viſcerum tormenta cura, cordis & capitis dolores & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates pectoris remove: infeſtationes cunctas à quibusvis partibus corporis reſolve: phantaſmaticis adeſto periculis, tumoresque compeſce. Sit hæc Medicina expulſio præſentis morbi: & fugiant diaboli cum omnibus ſuis sociis, facturis, & armis, exorcizo te †, creatura medicinæ, in nomine JESU, ut virtutem naturalem retineas, ſupernaturalem recipias adjurata in nomine Chriſti. Bene†dic, ô Domine, hanc mediciam, & virtus Spiritûs ſancti ſit ſuper eam, ad evacuanda, & deſtruenda, annihilanda, & eradicanda à corpore humano maleficia cuncta, cujuscunque generis ſint: & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem.

Prout ego N. Sacerdos tuus bene†dico, exor†cizo, & ſancti†fico, & benedictiones cunctæ ſervorum Dei ſint ſuper te, ô medicina, & ſis potens ad effugandos

gandos dæmones cum ſuis facturis & armis diabolicis. Tandem benedictio Sancti N. ſit ſuper te † in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Aſpergantur.

22.

Alia Benedictio Balnei pro maleficiatis.

EXorcizo te, unda balnei, per Deum Pa†trem, Deum Fi†lium, per Deum Spiritum † ſanctum, per Deum, qui ſimile lavacrum Moyſi ſervo ſuo fieri mandavit, dicens: facias labium æneum cum baſi ſua ad lavandum: per Deum, qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; per Deum, qui nos per levacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs ſancti in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune ſit cum ſpiritibus immundis, ſed ſanctificeris, ut ſis Chriſti fidelium purgatio, & immundorum ſpirituum abdicatio, atque maleficiorum omnium ab homine, ſive à diabolo factorum exterminatio, ita, ut quicunque ex te corpus ſuum laverit, divinam in te virtutem ſentiat affuiſſe. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, ante cujus conſpectum tremunt Angeli, infernus ululat, qui Judith ancillæ tuæ, quæ corpus laverat, & ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut fieret Holofernicida, & populum ſuum ab obſidione libe-

bene†dicere, & ſancti†ficare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus ſuum laverit, valeat Holofernis infernalis interimere virtutem, & ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere miſericorditer, te præſtante, ſalvari. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, filium tuum: qui aquâ in pelvim miſsâ diſcipulorum ſuorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

23.
Benedictio alia Medicinæ cujusvis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

SUmme DEUS, qui ſumma & media, imáque cuſtodis, qui omnem creaturam intrinſecùs ambiendo concludis, ſancti†ficare & bene†dicere digneris hanc Medicinam, & bene†dictionem tuam ſuper eam infundere digneris, ut per tuam ſanctiſſimam virtutem & copioſiſſimam benedictionem, per ſignum S. Cru†cis impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc Medicinam ſumptura eſt, expellatur, & annihiletur, tantam virtutem merito paſſionis tuæ, & vivificæ Cru†cis recipiat, ut omnes immundos ſpiritus, incantationes, ligaturas, ſignaturas, facturas, & omnia maleficia poſſit expellere, & divertere à famulo tuo, qui ea utetur; ex-

exhibeátque ei plenum ſanitatis effectum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

BEnedico te, creatura Medicinæ, in nomine altiſſimi Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, qui te creavit pro tutela humani generis: & rogamus te, Domine DEUS noſter, ut hæc creatura hujus medicinæ famulo tuo, qui eâ utetur, in nomine SS. Trinitatis efficiatur ſalutare remedium, ſitque perfecta medicina in viſceribus ejus: Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

24.

Benedictio Panis, Farinæ &c. pro infirmis vel maleficio affectis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, bene✝dicere digneris hunc panem, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra morbos & univerſas inſidias diaboli remedium efficax. Bene✝dic igitur, Domine, & ſancti✝fica panem hunc dexterâ tuâ ſanctâ, quem & ego ſacerdos tuus in nomine tuo, & in nomine ſancti N. exorcizo, bene✝dico, & ſancti✝fico. Et ſicut S. Elias Propheta benedixit farinam in hydria viduæ,

viduæ, & comedit ex ea in tempore famis, ſic & ego hunc panem in nomine tuo, & in honorem ſancti N. bene✝dico, & creaturæ tuæ trado, ut accipiat & comedat ex eo ad eradicandum à corpore ſuo omne maleficium, incantationem, ligamen, ſignum, philtrum, & omne opus diabolicum. Nec non ipſoſmet dæmones, & maleficos, omnémque febrim, & qualemcunque naturalem ægritudinem, qua premitur.

O Domine JEſu Chriſte, qui es panis natus in Bethlehem, panis vitæ & æternæ ſalutis: panis vivus, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo: bene✝dic & ſanctifica hunc panem, quem & ego per nomen ſanctum tuum bene✝dico & ſanctifico, & virtutem tui S. nominis in ipſum infundens, deſtruo omnia maleficia, & facio ipſum efficacem contra omnes vexationes diabolicas. Dominus igitur tecum ſit, ô panis benedicte, ut venena extinguas, noxia comprimas, dæmonia ejicias, febres repellas, & ſanctitatem tribuas cunctis piè te ſumentibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

BEnedic ✝, quæſumus, Domine ſancte Pater, æterne DEUS, per amorem filii tui in virtute Spiritûs ſancti panem iſtum, bene✝dictione cœleſti, ut quicunque ex eo comederit in nomine tuo, & dilecti Filii tui, atque Spiritûs ſancti ab omnibus operibus ſatanæ ſanetur, & bene✝dictione tua ſancta repleatur, per eundem &c.

Aſpergatur.

25. Be-

Digitized by Google

25.

Benedictio Vini, Aceti pro infirmis vel maleficio affectis.

Exorcizo te, creatura vini, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ne ſis communis ulli ſpiritui immundo ad honorem S. Mariæ & Sancti N., ut, qui te devotè biberit, & guſtaverit, omnis ſpiritus immundus ab eo recedat cum facturis ſuis, itaque exorcizo ✝ & benedico te, creatura vini, in nomine JESU Chriſti, & S. N., ut ſis purgatio omnium maleficiorum. Dignare, ô S. N. hoc vinum bene✝dicere & ſanctificare, ad liberandas & ſanandas creaturas DEI ab omnibus maleficiis & dæmoniis. O Domine JESU Chriſte, ſicuti convertiſti in Cana Galiææ aquam in vinum: ita bene✝dicere, exor✝cizare, & ſancti✝ficare tua pietate digneris hoc vinum, ut ſit remedium efficax contra omnem poteſtatem omnium inimicorum noſtrorum, & etiam contra omnes facturas, quæ factæ ſunt, & factæ erunt, & nullus ſpiritus malus cujuscunque generis poſſit latere in hac creatura N. quæ guſtaverit hoc vinum benedictum. Peto, Domine, per tuam ſanctam Paſſionem & Crucem, ut, qui biberit ex hoc vino benedicto, mundetur à ſpiritibus immundis; & ab omni maleficio: & omnis virtus diaboli exterminetur, & poteſtas tua, Domine, in virtute verborum tuorum prævaleat. O Domine, infunde tuam ſanctam benedictionem in hoc vinum, ut alligata ſint vulnera ſatanæ: & ego bene✝dico hoc vinum, & ſancti✝fico

in

Digitized by Google

in nomine ſancto tuo, ut vulpes infernales demolientes hanc vineam tuam, ponentes eam in deſertum, una cum operibus ſuis, maleficiis & facturis deſtruantur, confringantur, & annihilentur. Succurre ergo, Domine, & bene†dic, & ſancti†fica hoc vinum, ut ſit vinum gratiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, fervoris & amoris ad ſanandas tuas creaturas ex eo guſtantes, bibentes, corpus reficiat, & corroboret, intellectum clarificet, cor lætificet, dolorem & triſtitiam quamcunque expellat, maleficia cuncta deſtruat & annihilet à creaturis tuis ex eo bibentibus, per ChriſtumDominum noſtrum, Amen.

Bene†dico hoc vinum, & ſancti†fico, ut ſit tanquam vinum, quod Chriſtus dat ſuis devotis in convivio ſuo ſpirituali. Adhuc, bone JESU, dic verbum, & bene†dic, & ſancti†fica hoc vinum. Tandem bene†dico illud, & per hoc ſanctum vinum deſtruo omnia maleficia, & fugo dæmones per eum, qui torcular calcavit ſolus, Amen.

26.

Benedictio Aquæ contra maleficia, cum Reliquiis SS.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſub-

ſtan-

ſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic aquæ, quam SS. NN. Martyrum tuorum virtute conſignamus, virtutem tuæ benedictionis ✝ infunde,ut per merita & interceſſionem eorundem Martyrum tuorum, ſit fidelibus tuis in remedium ſalutare, dæmonum malitias & inſidias, morbos & infirmitates corporis & animæ ab eis repellens: præſta, ut quicunque eam ſumpſerint,vel eâ aſperſi fuerint, ab omni adverſitate animæ & corporis liberentur,& utriusque recipiant ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne DEUS,humiliter imploramus,ut fideles tuos, ad Reliquias SS.NN.Martyrum tuorum devote accedentes,& eorum ſuffragia poſtulantes, tua ineffabili virtute bene✝dicere digneris: ut per merita & interceſſionem eorumdem Martyrum tuorum (vel ſancti N.)ab omni ægritudine mentis & corporis liberati, tuaque hic & ubique miſericordiâ cuſtoditi,ad æterna gaudia mereantur pervenire. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur.

27.

Benedictio Aquæ contra maleficia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Exor-

Exorciſmus.

EXorcizo te †, aqua, per illum, qui te creavit, & qui in te baptizari voluit: qui te in quatuor flumina de Paradiſo exire juſſit, & totam terram irrigare præcepit. Exorcizo te † per illum, qui Naaman Syrum è lepra mundavit. Exorcizo te †, aqua, per eum, qui te per ſuam poteſtatem in Cana Galilææ convertit in vinum. Exorcizo te † per incarnationem Filii DEI vivi, per Nativitatem, Circumciſionem, per baptiſmum & ſanctum jejunium ejus, per paſſionem, mortem, & ſepulturam ejus: per reſurrectionem & aſcenſionem ejus: per adventum & gratiam Spiritûs ſancti Paracliti: & per beatam Mariam Virginem, Matrem Domini noſtri JESU Chriſti, & per lac ejusdem Virginis Mariæ; & per omnes Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, principatus, Poteſtates, Cherubim & Seraphim: per omnia Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ: per ſanctum Joannem Baptiſtam, per omnes ſanctos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Innocentes, Confeſſores, Virgines, Viduas, & Continentes DEI, & virtutem omnium Sanctorum, & Sanctarum ejus: ut in virtute JESU CHRISTI deſtruas omne opus nefarium diaboli, & miniſtrorum ejus, omnésque incantationes, ligaturas faſcinationes, ſignaturas, facturas arte diabolica factas, inventas contra famulos & famulas DEI, ita, ut ad nihilum redigantur: & ſicut divina potentia expoliavit infernum, ita expoliare valeas illos ab omnibus facturis: per te extinguantur omnes ardores, calores & frigiditates, cæteræque peſtilentiæ factæ, ſive faciendæ contra famulos & famulas DEI

in

in omnibus factuis. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Exorciſmus.

Iterum exorcizo te, Aqua, per DEUM ✝ vivum, per DEUM ✝ verum, per DEUM ✝ ſanctum, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ut omnes virtutes adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis incurſus, & omne phantaſma inimici eradicentur, & effugiant à te, ut ſis ſancta, ſalutifara, & ignis ardens adversus omnes inſidias inimici, ut, quicunque te biberint, ſeu guſtaverint, ſis eis ſanitas & medicina animæ & corporis, & in virtute ſanctæ Trinitatis effugiat omnis infirmitas, & omne opus nefarium diaboli potatione tui ſeparetur, effugiat, & elongetur. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Initium ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

In principio erat verbum &c.

Oratio.

BEnedicat te ✝, Aqua, DEUS Pater omnipotens, qui te ſuo verbo creavit, & det tibi ad omne malum, & maleficium virtutem, ut quicunque te devotè ſumpſerit, & guſtaverit, liberetur ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis & facturis arte diabolica factis, & ab omni ſpiritu immundo, & per omnia ſancta nomina tua, Domine JEſu Chriſte, ſana cor, & omnia membra famulorum & famularum, & ipſos libera ab omnibus malis

animæ & corporis. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hìc exſufflatur in aquam, dicendo:

Exſufflo te, omnis legio ſatanæ, in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Exorciſmus.

EXorci†zo te, creatura aquæ, in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, ne ſis communis ulli ſpiritui immundo, ad honorem ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis viventis, atque regnantis, ut quicunque te devotè biberint & guſtaverint, omnes ſpiritus immundi cum omnibus facturis ſuis ab eis recedant: itaque exorcizo te †, creatura aquæ, in nomine JESU Chriſti Nazareni, Filii DEI vivi, Regis, & Judicis noſtri, ut ſis purgatio omnium maleficiorum & incantationum factarum creaturæ DEI, quam ipſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit, & ad baptiſmum, & gratiam ſuam vocare dignatus eſt. Te ergo invoco, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ut hanc aquam exorcizare & benedicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus ſpiritus locum in ea ampliùs non habeat, ſed in virtute Spiritûs ſancti, omnes, qui biberint ex ea, recipiant ſanitatem corporis, & animæ, & ab omnibus ſpiritibus immundis, ac operibus eorum ſanentur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oratio.

DIgnare, Domine JESU Chriſte, exorci†zare, bene†dicere, & ſancti†ficare aquam iſtam ad libe-

Digitized by Google

liberandos, & ſanandos famulos, & famulas tuas ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, ſignaturis,& facturis ſibi arte diabolica factis, ut ad nihilum redigantur. Et ſicut tuâ potentiâ infernum ſpoliâſti, ita eâdem exſpoliare digneris ipſos ab omni machinamento diabolica arte facto, qui redemiſti nos in manu forti, & brachio extento. Da, Domine JESU Chriſte, ut, quod fideliter petimus, efficatiter conſequamur. Per te, JESU Chriſte, Salvator mundi, Amen.

Oratio.

TE igitur, Domine JESU Chriſte, qui es fons, & aqua ſalientium in vitam æternam, ſuppliciter exoramus, ut hanc aquam bene✝dicere, & exorci✝zare pro tua pietate digneris in ſalutem, adjutorium,& liberationem famulorum & famularum tuarum, & ipſos tueri ab omnibus maleficiis, incantationibus, & illuſionibus dæmonum, ac miniſtrorum ejus,& ab ipſis potenter illos defendere per virtutem tuam, de cujus latere fluxerunt ſanguis & aqua,in remedium & remiſſionem peccatorum noſtrorum; ita nos, Domine,famuli tui, Clementiam tuam, & nomen ſanctum tuum imploramus,ut, quicunque ex hac aqua biberint,& devotè guſtaverint, abluantur ab omnibus ſordibus dæmonum, & reddantur ſuæ incolumitati: nec eis in futurum nocendi habeat potentiam adverſa dæmonum,& maleficorum poteſtas. Qui ſanctus & pius es,& permanens in ſæcula ſæculorum, Amen.

28.

Benedictio Prandii vel Cœnæ pro maleficiatis, aut à dæmone vexatis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oratio.

IN nomine D.N. JESU Chriſti ego N. ſacerdos DEI bene✝dico, atque exor✝cizo vos, creaturæ panis & vini, carnis, fructûs, cujuscunque comeſtibilis, per illum, qui benedixit panes in deſerto, & multiplicavit. Et per illum, qui aquam in vinum convertit, qui mana patribus dedit in deſerto, omne delectamentum in ſe habens, ut ſitis fortitudo & ſanitas, & purificatio huic, & omnibus creaturis DEI ſumentibus, ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnémque nefariam vim diaboli & facturas ſuas, & figuras omnes, & minas ſatanæ exterminandas, per eum, qui venturus eſt judicare vivos &c. Purificare, ô Domine JESU Chriſte, bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris has creaturas cibi & potûs, quas ego N. Sacerdos tuus in tuo nomine bene✝dico, purifico ✝, & ſanctifico ✝, ut quicunque comederit, vel biberit ex eis, per dilectionem B. M. V. & omnium Sanctorum bibat & comedat coram Domino cum omni lætitia, & ſint contra maleficia & inſidias diaboli, quæ maleficia per hæc potabilia, & comeſtibilia deſtruo, & annihilo, & etiam fugo dæmones, & omnia diabolica in nomine JESU confringo, & eradico, & ejicio à cor-

Digitized by Google

corporibus humanis. O creatura DEI, tolle has creaturas cibi, & potûs, quas miſit tibi DEUS, & quas ego N. ſacerdos DEI exorcizo †, purifico †, benedico † & ſanctifico †, in nomine ſancto ejus, & S. Mariæ Virginis, Requieſce ergo & comede, bibe, & in nomine JESU recedat à te ſatan, cum omnibus ſuis facturis. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

29.

Remedium contra Febres ex S. Ambroſio.

Infirmus confeſſus, & S. Euchariſtia refectus quinque continuis diebus jejunus in Eccleſia genuflectat, teneátque condelam benedictam accenſam in manibus, ſacerdos verò ſingulis diebus ſtolâ indutus legat ſuper eum ſeq. preces. Primò quidem ponat manum ſuper caput infirmi, dicens:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt, JESUS, Mariæ Filius, mundi ſalus, & Dominus, meritis Sanctorum ſuorum ſi tibi clemens & propitius: & liberet te ab omni febri, qui vivit & regnat &c.

Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum. Fac † cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotentem DEUM, qui per SS. Apoſtolos & Martyres ſuos diverſa ſanitatum dona largitur, Fratres Chariſſimi deprecemur, ut huic famulo ſuo N. (famulæ ſuæ N.) qui febris vexatione fatigatur, fideliſſimi famuli ſui Sigismundi precibus

Digitized by Google

clementer occurrat: qui dum nobis illius patefecit merita, iſta conferat medicinam per Chriſtum &c.

Lectio Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli.

Chariſſimi, triſtatur aliquis veſtrûm? oret: æquo animo eſt? pſallat: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum: ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.

℟. DEO gratias.

℣. Domine, refugium factus es nobis à generatione & progenie. Alleluja.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

In illo tempore: ſurgens de Synagoga introivit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et ſtans ſuper eam imperavit febri, & dimiſit illam: & continuò ſurgens miniſtrabat illis. Cùm autem ſol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JESUM. At ille ſingulis manus imponens curabat eos.

℟. Laus tibi Chriſte.

Det ei librum oſculandum.

Infirmorum propitiator, abjectorum protector, deſperatorum ſalvator, DEUS Patris mei, & DEUS hæreditatis Iſraël: dominator cœlorum & terræ, crea-

Digitized by Google

creator aquarum, & Rex totius creaturæ: axaudi preces noſtras, & ad aures miſericordiæ tuæ ſupplicantium vota perveniant.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, qui contuliſti fidelibus tuis remedium vitæ poſt mortem, ut ſanos ſe eſſe ſentiant, quibus paradyſus patet: præſta, quæſumus, ut quod fideliter in nomine electi tui Sigiſmundi pro infirmitatibus petimus, famulus tuus, qui febrium patitur moleſtiam, celerem medicinam conſequatur. Præſta ergo, Domine, ut quicunque ſub conſpectu nominis tui nomen famuli tui Sigiſmundi invocaverit, ad ſanitatem priſtinam ex tua gratia ſe perveniſſe protinus ſentiat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, A.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

℣. Surſum corda.

℟. Habemus ad Dominum..

℣. Gratias agamus Domino DEO noſtro.

℟. Dignum & juſtum eſt.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, qui peccata noſtra portavit in corpore ſuo, cujus vulnere plagarum ſancti facti ſumus: cujus tactu vis febrium mox receſſit: cujus ſermone confeſtim ſurdus audivit: cujus juſſu mutus fari non diſtulit, claudus cucurrit, cæcus vidit, ægrotus convaluit, quatriduanus de ſepulchro ſurrexit. Nunc ergo, Domine donum Majeſtatis tuæ

Digitized by Google

agnoſcimus, requiem eſſe homini pacifico. Tu namque omnipotens æterne Deus, qui inter bellatorum tumultus, & adverſariorum perſecutiones famulo tuo Sigismundo triumphum Martyrii contuliſti, ſecutus gratiam, ſecutus miſericordiam, ut poſt mortem oſtendat virtutem, quam ante mortem firmavit. In fide enim tua dona ſunt, Domine, ut in nomine electi tui Sigismundi per communicationem Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti tempeſtatem frigoris excutias, febrium ardorem repellas, & præſentem famulum tuum N. ad ſanitatem priſtinam revocare digneris, per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem Majeſtatem tuam &c.

Ut in præfatione &c. Sanctus, ſanctus, &c.

Non eſt aliud refugium, niſi in te ſperare, Chriſte. Precibus ſupplicum tuorum libera nos, Domine.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, quæſumus clementiam tuam, ut benedicendo ſancti†fices, & conſecrando † conſecres hoc oleum: ut quicunque ex eo uſi fuerint, bene†dictionis tuæ opulentiâ corda & viſcera eorum repleantur, & cuncta membra eorum per gratiam S. Spiritûs à veneno antiqui ſerpentis liberentur. Per Chriſtum &c.

Et ego ſacerdos tuus bene†dico, & ſancti†fico hoc oleum; ad reſtituendum obſeſſis liberationem, febricantibus valetudinem, & ægrotantibus ſanitatem,

Digitized by Google

tem, ad comprimendos tumores, ad leniendos dolores, ad reprimenda noxia, ad reſtituendam conjugii amorem, & ad expellendum malignum adverſarium; & quisquis eo uſus fuerit ab omni pariter languore ſanetur, & à morſu antiqui ſerpentis nunquam lædatur. Fundat petra rivulos olei ſuper vexatos à diabolo, & ungat eos Deus oleo lætitiæ in habitaculis juſtorum, multiplicet DEUS bene✝dictiones ſuas ſuper hoc oleum ſanctificatum, & perficiat ſanctificationem ſuam in ſalutem noſtram ſempiternam. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Filium ſuum, qui mundum unxit oleo miſericordiæ ſuæ, quique cum eo & Spiritu ſancto vivit & regnat, &c.

Aſpergatur & thurificetur.

Sacerdos hoc oleo aliquem infirmum uncturus dicat:

Sicut ſanctus ſanctorum unctus fuit ſpiritu Domini, ſic Spiritus ſanctus ſit ſuper te, creatura Dei, quam ego ungo olei ſacrati liquore (*hic ungat infirmum in fronte*) & per iſtud ſanctum oleum & unctionem ſanctam libero & abſolvo te ab operibus malignis ſatanæ; ac deſtruo omnia maleficia, incantationes, ligaturas, dolores, & tumores arte diabolicâ factos; ut in omni parte olei ſancti, & S. Cru✝cis virtute diabolicos impetus contemnere valeas, atque hoc medicamento ſancto omnem dæmonis infeſtationem procul repellere poſſis, prout ego repello, annihilo, & deſtruo, in nomine Pa✝tris, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Hic ungat ſingula membra infecta, vel ſaucia, quantum honeſtas permittit, & ad ſingulas unctiones dicat :

Per iſtam ſanctam unctionem, & benedictionem reſtituat te Dominus in ſtatum priſtinum, & conſervet te in omni ſanctificatione & virtute. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Peracta unctione dicat :

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui es ſalus & medicina vera, è quo omnis ſanitas & proſperitas dimanat: qui inſtituiſti, ut languidos olei liquore in ſalutem ungamus, quæſumus clementiam tuam, ut diabolica vexatione laborantem ſanare digneris: fiátque hæc olei ſancti perunctio morbi præſentis expulſio. Et ſicut ego oleo ſancto tuo creaturam tuam unxi, ſic & tu divinâ medicinâ digneris eam ungere, & ab infirmitate ſua liberare. Qui vivis & regnas &c.

30.

Benedictio Thuris ſive incenſi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

EXorcizo te, creatura incenſi, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui omnia ex nihilo creavit, & pravos angelos de cœlo ad iſta inferiora expulit: ut ſis in defenſionem noſtram, & efficiaris fumigatio & creatura benedicta in perpetuam pœnam omnibus malignis ſpiritibus, & in ſolutionem omnium ligaminum.

Per

Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Oremus.

Domine JESU Chriſte, bene✝dicere & ſancti✝ficare per tuam clementiam digneris hanc creaturam incenſi; ut in quemcunque locum odor ejus pervenerit, ibi nullus ſpiritus, nulla incantatio, nullúmque maleficium poſſit perdurare aut conſiſtere. Et ſicut fumus Jecoris piſcis à Sara dæmonium expulit, ita fumus incenſi hujus expellat omnes malignos ſpiritus, cum omnibus maleficiis ſuis, per ſignum ſanctæ cru✝cis tuæ, in qua redemiſti mundum. Qui vivis &c.

Oremus.

Deprecor te, Domine JEſu Chriſte, ut hanc creaturam odoriferam, quam in nomine tuo puri✝fico, & bene✝dico, tuâ ſanctâ virtute digneris corroborare, & odore ejus omnes dæmones cum facturis ſuis effugare. Et ego ſacerdos DEI bene✝dico te, creatura odorifera, ut in odore tuo benedicatur domus, locus & cubile, ubi accenſa fueris; ita ut nullus ſpiritus malus odorem tuum ſentiens poſſit ſtare aut perdurare. Nam domum, locum & cubiculum, ubi odor tuus fuerit, bene✝dico, & omni benedictione cœleſti repleo; ita, ut ſit domus & locus & cubiculum DEI, & habitaculum SS. Angelorum. Et quisquis fumigatus fuerit hac creaturâ benedictâ, ſanctificetur & benedicatur à D. N. JESU Chriſto, & ſit liber ab omni infeſtatione ſatanæ & miniſtrorum ejus. Per eundem Chriſtum &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

PEr interceſſionem B. Michaëlis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium Electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene✝dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Sit, quæſumus, Domine, famulis tuis pretioſo ſanguine tuo redemptis defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, & omnes incantationes, præſtigia & diabilicas vexationes. Et in quocunque loco odor hujus incenſi fuerit, nullum maleficium, nullàque moleſtatio diabolica poſſit perdurare. Sed ſtatim tuâ immenſâ potentiâ & virtute tollatur, & abigatur per ſignum S. crucis tuæ. Qui vivis &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

31.

Benedictio Rutæ contra dæmoniacos.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEne✝dic, Domine JESU Chriſte, hanc creaturam Rutæ, & infunde ei per virtutem ſanctæ cru✝cis, tuam benedictionem cæleſtem, ut ei, qui ex ea fumigatus fuerit, vel ſuper ſe eam habuerit, nullus inimicus nocer[illegible]ſſit. Et in quibuscunque locis poſita vel portata fuerit, ab eis diſcedat & contremiſcat diabolus, fugiàtque pavidus: & non præſumat ampliùs inquietare vel illudere creaturis tuis. Proinde ſupplico tibi, Domine, ut S. Angelum tuum Raphaëlem mittas, qui expulit à Sara & Tobia dæmonem mortiferum, ut illam conterat

rat & diſperdat de cunctis animabus colentibus DEUM: & de balneis, & de angulis, & de lectulis, & de omnibus locis, in quibus DEO famulantes habitant, & requieſcunt, vigilant & conſiſtunt. Nec valeat amplius inquietare, vel pavores immittere ſuper illos, quos ſancti Chriſmatis tui unctione feciſti munitos. Bene✝dicaris igitur Ruta in nomine SS. Trinitatis, Patris ✝ omnipotentis, & Filii unigeniti Domini noſtri JUSU ✝ Chriſti, & Spiritûs ✝ ſancti paraclyti, ut ſis exterminatio diaboli & omnium contubernalium ejus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt: bene✝dicere digneris hanc creaturam Rutæ, & ſuper eam bene✝dictionem tuam effunde: ut per tuam ſanctiſſimam virtutem, & copioſiſſimam bene✝dictionem, quemcunque dæmonem famulos tuos vexantem, torqueat & fatiget: ipſúmque à famulis tuis pretioſiſſimo ſanguine Domini N. JESU Chriſti Filii tui redemptis, arceat & expellat. Per eundem Chriſtum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui inter cætera virtutis tuæ opera, terram germinare herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum mandâſti: quæſumus clementiam divinæ bonitatis tuæ, ut benedi✝cere & ſancti✝ficare

re

re digneris hanc Rutam; ut quicunque illam ſuper ſe portaverit, vel etiam tantùm olfacto ſenſerit, ab omni invaſione diabolica atque malefica ſit liber & ſecurus. Dæmones quoque & omnes malefici odorem hujus Rutæ benedictæ ſentientes fugiant procul, & quemadmodum olera herbarum citò decidant. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c.

Modicum hujus Rutæ, unâ cum Thure benedicto, ad collum maleficiati appenſa valet ad maleficium infirmandum & diabolum coarctandum.

32.

Fumigatio Dæmoniacorum ad expellendum diabolum & maleficia ſolvendum.

Accipe Rutam, Thus, & Grana Juniperi, & benedic illa, ut ſequitur, ſicut habetur in Theſauro Exorciſmorum pag. 185.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine, exaudi &c.

℟. Et clamor &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Exorcizo te, creatura Rutæ, Thuris, & Grani Juniperi, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per ſanctiſſimam Trinitatem Patrem †, & Filium †, & Spiritum † ſanctum. Per Deum, qui omnia creavit ex nihilo: Per Deum, qui expulit pravos Angelos ad iſta inferiora. Per JEſum Chriſtum Filium ejus, Dominum noſtrum, qui dabit prædeſtinatis regnum æternum, & reprobis ignem infernalem perpetuum. Per omnia nomina ſancta Dei con†juro & exorcizo te; ut ſis in defenſionem

nem noſtram, & efficiaris perpetua fumigatio exorcizata, bene✝dicta & conſe✝crata in ſalutem noſtram, & omnium fidelium Chriſtianorum: ſisque perpetua pœna omnibus malignis ſpiritibus, & fortiſſimus ignis eorum, magis quam ſit damnatis ſpiritibus ſulphur & ignis infernalis. Et omnia ſupradicta ſint nobis defenſio, & perpetua expulſio, atque fumigatio omnium ſpirituum ac ſolutio omnimm ligaminum, & facturarum ac præſtigiorum: ita ut nihil prædictorum nos, nec hanc creaturam DEI N. neque locum, in quo moratur, modo aliquo offendere & impedire valeat. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Oremus.

INeffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut ſicut es unus in eſſentia, & trinus in perſonis, ſcilicet Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus ita benedicere ✝ & conſe✝crare digneris per immenſam clementiam & pietatem tuam, hanc creaturam ſuffumigationis: ut ſit omnibus ipſam ſentientibus odor & defenſio perpetua contra omnes malignos ſpiritus, omnésque incantationes, præſtigia & maleficia. Sitque perpetua expulſio malignorum ſpirituum, præſtigiorum annihilatio, ſolutio ligationum, & diſſolutio omnium maleficiorum. Et in quemcunqne locum odor ejus pervenerit, nullus ſpiritus, nulla faſcinatio, nullum maleficium, nulláque moleſtia maligni ſpiritus poſſit durare neque ſtare; Et quicunque odorem

rem hujus ſuffumigationis ſenſerit, à quorumcunque malignorum ſpirituum invaſione liberetur, & ab omni maleficio quomodocunque facto evacuetur. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur & detur maleficiato, ut omni die ſæpiùs ex illo odore fumigetur.

33.

Benedictio Herbarum, ſive Profumigationis contra maleficia, vulgò Hexen-Rauch, oder Pulver.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS omnipotens, qui in creatione univerſi inter mirabilia opera tua dixiſti: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & eam dediſti nobis in eſcam & uſum, quia valde bona: Sic propter nomen ſanctum tuum laudabile & benedictum, magnum, & glorificatum in cœlo & in terra, pone dexteram tuam plenam largâ benedictione ſuper has herbas, & reple eas cunctis benedictionibus, prout ego in nomine ſancto tuo Jehova eas exorcizo ✝, benedico ✝, & ſanctifico ✝, & ubicunque collocatæ fuerint ſive in lânis, vel plumis, vel paleis, vel lectis, vel in domibus, cubiculis, habitationibus, & in quibuscunque locis vel ſu-

Digitized by Google

ſuper ſe habuerit, vel portaverit, vel ſi quis fuerit ex eis fumigatus, vel in balneo locus, per omnipotentiam tuam,& virtutem Paſſionis D.N. JEſu ChriſtiFilii tui,elongetur ab eis omne malum, omne periculum,omnes virtutes & opera ſatanæ,ſicut elongatum eſt cœlum à terra, lux à tenebris, veritas à mendacio, nec habeant poteſtates ipſi adverſarii noſtri latitandi, nocendi, veritatem tacendi, nec permanendi in ipſis locis & creaturis, & ideo per eum, qui dat herbam ſervituti hominum,& per virtutem ſanctiſſimi Nominis tui Tetragrammaton, & per vocem ipſius dicentis: Pater, ignoſce illis, qui neſciunt,quid faciunt,has herbas benedico ✝ ſanctifico ✝ ad fugandos dæmones,ad deſtruendum,& annihilandum, extirpandum & eradicandum omne maleficium, incantamentum, ligationes, ſignaturas & facturas à corporibus humanis & aliis creaturis, & à quibusvis locis omne opus diabolicum factum, vel fiendum, ita ut ibi nulla habitatio, & virtus nulla ſit inimici. Sed in Nomine JESU, cujus SS. Nomen, & virtutem, & potentiam invoco ſuper has herbas, recedant maledicti, & vadant præcipites confuſi in barathro, in tartaro, in gehenna, & inferno cum operibus ſuis hæreticalibus, & inhabitent ſancti Angeli DEI, ut recipiant ſanitatem; & ſicut pluviis germinat herba de terra, ſic ros de cœlo, & virtus Spiritûs ſancti pluat ſuper herbas, & per ſuam ſanctam benedictionem ✝ fiant herbæ virentes, paſcua pinguia ſuper montes Iſraël. Require, æterne DEUS, quod perierat, reduc, quod abjectum eſt, alliga, quod confractum, & conſolida, quod infirmum eſt, cuſtodi, quod forte &

pingue eſt, & paſce oves tuas, & accubare facias in Sinu Abrahæ per JESUM Chriſtum, qui languores noſtros & dolores portavit, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras & attritus eſt propter ſcelera noſtra & livore ejus ſanati ſumus, Amen.

Exorciſmus.

Exorcizo te, creatura profumigationis, per DEUM ✠ verum, per DEUM ✠ ſanctum, per DEUM, qui Moyſi ſervo ſuo altare aureum ſub tecto teſtimonii contra velum ad adolendum ſuper eo incenſum aromatum ponendum imperavit: ut benedicaris ✠ & ſanctificeris ✠ divina deſuper adveniente virtute, ut quicunque te ſuper ſe portaverit, vel odoratu ſenſerit, fiat ſacrificium Domini in odorem ſuavitatis ad expulſionem diaboli, & maleficiorum deſtructionem, ut confortatus ab Angelo Domini bono ſemper exiſtat, ſicut Zacharias ſacerdos Domini, cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante DEUM, & ſorte exiit, ut incenſum poneret. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

℣. Domine exaudi &c.

Oremus.

Fortiſſime DEUS ſpirituum univerſæ carnis, quia apertè fuiſti revelatus domui Eli, cùm eſſet in Ægypto in domo Pharaonis, & elegiſti eum ex omnibus tribubus Iſraël in ſacerdotem, ut aſcenderet ad altare tuum, & adoloret incen-

ſum

ſum tibi: & portaret Ephod coram te; dirigatur, quæſumus, oratio ſicut incenſum in conſpectu tuo, & propitius ad noſtræ clemens reſpice officia ſervitutis, ut benedicere † & ſanctificare † digneris hanc creaturam incenſi, & quicunque in nomine tuo eam ſuper ſe portaverit, vel odoratu ſenſerit, ab omni infeſtatione diabolicæ tyrannidis maleficii oppreſſione ſalvus ſemper exiſtat. Per Dominum &c,

Exorciſmus.

Iterum exorcizo te, creatura, per DEUM † vivum, per DEUM † verum, per DEUM † ſanctum: Per SS. Trinitatem Patrem † Filium † & Spiritum † ſanctum, & per DEUM, qui creavit omnia ex nihilo, per eum, qui expulit pravos Angelos de cœlo ad iſta inferiora; Per JEſum Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum, qui dabit prædeſtinatis feliciſſimè regnum æternum, & reprobis regnum infernale perpetuum; per omnia Nomina ſancta ipſius Dei conjuro & exorcizo † te, & per omnia ſuprà dicta, ut ſis in defenſionem noſtram, & efficiaris perpetua fumigatio exorcizata † benedicta † & conſecrata † in ſalutem noſtram, & omnium fidelium Chriſtianorum, & perpetua pœna ſis omnibus malignis ſpiritibus, & fortiſſimus ac infinitus ignis eorum & magis, quàm ſit infernalibus ſpiritibus ſulphur, & ignis infernalis, & omnis pœna, & omnia ſuprà dicta ſint nobis defenſio, & perpetua fugatio & expulſio, fugatio omnium ſpirituum, ac ſolutio omnium ligaminum ac facturarum & præſtigiorum, ita, ut nihil prædictorum nos, nec aliquam

Digitized by Google

creaturam DEI, neque locum aliquem ullo modo offendere,& impedire valeat, per eum, qui venturus eſt &c.

Oremus.

INeffabilem miſericordiam tuam & clementiam, omnipotens æterne DEUS, humiliter imploramus, ut ſicut tu es unus in eſſentia & trinus in perſonis, ſcilicet Pater, Verbum,& Spiritus ſanctus, ita benedicere † & conſecrare † per immenſam clementiam & pietatem tuam digneris hanc creaturam ſuffumigationis, ut ſit omnibus Chriſtianis ipſam ſumentibus odor & defenſio perpetua contra omnes malignos ſpiritus, & omnes incantationes, præſtigia & maleficia; ſitque perpetua expulſio malignorum ſpirituum, & omnium incantationum facturarum, & præſtigiorum annihilatio, ac ſolutio perpetua omnium ligationum, & diſſolutio omnium maleficiorum, & in quocunque loco odor ejus venerit, ſive affuerit, nullus ſpiritus, nulláque incantatio, diabolorum nulla faſcinatio, nullum maleficium, nulla moleſtia maligni ſpiritus poſſit perdurare, neque ſtare modo aliquo, ſed ſtatim tuâ immensâ virtute & potentiâ fugiant perpetuò, & procul expellantur omnes inſidiæ latentis inimici, ac eorum inhabitationes diſſolvantur, & annihilentur per ſignum ſanctæ Crucis † Domini noſtri JESU Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat &c.

Conjuratio.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Ego

EGo Miniſter Exorciſta S. Eccleſiæ Apoſtolicæ Rom. per Authoritatem fundatam in Paſſione & cruce Domini noſtri JESU CHRISTI mihi conceſſam ſuper ſerpentes & ſcorpiones, ſuper aſpides & baſiliſcos, & ſuper leonem, draconem, termino omnia maleficia, incantationes, ligationes, & ſignaturas, facturas, rumores, infeſtationes, inquietudines, perturbationes, dolores & tormenta quæcunque qualiterque & quomodocunque creaturæ DEI arte diabolica facta, ubi hanc materiam fumigationis vel ſecum portaverit, vel odore ſenſerit, & ſicut æternus DEUS conſtituit homini terminos dierum & menſium, quos præterire non poſſunt: ſic terminum & finem impono omnibus operibus ſatanæ, ne de cætero aliquam creaturam DEI iniquietare, moleſtare, nec perturbare poſſint, nec valeant, per eum, qui circumdedit aquis terminum, quem non transgredientur: per eum, qui fecit omnes terminos terræ, & poſuit terminos à mari usque ad mare, & à deſerto usque ad deſertum: Per eum, qui terminavit & fine clauſit terram Chanaan: per eum, qui terminavit omnem locum à deſerto, & à Libano, & à flumine magno Euphrate, usque ad mare occidentale, & terminavit omnem terram trans Jordanem, & ſicut omipotens DEUS in creatione univerſi terminavit lucem à tenebris, & aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſupra firmamentum, & terminavit aquas, quæ ſub cœlo ſunt in locum unum, & herbam & lignum, ut ferrent fructum & ſemen ſecundùm ſpeciem ſuam; & ſicut terminavit luminare majus, ut præeſſet diei,

& luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas in firmamento cœli, & omnem animam viventem in aquis in ſpecies ſuas & omne volatile ſecundùm genus ſuum & jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas, & ſicut hæc omnia creata terminavit omnipotens ſub hominis poteſtate, quem formaverat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſic in virtute ipſius DEI, & per virtutem, quâ omnia terminata ſunt, definio, ac termino omnia maleficia, incantationes, ligationes, ſignaturas, ac faſcinationes, rumores, infeſtationes, inquietudines, perturbationes, dolores, tormenta cuncta diabolica ſuper creaturas DEI facta: & ſicut DEUS benedixit illis, ſic ab omnibus cruciatibus dæmonum liberentur: benedicat ✝ DEUS, & ego in nomine ſancto tuo termino omnia maleficia & benedico ✝ te, propoſita materia, ut ſis nunc & ſemper benedicta, ſicut DEUS benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit eum; ſicut benedixit Noë & Filius ſuis: ſicut; benedixit Abraham, & magnificavit nomen inter Sanctos: ſicut benedixit Melchiſedech offerenti panem & vinum. Benedicat ✝ te DEUS, corroboret te bene✝dictione ſancta ſua contra infeſtationes diabolicas, prout termino omnia maleficia, & bene✝dico te DEO excelſo, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſint: ac omnia maleficia, incantationes, ligaturas, ſignaturas, facturas, rumores, infeſtationes, inquietudines, perturbationes, & dolores, tormenta cuncta per

me

Digitized by Google

me terminata ſolvo, deſtruo, annihilo, diſſipo & eradico.

Benedicat te DEUS noſter ex Sion: benedicat te DEUS per ſingulos dies in omni opere manuum tuarum: bene✝dicat tibi DEUS & cuſtodiat te, oſtendat Dominus potentiam ſuam in te materia ſuffumigationis, bene✝dicat te in omnibus benedictione cœleſti, ut ſis ſancta & benedicta. Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cœli & extendat manum ſuam ad te & benedicat tibi, ſit benedictio DEI ſuper te, ſicut ſuper montem Garizim, & ſicut ſuper Obededom, & omnem domum ejus, ſit hæc benedictio terminus contra aquilonem, ut nullus terreat maleficii gladius, ubi hæc materia fuerit poſita, vel odoratu ſenſa. Pone, DEUS omnipotens, dexteram tuam plenam larga benedictione ſuper creaturam iſtam, & reple eam æternis benedictionibus, ſicut à principio poſuiſti Adam in Paradiſo, à quo manare feciſti magnum flumen, & de quo diviſiſti quatuor flumina ſcilicet Phiſon, Gehon, Tygrim, & Euphratem, quibus totum mundum rigare præcepiſti, & ſicut nemo potuit, nec poteſt tuæ contradicere voluntati, ſic non permittas aliquem moleſtari per maleficia, ubi hæc materia fuerit collocata, vel odoratu percepta, ſic rogo te, omnipotens DEUS, per merita & omnes deprecationes & perfectiones Sanctorum & Sanctarum DEI. Sic rogo te per ſacrificium Abel, per cuſtodiam Angelorum, per fortitudinem Michaëlis Archangeli, per annuntiationes Gabrielis, & per medicinam Raphaëlis, per oblationes

 Enoch,

Enoch, per liberationem Noë, per oblationem Iſaac, quem redemit DEUS per Angelum: per oblationem Melchiſedech & per Sacrificia omnium ſacerdotum, per caſtitatem, vincula, & pulchritudinem Joſeph, per patientiam Job, per dilectionem & humilitatem Moyſis, per Religionem Aaron, per orationes, myſteria, & virtutes Pſalmorum David, per lamentationes Jeremiæ, per orationem Zachariæ, per eum, quem vidit Moyſes de facie ad faciem, per omnes Sanctos & Sanctas inceſſabili voce Deum laudantes, & per voces Angelorum canentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ, qui fuit, qui eſt, & qui venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos. Per claritatem Deitatis, & per ſplendorem corporis Chriſti, & luminum cœleſtium, per ſermones Apoſtolorum, per linguas Evangeliſtarum, per ſanguinem & conſtantiam Martyrum, per orationes & jejunia Confeſſorum omnium, & Monachorum, & virginum, per Nativitatem D. N. JEſu Chriſti, per baptiſmum ejus, per vocem auditam à Patre de cœlis tonantem & ſuper eum dicentem: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite: & per jejunium Chriſti, & virtutem miraculorum ejus, & per eum, qui convertit aquam in vinum, & per eum, qui multiplicavit panes & piſces, & ſatiavit quinque millia hominum in deſerto, & per eum, cui reſurrexit Lazarus quatriduanus, & per eum, qui fecit tranquillitatem in mari, & qui fecit ventos ceſſare, & ambulavit, & facit ambula-

lare Petrum ſuper aquas, & per eum, qui fuit crucifixus, & ſepultus, ſurrexit tertia die; & per aſcenſionem ejus, & Angelorum millia millium, qui cum eo aſcenderunt in cœlum, & per Spiritûs ſancti miſſionem ſuper Apoſtolos, & per omnia, quæ Chriſtus dixit, fecit, & adimplevit.

Benedico ✠ te, materia fumigationis, & per te ſint terminata, expulſa, confracta, diſſipata, deſtructa, extirpata, & eradicata omnia maleficia & opera ſatanæ, & miniſtrorum ejus, ſicut DEUS deſtruxit aquis diluvii omnem ſubſtantiam de ſuperficie terræ; ſicut deſtruxit Pharaonem, & Ægyptum plagis maximis, & involvit in mediis fluctibus, ſicut Dathan & Abiron & univerſam ſubſtantiam eorum; ſicut deſtruxit Reges Amorrhæorum, Sicut Sodomam & Gomorrham; ſicut deſtruxit Siſaram, Holofernem, Jezabel, Philiſthiim & Prophetas Baal, ſicut deſtruxit viros accuſantes Danielem, ſic per te deſtruantur omnes faſcinationes, ſignaturæ, ligaturæ, omnis virtus, & potentia diaboli per nomen DEI, qui es DEUS Abraham, DEUS Iſaac, DEUS Jacob, Rex magnus, & glorificatus, & adoratus, vivificatus in cœlo & in terra, terminentur, diſſolvantur, & annihilentur omnes facturæ ſatanæ & miniſtrorum ejus. Conjuro vos maligni ſpiritus per nomen DEI vivi, & per virtutem ejus, qui principium non habet, neque finem, qui ſupra nubem ambulat, & ſuper pennas ventorum, & qui ferrebatur ſuper aquas. Et per Angelos, qui coram eo ſtant, quorum facies opertæ ſunt.

Digitized by Google

Per Dominum, magnum Deum deorum, Dominum dominantium; qui liberavit filios Iſraël de ſervitute Ægypti, & tres pueros, qui poſiti fuerunt in camino ignis ardentis, & non eſt combuſtus ex eis capillus: quia DEUS deſcendit in medio, & reſolvit vincula eorum, ita ſolvantur omnia vincula maleficiorum, & omne malum à creaturis DEI, hominibus & pecoribus per officium, & ſacrificium, quæ quotidie celebrantur ad Dominum DEUM noſtrum, & per ſanguinem D. N. JEſu Chriſti, qui effuſus fuit ſuper lignum crucis, per coronam ſpineam, & flagella, & opprobria illata, per mortem & ſepulturam, per reſurrectionem & aſcenſionem. Diſſolvantur igitur per te, materia ſuffumigationis, omnia mala facturarum, præſtigiorum, faſcinationum &c. Diſſolvantur per te malignæ tempeſtates, condenſio nubium, impetus grandinis & omnis malignitas per malitiam diaboli, & miniſtratorum ejus in aëre ſive in terra, ſeu in quocunque loco inſtituta. Per DEUM † Patrem omnipotentem, Filium †, & Spiritum † ſanctum, qui eſt DEUS unus regnans in ſæcula ſæculorum, Amen.

Contra malignas tempeſtates dicatur ter:

In virtute ſanguinis Verbi incarnati, & in virtute eſſentiæ æterni Patris; diſcedite hinc ſpiritus maledicti in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Vel

† Alpha & † Omega, Qui eſt † Adonai Tetragrammaton † Ineffabilis † Incomprehenſibilis † Sanctus †

ctus † Sanctus † Sanctus † Dominus DEUS Sabaoth † Verbum incarnatum habitavit in nobis † & pro nobis crucifixum eſt † per Ipſum † & cum Ipſo † & in Ipſo † eſt Deo Patri † in unitate Spiritûs ſancti † omnis honor & gloria † omnibus autem ſpiritibus malignis omnis confuſio † per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Ite, ite, ite, maledicti ſpiritus, in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti, Amen.

34.

Benedictio Panis, ex herbis confecti, contra maleficia, vulgò Heren-Brod, oder Zeltlein.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

INeffabilem Clementiam tuam, omnipotens æterne DEUS, humiliter imploramus, ut ſicut tu es unus in eſſentia & trinus in perſonis, ſcilicet Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ita bene†dicere, puri†ficare, & conſe†crare per immenſam clementiam & pietatem tuam digneris hanc compoſitionem panis, & ſis omnibus creaturis ipſum ſumentibus odor & defenſio perpetua, contra omnes incantationes, præſtigia & maleficia, ſitque perpetua expulſio malignorum ſpirituum, & omnium incantationum, facturarum, ac præſtigiorum annihilatio, ſitque perpetua diſſolutio omnium maleficiorum, ut quando creatura tua, qualiscunque ex

ex eo comederit, vel in quemcunque locum fumigatio ejus venerit, nullus ſpiritus, nulláque incantatio diabolica, nulláque moleſtia maligni ſpiritûs poſſit perdurare, neque ſtare quocunque modo. ſed ſtatim tuâ immensâ virtute & potentiâ fugiant perpetuò & procul hinc expellantur omnes inſidiæ latentis inimici, aç eorum inhabitationes & infeſtationes diſſolvantur, & annihilentur per ſignum Cru†cis D. N. JESU Chriſti: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui nobis ſacerdotibus non noſtris meritis, ſed ſola dignatione clementiæ tuæ præ cæteris gratiam contuliſti, ut quidquid à nobis in tuo Nomine dignè ac perfectè agitur, à te fieri credatur; adeſto, quæſumus, noſtræ officio ſervitutis, & bene†dicere & ſancti†ficare digneris hanc compoſitionem panis, quam nos in nomine ſancto gloriæ tuæ benedicere confidimus. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Peto itaque, Domine JESU Chriſte, ut bene†dicas hanc compoſitionem panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut ſit ſumentibus ſalus mentis & corporis contra impoſturas, morbos & univerſas inſidias diaboli. Nam ego N. Sacerdos tuus in nomine tuo hanc compoſitionem panis bene†dico, ſancti†fico & exor†cizo, ſicut Elias benedixit farinam in hydria viduæ, & fecit ſubcinericium

cium panem benedictum Eliæ, qui ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb; ſic hunc panem in nomine tuo bene✝dico & ſancti✝fico, creaturis tuis trado, ut accipiant, & comedant ad eradicandum à corporibus ſuis omne maleficium, incantationem, ligamen omnium magorum, ſtrigium, aut divinantium, omne opus diabolicum & qualescunque corporis moleſtias. O Domine JESU Chriſte, qui es panis natus in Bethlehem: panis vitæ, bene✝dic & ſancti✝fica hanc compoſitionem panis, & ego per ſanctum Nomen tuum & ſancti N. eam bene✝dico & ſancti✝fico, & per ipſum ſanctum Nomen tuum terribile deſtruo & annihilo omnia maleficia, incantationes, faſcinationes, ligaturas, & divinationes, & in tuo ſancto Nomine benedictione hâc, virtutem infundo, ut ſit panis benedictus per te, qui es benedictus per ſæcula, Amen.

O Panis bene✝dicte, Dominus tecum ſit, ut extinguat venena, noxia comprimat, adverſa depellat, maleficia deſtruat, dæmonia fuget à cunctis creaturis eo utentibus. O ſanctiſſima Virgo Maria, ſanctifica hunc panem per intemeratam Virginitatem tuam, ut ſit ignis ardens contra dæmones & deſtruat facturas, & omnia opera ſatanæ, Amen.

Deſcendat, quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, in hanc compoſitionem panis virtus Spiritûs ſancti, & bene✝dicat, inflam✝met, & exorci✝zet, & ut, quæcunque creatura ex eo comederit vel guſtaverit in nomine tuo, & dilecti Filii tui & Spiritûs ſancti, ab omnibus operibus ſatanæ ſane-

netur. Per hoc ſignum S. Crucis fugiant omnes dæmones ſive phantaſmata, & quodcunque opus diabolicum, omniſque virtus maligna omnino extinguatur, deſtruatur & annihiletur ad honorem Majeſtatis tuæ excelſæ. Da, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ut, quod ardentiſſime efflagitamus, per tuam infinitam miſericordiam efficaciter conſequamur. Qui vivis regnas DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

BEnedic ✠, Domine, panem iſtum, ut ſalutare remedium ſit facturæ tuæ, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti, & præſta per invocationem Nominis tui, ut quisquis ex eo uſus fuerit, benedictionem accipiat, & ſanitatem, atque contra omnes morbos, & inſenſas inimicorum inſidias ſit tutamen. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

35.

Remedium contra Philtrum propinatum.

ACcipie 1. Rutas pulverizatas, ceram baptiſmalem, & partem ex illis quinque granis cerei, quibus mane & veſpere caput fumiga.

2. Antequam vadis cubitum, intinge linteolum in ſucco rutarum, & fronti impoſitum per totam habebis noctem.

3. Accipe malvas, rutas, & perforatas fac ebullire in aqua benedicta (eſt propria benedictio in Theſauro) qua per octo aut decem dies continuas lavabis pedes & brachia.

Re-

Remedium contra dolores ſtomachi & gutturis, quos habuit aliqua perſona poſt ſolutam maleficam avulſionem.

Primò; Manè dum ſurgis & veſpere dum cubium vadis, accipe duas drachmas benedicti olei & ſex unicas juſculi vitulini non ſalſi, & ſume.

2. Eodem oleo benedicto te unge, & ſignum S. Crucis forma in ſequentibus partibus: in fronte, in utroque oculo, in aure, in arteriis manuum, pedúmque, in corde, in foſſula cordis, & in gutture, ſeu faucibus, ubi ſenſeras dolores.

36.

Modus ac Methodus.

Conficiendi maſſam ſacram è ſpeciebus ſacræ fumigationis, & quædam benedictiones earundem ſpecierum benedictionibus addendæ, ut efficacius fiat.

Ante omnia & maximè conſulendum, quòd exorciſmi & herbarum benedictiones & quarumcunque ſpecierum ad maſſam ſacram & etiam ad fumigationem ſacram concurrentium, ſive ad illam ſpecificatarum fiant in loco ſacro, & ciborio ſanctiſſimo ſuper altare poſito, accenſis utrinque candelis, & ſaltem uno vel duobus aſſiſtentibus & ſacerdoti benedicenti reſpondentibus. Sacerdos verò ſit indutus rochetô & ſtolâ violacei coloris, ad manum poſito vaſculo cùm benedicta aqua jam ante conſueto more benedicta.

Benedictio efficaciſſima ceræ pro maſſa ſacra conficienda.

Exorcizo te, creatura ceræ, quam mater apis nobis miniſtravit, per DEUM ✝ vivum, per

per DEUM ✠ verum, per DEUM † ſanctum, ut omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omniſque incurſio, & omne phantaſma ſatanæ eradicetur à te, & fias omnibus te utentibus medicina ad expellendas omnes ſacturas, & fuganda omnia maleficia ſatanæ, & miniſtrorum ejus, ac ut ipſum inimicum cum omnibus maleficiis, incantationibus ligationibus, ſignaturis, & facturis, expellere valeas. In nomine Patris † omnipotentis, in charitate JESU Chriſti Domini noſtri, qui etiam de matre virgine tanquam de caſtiſſima apicula proceſſit, & mundo ſicut cereus accenſus luxit illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & jam vivit in gloria ejusdem DEI Patris, & regnat cum Spiritu ſancto DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Benedicat ✠ te, creatura ceræ, Imperialis Majeſtas protegat te †: Regalis divinitas defendat † te: Immenſa Trinitas foveat te †: glorioſa unitas dirigat te †: inæſtimabilis Bonitas regat te †: Potentia Dei Patris vivificet te †: Sapientia Dei Filii deducat te ✠: Virtus Spiritûs ſancti, Alpha & Omega: Deus Sabaoth ſit iſta invocatio, ut det tibi contra omne malum virtutem. Crux † Chriſti ſalvet te: duodecim Apoſtoli te † benedicant: Sancti Martyres te adjuvent: Sancti Confeſſores te ✠ cuſtodiant, Omnes ſancti Sacerdotes Novi & Veteris

teris Teſtamenti te † exorcizent & ſanctificent: Sancti Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Poteſtates, Virtutes cœlorum, Cherubim & Seraphim † te defendant: omnipotens Deus creator, trinus & unus, ad cujus cultum etiam adhiberis, te † benedicat, & det † tibi ad omne malum, & ad omnes facturas, & maleficia deſtruenda virtutem, ut per te poſſim deſtruere, eradicare & evellere de animabus, & corporibus omnia maleficia, omnes incantationes, ligationes, facturas, & omne opus nefarium diaboli. Per eundem Dominum noſtrum &c. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Olei olivarum pro maſſa ſacra.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Unxit me unctione miſericordiæ ſuæ.
℟. Et de poſt fœtantibus accepit me.

Exorcizo te, creatura † Olei, cujus liquore concinnatæ ſunt lampades, ante Altare ſanctum, in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti: ut per hanc invocationem individuæ Trinitatis, ac unius virtutem Deitatis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc oleo, & omnis, qui ex eo devotè ſumpſerit, aut ſe eo unxerit, fiat ſanus ab omni maleficio diabolico, ne poſſit illi nocere illa nequitia malignorum ſpirituum.

Pſalm. Deus Deus meus ad te de luce vigilo &c. *dicitur totus.*

Kyrie eleiſon. Christe eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter. *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Dignare, Domine, hoc oleum ✠ benedicere, purificare ✠ pro tua pietate, clementiſſime Domine JESU Chriſte, qui in monte oliveti ſudore tuo ſanguineo terram & oliveta conſecrâſti, ut quicunque eo uſus fuerit, fiat unctus dolore perfectæ pœnitentiæ, & ab eo eradicentur facturæ, maleficia, incantationes, tumores, dolores & ligationes, quomodolibet factæ contra creaturas DEI, ſitque deſtructio omnium operum ſatanæ: atque ego ſacerdos tuus in nomine ſancto tuo bene✝dico, ſanctifico ✝, & conſecro ✝ hujus olei liquorem ad obſeſſos liberandos, ad reſtituendam febricitantibus valetudinem, ægrotantibus ſanitatem, ad venena extinguenda, ad tumores & dolores ſedandos, ad reſtituendum conjugibus amorem, ad depellendum adverſa, & comprimendum noxia, ad expellenda odia, & quicunque eo utuntur, ab omni languore & infirmitate ſanentur, atque à cunctis inimicorum inſidiis liberentur. Per eundem Dominum noſtrum &c. Amen.

Oremus.

Multiplica, ô æterne Deus, benedictiones ✠ tuas ſuper hujus olei liquorem, ſicut multiplicâſti gut-

guttas aquæ ſuper faciem terræ, ita ego N. Sacerdos tuus per JEſum Chriſtum bene✝dico & ſancti✝fico hujus olei jam à te benedicti liquorem, ut virtutem accipiat, & Poteſtatem deſtruendi omnia maleficia, languores & dolores, ac vexationes diabolicas, & fugandi omnes dæmones in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ. NB. *Hoc oleum etiam extra maſſam per ſe magnæ eſt efficaciæ.*

Benedictio ignis pro maſſa condenſanda.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Benedicite, ignis & æſtus, Domino.

℟. Laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEnedicat ✝ te, creatura ignis, DEUS, creator omnipotens, qui te ex nihilo produxit, & qui famulo ſuo Moyſi in igne flammæ rubi apparuit, quique in columna ignis per noctis tenebras ſuum populum anteceſſit in deſertum: & qui tres pueros Majeſtatis ſuæ cultores in ſe ſervavit illæſos; atque qui judicaturus orbem terrarum te ante judicis faciem præire jubebit: & qui te juſtitiæ inſtrumentum in contumaces ſpiritus delegit, illos, omnésque damnatos juſtiſſimè excruciaturus in æternum. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & unigeniti Filii tui ac Domini noſtri

JESU Chriſti, & Spiritûs ſancti cooperari digneris & adjuva nos contra tela inimici, & illuſtra gratiâ cœleſti. Qui vivis & regnas cum eodem unigenito tuo, & Spiritu ſancto Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

EGo Sacerdos Dei per poteſtatem mihi in Ordine Sacerdotali collatam bene✠dico te, exorcizo ✠ & conjuro te, creatura ignis, per eum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem, qui tremere facit orbem terrarum, & qui omnia poteſt, ut adverſus infernales beſtias & prædones ſis mihi adjudorium in virtute DEI & Domini noſtri JESU Chriſti affligens, excrucians & exurens eos plùs centuplo, quàm gehenna ſulphurea, ut ſentiant pœnas importabiles, quæ per ſingula momenta ſuæ protervæ obſtinationis ſuſcipiant incrementa. Per eundem Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedicto Vaſis, in quo maſſa coagulatur, & adunatur.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

PRotector fidelium Deus & ſubditorum, pectorum piorum Inhabitator, qui gentium Doctorem Apoſtolum Paulum à furore dæmonii liberâſti, tibi gratiæ tuæ præventione vas electionis conſtituiſti, quod Nomen tuum portaret coram gentibus, & Regi-

gibus terræ; quæſumus clementiam tuam per merita hujus ſancti Apoſtoli tui, ut quoque ſerenis oculis tuæ immenſæ pietatis hoc vas (vel hæc vaſa) reſpicere † purificare ✠ benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ut nihil in eo reſidere vel illud contingere poſſit diabolicum, vel diabolicâ malitiâ commixtum, & aufugiat ab eo mox omne malignum, ſicut fugit pulvis à facie venti, deſcendátque ſuper omnes eo utentes gratia Spiritûs ſancti, ut ejusdem vaſa mereantur fieri electa. Per Dominum noſtrum &c. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Not. I.

IN hoc vaſe benedicto, vel ſaltem per unam noctem (ſi teſtaceum eſt omnino novum aut intùs vitriatum) aquæ fontali immerſo liquefit primò cera benedicta alba & pura, cui deinde etiam infunditur oleum benedictum, & hæc utraque ſpecies in illa quantitate æquali (vel etiam plus de cera accipi poteſt, quæ faciliùs indureſcit, quia ſemper plus de oleo ſuperfundi poteſt) quantum ſufficit ad ſpecies alias priùs ante benedictas condenſandas in qualitatem maſſæ cohærentis. Igitur liquefacta & bene calefacta ſimul cum oleo & cera, & bene bacillo commota & commixta, ac ſi unus liquor eſſet, immittuntur ſucceſſivè ſpecies jam ante minutim pulveriſatæ & benedictæ, & moventur bacillô, donec evadat maſſa counita, tamdiu enim ſpecies immitti debent, donec maſſa ſit ſolùm calefactivo igne ſatis craſſa, nullo modo autem debet ebullire.

Digitized by Google

Not. 2.

QUodſi habeatur cera de cereo ſivo candela Paſchali quantitas ſufficiens pro humectatione ſeu conſolidatione ſpecierum benedictarum & ſimiliter ſufficiens quantitas de oleo ſacro Infirmorum ab Epiſcopo feriâ quintâ, ſive die Jovis ſancto benedici ſolito, tunc poteſt illa pro maſſa adhiberi loco ceræ & olei ſuprà benedictorum; ſi vero ex dictis duabus ſpeciebus ceræ & olei ſuprà benedictorum aliquid remaneat, debet reverenter aſſervari pro effectibus in eorum benedictionibus aſſignatis, vel debet comburi in lampade Eccleſiæ oleum, & cera commiſceri alteri ceræ pro candelis altarium faciendis, melius tamen eſt, aſſervari.

Not. 3.

SI jam omnes ſpecies ſimul cum cera & oleo benedicto ſunt in cacabo ſive vaſe unitæ & commixtæ, dicitur ſupra totam maſſam à Sacerdote ſtolam circa collum habente ſequenti formâ.

Benedictio.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Benedicite omnia opera Domini Domino.

℟. Laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

℣. Reſpice in ſervos tuos, Domine, & in opera manuum tuarum.

℟. Et opus manuum noſtrarum dirige.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

ADſit nobis quæſumus, omnipotens DEUS, dextera tuæ infinitæ miſericordiæ, quæ compleat bene-

benedictionem noſtram, & corda noſtra clementer expurget, atque ab omnibus tueatur adverſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Deſcendat, ſuppliciter rogamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ſuper hanc maſſam cum ſpe & fiducia tuæ aſſiſtentiæ comportatam, atque congeſtam virtus Spiritûs ſancti, & per hoc ſignum ✝ crucis fugiant omnes dæmones, ſive phantaſmata, vel quodcunquè opus diabolicum, ab omni imagine Chriſti, & virtus eorum omnino extinguatur & annihiletur ad honorem excelſæ Majeſtatis tuæ, & omnis creatura facta ad imaginem & ſimilitudinem tuam, per hujus ſacræ maſſæ uſum ab omnibus ſpiritibus immundis ac operibus eorum ſanetur & ſalvetur, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Nota.

Maſſa ex vaſe extracta, ſi quid ex ea vaſi adhuc adhæreat, ponitur in vas, ignis anteà ſuppoſitus, exuritur, & deinde effunditur ille ignis ad alium ignem culinæ, ut conſumatur, & maſſa ſacra ſervatur in quocunque vaſe mundo, meliori modo, quo poterit.

37.

Benedictio Coralliorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, qui à creatione mundi tempeſtatibus cœlorum & fulguri virtutem coralliorum oppoſuiſti, benedic † & ſanctifica † hæc fragmenta coralliorum, & cineres, ut contra omnes diabolicas infeſtationes & ejus adjutores tuo auxilio & manibus divinis fructus noſtri protegantur & conſerventur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum &c.

℣. Eripe nos, Domine, ab omnibus malis.
℟. Et à viris iniquis libera nos.
℣. Defende nos ab inimicis noſtris.
℟. Et ab inſurgentibus in nos libera nos.
℣. Erue nos ab infeſtationibus, fructúsque noſtros.
℟. Et de viris ſanguinum libera nos.
℣. Oſtende nobis, Domine, potentiam tuam.
℟. Et mitte nobis in auxilium Angelum bonum.
℣. Panem noſtrum da nobis hodie.
℟. Et omnibus diebus vitæ noſtræ.
℣. Qui cogunt ſidera, ut ſervi tui fame premantur.
℟. Succurre nobis.
℣. Qui fulgura & grandines è manibus ferunt.
℟. Oppone eis potentiam tuam, ne illudant te.
℣. Oſtende illis, DEUS, quòd tu ſolus ſis DEUS noſter.
℟. Et dirige conſilia eorum in vanum & perniciem illorum.
℣. Conſerva, quod dediſti nobis.
℟. Et multiplica per gratiam ſemina terræ.
℣. Contra turbinem ventorum vel imbrium.

℟. Oſten-

℟. Oſtende nobis ſolem gratiæ vultûs tui.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS fortitudo in te ſperantium, qui contritorum non deſpicis gemitum, & merentium non ſpernis affectum, qui vis meritò adorari, & ſingulis diebus oſtendis potentiam tuam, & fructus terræ non ex noſtro ſudore, labore, & patientia naſcantur, ſed ut per ſolam virtutem tuæ miſericordiæ & benignitatis conſerventur, & multiplicentur, qui panem in Eremo multiplicâſti, ut quinque millia hominum ſaturares: qui in ultima tua cœna panem in corpus tuum ſacratiſſimum conſecrâſti, & vinum in tuum ſanguinem convertiſti, ut nos ſervos tuos temporaliter & ſpiritualiter in æternum paſceres & ſalvares. Suppliciter te deprecamur, ut hæc fragmenta & cineres coralliorum benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ut quicunque in corpore portaverit, vel ubicunque inſperſi fuerint, locus ille & agri ab omnibus tempeſtatibus, grandine, imbribus violentis, ac infeſtationibus ſatanæ, & ejus adjutoribus ſecuri conſerventur, & protegantur; Defende nos à tactu fulgurum & omnem locum: multiplica grana terræ, & fructus noſtros cum divina miſericordia tua, & ut Paſtor bonus paſce nos oves tuas: Succurre per benedictionem tuam hanc ✠, cùm ab invidia & vi diabolica premimur: converte grandines & potentiam imbrium in rorem cœleſtem & divinum, ut fructus noſtri in illorum

Digitized by Google

opprobrium & confuſionem benedicantur, ſic tua gratia adjuti liberaliter paſcamur, & tunc tibi DEO ſoli gratias agere, & te ſolum adorandum cognoſcamus, cùm preces noſtras non irritas, ſed ad noſtrum ſolatium experiamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium tuum &c.

Poſt hæc incenſentur, & aſpergantur aquâ bened.

CAPUT QUINTUM.

BENEDICTIONES Locorum & Habitationum.

I.

Benedictio novi Monaſterii.

Superior ſuperpelliceô & ſtolâ indutus incipiat ſequentes Pſalmos recitare alternatim cum aſſiſtentibus Religioſis illius Monaſterii.

Primò incipiat in Sacriſtia

Pſal. 131.

Memento, Domine David, & omnis manſuetudinis ejus:

Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob:

Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei:

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem,

Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis ſilvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

Sur-

Digitized by Google

Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur juſtitiam: & ſancti tui exultent.

Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filii eorum usque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo; quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo.

Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Antiphona. Et omnis manſuetudinis ejus.

Finito Pſalmo dicatur.

Antiph. Dominum iſtam protege, Domine, & Angeli tui ſancti cuſtodiant muros ejus.

℣. Domine, dilexi decorem domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui ſacerdotum miniſterio ad tibi ſerviendum & ſupplicandum uti dignaris, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modò viſitamus, viſites, & quidquid bene✝dicimus, bene✝dicas, ſítque ad noſtræ humilitatis introitum, ſanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

Poſtea procedatur ad dormitorium, ibi dicatur Pſ. 4. Cùm invocarem &c. Quo finito dicatur.

Antiph. Salva nos, Domine, evigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

℣. In pace in idipſum.

℟. Dormiam & requieſcam.

Oremus.

BEne✝dic, Domine, hoc dormitorium famulorum, qui non dormis, neque dormitas cuſtodiens Iſraël, & famulos tuos, in hac domo quieſcentes poſt laborem, cuſtodi ab illuſionibus phantaſmatis ſatanæ, ut vigilantes in præceptis tuis meditentur, & dormientes te per ſoporum ſentiant, & hìc & ubique defenſionis tuæ muniantur auxilio. Per Chriſtum &c.

In infirmaria dicatur.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu, Domine, usquequo.

Convertere, Domine, & eripe animam, meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Qunniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valdè velociter.

Antiph. Aſpice, Domine, de ſede ſancta tua, & cogita de nobis: inclina, DEUS meus, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram.

℣. Miſerere mei, Domine, quoniam, infirmus ſum.

℟. Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad intuitum humilitatis noſtræ hunc locum infirmitorii (& hos fa-

ſimulos tuos) famulum tuum (in eo feſſos jacentes) ſalutiferè viſitare digneris; & ſicut viſitâſti, Domine, Tobiam, ſocrum Petri, & puerum centurionis, ita & iſti priſtinâ ſanitate animæ & corporis receptâ, gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones, per Chriſtum &c.

Aſpergantur.

In Refectorio dicatur

Pſalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem, ſuper Iſraël.

Antiph. Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das illis eſcas in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

℣. Edent pauperes, & ſaturabuntur.

℟. Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Oremus.

Omnipotens miſericors DEUS, qui famulos tuos in hac domo alis refectione carnali, ut cibum

bum vel potum te bene✝dicente cum gratiarum actione percipiant, præſta, quæſumus, ut hic & in æternum per te ſalvi eſſe mereamur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

In Coquina dicatur.

Pſalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit : in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos, qui tribulant me.

Impinguâſti in oleo caput meum : & calix meus inebrians quàm præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequitur me, omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Antiph. In loco paſcuæ ibi me collocavit.

℣. Parâſti in dulcedine tua pauperi DEUS.

℟. Qui habitare facis unanimes in domo.

Oremus.

DEUS æterne, ante cujus conſpectum aſſiſtunt Angeli, in cujus nutu reguntur univerſa, qui etiam

etiam neceſſariis humanæ fragilitatis tua pietate conſulere non deſinis, te humiliter imploramus, ut habitaculum iſtius officinæ illa benedictione perfundas, quâ per manus Eliſæi Prophetæ in olla eremitica guſtus amariſſimos dulcoráſti, & ſemper hic tuæ benedictionis copia redundante, laudes tibi referant ſervi tui, qui das eſcam omni carni, & imples omne animal bene✠dictione; Salvatór noſter, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

In Cellario dicatur:

Pſalmus 143.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus:

Protector meus, & in ipſo ſperavi: qui ſubdit populum meum ſub me.

Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.

Domine, inclina cœlos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus

DEUS, canticum novum cantabo tibi: in pſalterio, decachordo pſallam tibi.

Qui das ſalutem regibus: qui redemiſti David, ſervum tuum, de gladio maligno: eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Quorum filii, ſicut novellæ plantationes: in juventute ſua.

Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ ut ſimilitudo templi.

Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boves eorum craſſæ.

Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus.

Antiph. Ecce ego mitto vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, dicit Dominus, ideóque exultate, & lætamini in Domino DEO veſtro.

℣. Emitte, Domine, benedictionem ſuper cellaria.

℟. Et ſuper opera manuum tuarum.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui ubique præſens es, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut huic promptuario gratiâ tuâ adeſſe dignetur, quæ cuncta adverſa ab eo repellat; & abundantiam bene✝dictionis tuæ largiter infundat. Per Chriſtum Dominun noſtrum, Amen.

Aſpergatur. S *In*

In clauſtro dicatur:

Pſal. 83. Quam dilecta tabernacula tua, &c.

Antiph. Congregavit nos in unum Chriſti amor timeamus & amemus Chriſtum DEUM: ubi charitas & amor, ibi DEUS eſt.

℣. Ecce quàm bonum & jucundum,

℟. Habitare fratres in unum.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui nos ſingulari prærogativa gratiæ in hoc Religionis clauſtro miſericorditer congregâſti: da nobis famulis tuis ita in eodem laudabiliter tibi ſervire, & in fraternitatis amore, & ſincera dilectione ac mutua pace convivere, ut tandem ad illam patriam, in qua omnia ſecura, firma, tranquilla & ſtabilia ſunt, te largiente pervenire valeamus. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

Ad portam principalem dicatur:

Pſalm 147.

Lauda, Jeruſalem, Dominum &c.

Antiph. Confortavit Dominus ſeras portarum noſtrarum, & benedixit nobis.

℣. Hæc eſt porta Domini.

℟. Et juſti intrabunt in eam.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui in introitu portarum Jeruſalem valvas ſanctificâſti, dum ſplendore gemmarum duodecim totidem Apoſtolorum nomina præſignâſti, & qui per organum

pro-

Digitized by Google

propheticum prædixiſti, lauda Jeruſalem Dominum, qui confortavit ſeras portarum tuarum, & benedixit Filiis tuis in te: te quæſumus, ut ponens omnes fines Domûs iſtius pacem, & velociter currens interiùs ſermo tuus adipe frumenti ſatiet eos, Spiritus ſanctus defendat illos, ut nunquam nocere eis prævaleat inimicus: ſed omnes habitantes in ea interiùs voce, corde, & opere decantent dicentes: Magnus Dominus Deus noſter JESUS Chriſtus, & magna virtus ejus & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

✠ *Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.*

℟. Gloria tibi, Domine.

IN illo tempore: ingreſſus JESUS perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publicanorum, & ipſe dives: & quærebat videre JESUM, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum: quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens JEſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excipit illum gaudens. Et cum viderunt omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem de-

Digitized by Google

fraudavi, reddo quadruplum. Ait JEſus ad eum: quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eo quod & ipſe Filius ſit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.

Antiph. Beata gens, cujus eſt Dominus Deus eorum populus electus in hæreditatem.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Cuſtodi nos Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

DEUS, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator ſemper aſſiſtis, exaudi nos quæſumus, ut inviolabilis hujus domûs permaneat benedictio & beneficia tui muneris univerſa, quæ ſupplicat, mereatur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

VIſita quæſumus, Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Poſtea addantur Orationes de ſancta Maria, & de aliis Sanctis ad libitum.

In reditu ad Eccleſiam.

Pſ. 90. Qui habitat in adjutorio, &c.

Quo finito dicatur:

Kyrie eleiſon. &c.

Pater noſter &c.

℣. Me-

℣. Memento Congregationis tuæ.
℟. Quam poſſediſti ab initio.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, dirige actus noſtros in beneplacito tuo; ut in nomine DEI, & Domini N. JESU Chriſti, Filii tui dilectiſſimi, mereamur, ſemper bonis operibus abundare. Per eundem Chriſtum &c.

2.

Benedictio Domûs novæ, vel alterius.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui ſacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine digne perfectéque ab his agitur, à te fieri credatur. Quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quod modò viſitaturi ſumus, viſites: quidquid benedicturi, bene✝dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, fiátque ad noſtræ humilitatis ingreſſum & introitum Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

DOmine ſancte Pater, per merita S. N. benedic domum iſtam ✝ benedic introitum noſtrum ✝ benedic ingreſſus pedum noſtrum, ſicut dignatus es,

domum Patrum noſtrorum Abraham, Iſaac & Jacob benedicere ✠. O Domine JESU Chriſte! quæſumus, qui diſcipulis tuis dixiſti, in quamcunque domum intraveritis, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui, veniat pax illa ſuper domum iſtam, & eos, Domine, ab omni infirmitate eripere & liberare digneris, & repleas centeſimo fructu vini, & olei, & frumenti, & in futurum illis æternam concede gloriam. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Bene✝dic, Domine, domum iſtam, & locum iſtum, cum ædificiis ſuis: & ſit ibi ſanitas, virtus & gloria, atque humilitas, bonitas, & manſuetudo, & plenitudo legis, obedientiáque DEO Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Hæc benedictio ſit ſuper domum iſtam, & ſuper locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. ✠ Sancti Angeli Dei deſcendant in hanc domum, & eam defendant, & protegant ab omnibus dæmonibus, & facturis per pietatem Dei ſemper, Amen.

Conſerva, Domine, domum iſtam in æternum impollutam, quam à ſpiritibus im̃undis flagellantibus nunc mundo ✠ purgo ✠ & benedico ✠ & ſanctifico, egrediatur fons de domo tua, Domine, ſuper domum iſtam, ut irrigetur miſericordiâ tuâ, & dic Angelo percutienti: ceſſet jam manus tua, appareat Majeſtas tua, & ſanctificet ✠ hoc habitaculum. Sancta Maria Virgo, invoco nomen tuum ſuper hanc domum, & locum: benedic ✠ eum; quia tu es Mater miſericordiæ & conſolatrix afflictorum. S. N. exurge, & per paſſionem JEſu Chriſti bene✝dic, &

ſan-

Digitized by Google

ſancti✝fica hanc domum,& locum iſtum,ut dæmones, & eorum maleficia non poſſint latere, neque ſtare in hac domo, vel loco, nam ego N. ſacerdos DEI, & ſervus tuus in tuo nomine deſtrue ✝ & annihilo ✝ facturas, & omnia maleficia facta, vel fienda in hac domo vel loco; & bene✝dico & ſanctifico ✝ hanc domum & locum, ut dæmones & facturæ non poſſint ſtare, nec durare,ſed nunc omnia deſtruantur, & deficiant.

In nomine Pa✝tris,& Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Peto, Domine, per tuam bonitatem,ut hæc Domus & locus ſit benedictus ✝ à tua ſancta dextra, ut ſit ignis ardens dæmonibus,ut ſemper fugiant confuſi, nec ullo modo poſſint ſtare, nec latere,vel die vel nocte; & omnes habitantes ſecuri ſint, & quieſcant in ſua pace, ſine turbatione, vel ſtrepitu,ſine aliquò nocumento diabolico, ſed tua benedictio ✝ ſit ſemper ſuper hanc domum & locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo.

Pax & benedictio ſanctiſſimæ Trinitatis, & S. N. deſcendat ſuper domum hanc, Amen.

Et habitantes in domo per nomen JESU poſſint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, orare, & alia naturalia liberè agere, & exercere. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur, & incenſetur.

Digitized by Google

3.

Benedictio ſolemnis domûs, ſeu Exorciſmus vexatæ à malignis ſpiritibus domûs.

Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola dicit: In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Flexis deinde genibus hymnum.

1.

VEni, creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creâſti, pectora.

2.

Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum DEI.
Fons vivus, ignis, charitas,
Et Spiritualis unctio.

3.

Tu ſeptiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè Promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.

4.

Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.

5.

Hoſtem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus,
Ductore ſic te prævio
Vitemus omne noxium.

6. Per

Digitized by Google

6.

Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium;
Téque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

7.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito,
Nobiſque mittat Filius
Chariſma Sancti Spiritûs.

8.

DEO Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula, Amen.

℣. Exſurge, Chriſte, adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

Actiones noſtras quæſumus, Domine, aſpirandô præveni, & adjuvandô proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur &c.

Oremus.

DEfende, quæſumus, Domine, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, intercedente Beata MARIA ſemper Virgine cum omnibus Sanctis tuis ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfectéque ab eis agitur, à te fieri creatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quod modò viſitaturi ſumus, viſites, & quidquid benedicturi, bene✠dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, ſintque ad noſtræ humilitatis introitum, ſanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

DEUS Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, & omnium bene viventium, Deus & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, te invoco, & nomen ſanctum tuum, ac præclaræ Majeſtatis Clementiam ſupplex depoſco, ut mihi auxilium præſtare digneris adverſùs nequiſſimum ſpiritum, ut ubicunque ſit, audito ſancto nomine tuo, velociter exeat, & recedat per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Adjuratio.

EGo indignus Miniſter, & ſervus DEI, & Domini noſtri JESU Chriſti, auctoritate, quo fungor, auctoritate inquam, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſanctæ adjuro te, ſerpens antique, per Judicem vivorum & mortuorum, per factorum mundi, qui habet poteſtatem mittere te in gehennam ut ab hac domo feſti-

feſtinus exeas, ipſe tibi imperat, maledicte ſpiritus, qui ventis ac mari, & tempeſtatibus imperavit; ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit: audi ergo, ſatana, & time, & victus ac proſtratus recede, adjuratus in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Quòd ſi Sacerdos Pſalmos graduales, cum orationibus ſuis immiſcere voluerit, valde utile erit, omittendi autem planè non ſunt, ſi domus inquieta ſit à ſpiritibus, magicis phantasmatibus, quia iſti Pſalmi præ cæteris ſunt ad iſtam appropriati materiam, quod ſi aliàs omittere velit, accedat ſtatim ad benedictionem, ut ſequitur.

In loco Principali.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Domine ſancte Pater, per merita ſancti N. bene✝dic domum iſtam: bene✝dic introitum noſtrum: bene✝dic ingreſſum pedum noſtrorum, ſicut dignatus es domum Patrum noſtrorum, Abraham, Iſaac, & Jacob benedicere. O Domine JEſu Chriſte! qui dixiſti diſcipulis tuis, in quamcunque domum intraveritis, ſalutate eam, & dicite: Pax huic domui: quæſumus, veniat pax illa ſuper domum iſtam, & ſuper omnes famulos, & famulas, & reple centeſimo fructu vini & olei, & frumenti, & in futurum illis æternam concede gloriam, qui vivis & regnas &c: Amen.

Bene-

BEnedic ✠, Domine, domum iſtam, & locum iſtum, cum ædificiis ſuis, ut ſit ibi ſanitas, ſanctitas, virtus & gloria, atque humilitas, bonitas & manſuetudo, lenitas, & plenitudo legis, obedientiáque DEO Patri, & Filio & Spiritui ſancto, hæc benedictio ſit ſuper domum iſtam, ſuper locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo., Per Dominum noſtrum &c. Amen.

SAncti Angeli DEI deſcendant in hanc domum, & eam defendant, & protegant ab omnibus dæmonibus, facturis & maleficiis, ac adverſis, & per pietatem DEI ſemper, Amen.

COnſerva, Domine, domum iſtam in æternum impollutam, quam à ſpiritibus immundis flagellantibus nunc mundo † purgo ✠ benedico † & ſanctifico †. Egrediatur fons de domo tua, Domine, ſuper domum iſtam, ut irrigetur miſericordiâ tuâ: & dic Angelo percutienti, ceſſet jam manus tua, appareat Majeſtas tua, & ſanctificet ✠ hoc habitaculum S. MARIA Virgo, invoco nomen tuum ſuper hanc domum, & locum, bene†dic eum; quia tu es Mater miſericordiæ, & conſolatrix efflictorum. Sancte Pater Ubalde, exſurge. & per paſſionem JESU Chriſti bene†dic & ſancti†fica hanc domum, & locum iſtum, ut dæmones, & eorum maleficia non poſſint latere, neque ſtare in hac domo, vel loco, nam ego Sacerdos DEI & ſervus tuus in nomine tuo deſtruo † & annihilo facturas, & omnia maleficia facta, vel facienda in hac domo, vel loco; & bene†dico & ſancti†fico hanc domum & locum, ut

dæmones,

dæmones & facturæ non poſſint ſtare, nec durare, ſed nunc omnia deſtruantur & deficiant in nomine Patris ✠, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

℣. Dominus vobiſcum &c.

℣. Initium ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

℟. Gloria tibi &c.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt. Et VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.

℟. DEO gratias.

Ponit ſuper ignem aromata pulverizata (vulgò Heren-Rauch*) aſperſóque aquâ benedicta locô thurificat, dicens:*

Sicut

Digitized by Google

Sicut ego Sacerdos DEI impleo hanc domum fumo aromatum, ſic repleatur Majeſtate & gloria Domini, ut ſit habitaculum firmiſſimum, tanquam ſolum DEI in ſempiternum, & omnes habitantes in ea adorent, & laudent eum, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Deinde accedat cubiculum aliud præcedentibus uno cum cruce, altero cum candela benedicta accenſa, aqua luſtrali & carbonibus. Quò ſi pertigerint, dicit Sacerdos:

℣. Dominus vobiſcum, &c.

℣. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

℟. Gloria tibi, Domine.

Cùm natus eſſet JESUS in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Judæ, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda: nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: & mittens eos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de Puero: & cùm inveneritis, renuntiate mihi: ut & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent Regem, abierunt: Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi

erat

erat Puer. Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus & Myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

℞. Deo gratias.

Ponit incenſum aſpersóque loco thurificans dicit:

Et aſcendit fumus incenſorum de manu Angeli coram DEO, & accepit Angelus thuribulum aureum, & implevit illud de igne altaris, & miſit in terram & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

Proceditur ad cubiculum aliud, ut ſuprà.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

℣. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

℞. Gloria tibi, Domine.

MIſſus eſt Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui Nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingreſſus Angelum ad eam dixit: Ave gratiâ plenâ: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audîſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JEſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum,

Digitized by Google

num, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſupervenıet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.

℟. DEO gratias.

Faciens aſperſionem ùt ſuprâ ſub thurificatione dicit:

De cœlo locutus eſt Dominus audiente populo, ac vidente lampades, & ſonitum buccinæ montémque fumantem.

Movetur proceſſio ad aliud cubiculum.

℣. Dominus vobiſcum &c.

℣. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi, Domine.

ET ingreſſus JESUS perambulabat Jericho. Et ecce vir, nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipſe dives, & quærebat videre JEſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum: qui inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens JEſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens in domum ſuam.

℟. DEO gratias.

Aſpergit thurificátque, & ait:

Totus mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus DEUS ſuper eum in igne, & aſcendit fumus ex eo, quaſi de fornace.

Ulteriùs proceditur.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum. &c.
℣. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

INtravit JESUS in quoddam Caſtellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

℟. DEO gratias.

Iterum ut ſuprà aſpergens thurificânsque dicit:

Impletum eſt templum DEI fumo à Majeſtate DEI, & de virtute ejus exiit fumus exturbans omne genus dæmoniorum.

Itur ulteriùs.

℣. Dominus vobiſcum &c.
℣. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Marcum.
℟. Gloria tibi, Domine.

NOviſſimè autem recumbentibus illis undecim diſcipulis apparuit JEſus: & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia his, quia viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: euntes in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui cre-

crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem JEſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris DEI. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

℟. DEO gratias.

Fit aſperſio & fumigatio, dicendo:

Totus mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus DEUS ſuper eum in igne, & aſcendit fumus ex eo quaſi de fornace.

Peractis omnibus redit ad locum unde exiit, ubi poſitum in apta menſula inter benedictas ardentéſque candelas, Crucifixum genuflexum adorans, dicit:

Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum.

℣. Omnis terra adoret te & pſallat tibi.

℟. Pſalmum dicat nomini tuo, Domine.

Oremus.

Adeſto nobis, Domine, DEUS noſter, ut quos S. Crucis facis lætari honore, eos quoque perpetuis defendas ſubſidiis. Per Dominum &c.

Oremus.

DEUS, qui crucis patibulum, quod prius ſceleratis erat ad pœnam, convertiſti redemptis ad vitam: concede plebi tuæ, ejus vallari præſidio, cujus eſt armata vexillo: ſit ei crux fidei firmamentum, ſpei ſuffragium, in adverſis defenſio, in proſperis

ſperis adjuvamen, ſit ei in hoſtes victoria, in civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per eundem &c.

Surgens Sacerdos, ſtans legit ſequentia:

Lectio libri Regum 2. c. 6.

Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus. Nunciatúmque eſt Regi David, dixítque David: ibo, & reducam arcam cum benedictione, in domum meam, tu autem Domine, miſerere nobis.

℟. Deo gratias.

Exorciſmus.

Exorcizo te, immundiſſime ſpiritus, omniſque incurſio ſatanæ in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti, ut recedas ab his locis habitationis, & quietis fidelium, nec deinceps quidquam moleſtiæ aut infeſtationis inferre audeas, adjuratus. Sanctus Angelus Raphaël, qui te repreſſit à Tobia & Sara, te etiam diſperdat de domo & loco iſto, de angulis, lectis, & univerſis locis, in quibuscunque famulantes DEO habitant, & quieſcunt, dormiunt, & vigilant, aut conſiſtunt. Nec audeas, maligne ſpiritus & immunde, inquietare, aut moleſtias & maleficia ſuſcitare contra eos, qui ſancti Chriſmatis unctione ſunt uncti. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Poſtea aſpergat aquâ benedictâ loca, quæ poteſt tangere, & aſperſio iſta fiat per ſingulos Exorciſmos.

Digitized by Google

Secundus Exorciſmus.

OMnipotens DEUS, qui eſt rerum Creator, cuſtóſque fidelium, clementer reſpicere dignetur ad noſtræ fragilitatis miniſterium, ut ad introitum noſtrum per benedictiſſimi & tremendi Nominis JESU invocationem, in quo flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, mundetur, benedicatur, & ſancti✠ficetur habitatio iſta, cum locis adjacentibus, diſcedat omne phantaſma, & nequitia, ac verſutia diabolicæ fraudis, omníſque immundus ſpiritus, & ſi quid eſt, quod incolumitati inhabitantium invidet, aut quieti, noſtræ humilitatis ſuffragiis effugiat per interceſſionem totius cœleſtis exercitûs, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum, quorum præſentiâ, & aſſiſtentiâ ſuffulti in nomine Salvatoris noſtri JESU Chriſti adjuramus, & urgemus hinc diſcedere, per ſignum ſanctæ✠Crucis immundum ſpiritum, præcipimus, ut impoſterum ceſſet omnis infeſtatio ejus, & cunctæ ejus præſtigiæ, & phantaſmata eradicentur, terrorque venenoſi procul pellatur, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Exprobratio.

TIme judicia DEI, maledicte dæmon, expaveſce iram Omnipotentis, perſpice iniquitates tuas, quibus graviter deliquiſti, & verum bonum neglexiſti: da locum voluntati Dei, qui tibi jubeat, ut ſtatim ab hac domo recedas, nec eam temere invadere, & moleſtare præſumas, & habitatores ejus inquietare: Quapropter adjuro te per Deum omnipotentem, qui cuncta ex nihi-

nihilo creavit, & ſuperbiam tuam fregit, per JESUM Chriſtum, Dominum noſtrum, qui eſt ſpes noſtra, & ſalus æterna, qui facit bonitatem cum ſervis ſuis ſecundùm mulditudinem miſericordiæ ſuæ, qui expanſis in cruce manibus & nudo corpore pro peccatis noſtris, Deo Patri ſponte ſe obtulit, cujus Paſſionis merita, & virtus nobis ceſſerunt ad gloriam, tibi verò in confuſionem, ut recedas ab loco iſto, & habitatoribus ejus intelligens, & ſentiens vires tibi fractas, & dominationem quam antea tyrannicè in genus humanum exercuiſti, tibi ademptam. Ergo humiliare ſub manu Altiſſimi, qui ab Eccleſia ſua, quidquid eſt noxium, ſua virtute depellit, & quod ſalutare eſt, eidem largitur, qui ſuos fideles contra inſidias veſtras potenter defendit, & ſuâ (quæ non poteſt falli) gubernatione conſervat, quod & nobis concedat Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus ✠ ſanctus. ℞. Amen.

Aſpergitur iterum, & proſequitur.

PEto, Domine, per tuam bonitatem, ut hæc domus & locus ſit bene✠dictus à tua ſancta dextera, ut ſit ignis ardens dæmonibus, qui ſemper fugiant confuſi, nec ullo modo poſſint ſtare & latere die, vel nocte: ut omnes habitantes ſecuri ſint, & quieſcant in ſua pace, ſine turbatione, ſine ſtrepitu, & ſine aliquo nocumento diabolico, ſed tua benedictio ſit ſuper hanc domum & locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo. ℞. Amen.

Digitized by Google

Benedicat denique omnes habitatores genuflexos hoc modo:

Fratres Chariſſimi. Deo Gratias.

MAnete pacificè in domo veſtra, & cor veſtrum ſit jucundum, det vobis requiem Dominus, & pacem & conſolationem undique ab univerſis inimicis veſtris. Aperiat Dominus theſaurum ſuum optimum cælum, & tribuat pluviam in tempore ſuo terræ, & benedicta ſit ipſa terra ad reddendos fructus, & ad cunctorum abundantiam, quæ vobis ſunt in uſu, abundaréque vos faciat omnibus bonis ſicut abundare fecit Populum Iſraël perſeverantem in mandatis ſuis: Bene✝dicat vos DEUS in throno ſuo ſtantes, ambulantes, & conſedentes, ac dormientes, ut in numero prædeſtinatorum, & domus veſtra vigeat usque ad tertiam & quartam generationem, ac in ævum felix conſervetur, & omne conſilium cordis veſtri, ſuâ virtute corroboret, & glorietur in vobis ſancta Jeruſalem & ſint nomina veſtra in numero ſanctorum & juſtorum, & domus veſtra in ſanctificatione permaneat, & tandem bene✝dictio Dei omnipotentis Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ ſancti deſcendat ſuper domum iſtam, & ſuper omnes habitantes in ea, ut poſſint devotè orare, quietè dormire, bibere, & alia naturalia agere, & liberè exercere, per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Aſpergat genuflexos aquâ benedictâ.

Digitized by Google

4.

Benedictio Domus vel loci, ne ab igne comburatur.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Sit nomen Domini &c.

℟. Ex hoc nunc &c.

HEi, Heloim, Sother, Emmanul, Sabaoth, Agla, Tetragrammaton, Hagios, Otheos, Iſchyros, Athanatos, Jehova, Adonai, Saday, Meſſias, increatus † Pater, increatus † Filius, increatus † Spiritus S. JEſus Chriſtus Rex gloriæ † venit in pace. Verbum Caro factum eſt † DEUS factus eſt homo. Chriſtus † vincit, Chriſtus † regnat, Chriſtus † imperat, Chriſtus à flamma ignis, & percuſſione fulguris hanc domum defendat, atque cuſtodiat.

℣. A flamma ignis, incendio, ac fulgure,

℟. Hanc domum libera, Domine.

Oremus.

TE DEUM Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus ac rebus omnibus, ut eam benedicere, ſancti†ficare, & per ſignum S. Cru†cis protegere, à flamma ignis, percuſſionéque fulguris conſervare ac bonis omnibus replere digneris. Be†nedic igitur Domine, & ſancti†fica domum hanc, ſicut benedixiſti domum Abraham, Iſaac & Jacob, & intra parietes ejus Angeli tuæ lucis inhabitent, eámque & habitatores ejus ab incendio, fulgure, & malignitate ſpectrorum ſemper cuſtodiant. Per Chriſtum &c.

Digitized by Google

Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti deſcendat ſuper hanc domum & ſuper habitantes in ea, & maneat ſemper, Amen.

Aſpergatur.

5.

Benedictio Praxatorii, vel alterius Officinæ.

Convenit cum benedictione domûs novæ, vel loci, mutatis mutandis, vidi etiam benedictionem novi Monaſterii, ſi coquinam &c. benedicere velis.

6.

Benedictio Horrei.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui ubique præſens es: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut potentia tua huic Horreo adeſſe dignetur, quæ cuncta adverſa ab eo repellat, & abundantiam bene✝dictionis tuæ ei largiter infundat. Per Chriſtum &c.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, qui audientibus mandata tua, per Moyſen famulum tuum promiſiſti benedictionem tuam, dicens: benedicta horrea tua, & benedictus fructus terræ tuæ: Bonitatem tuam humiliter imploramus, ut horreum iſtud dextrâ ſanctâ tuâ bene✝dicere, & ab omnibus ad-

Digitized by Google

adverſis tueri digneris. Defende, quæſumus, Domine, horreum hoc cum omnibus rebus ſuis ab igne, tempeſtate, fulgure, ruina, & ab ominibus tribulationibus inimicorum, ut famuli, qui illud benedici expetierunt, de tua cuſtodia glorientur, & benignitatem tuam ſine fine collaudent. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

7.

Benedictio Stabuli Equorum, Boum, & Aliorum armentorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ut ſicut domos Hebræorum, in Ægypto ſanguine agni aſperſas cuſtodiſti, in eorum exitu de Ægypto ab Angelo percutiente; ita mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atque defendat ſtabulum ſeu locum iſtum à maleficiis, fraudibus & ab omnium inimicorum inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

BEne✠dic, Domine, locum iſtum, & defende illum, cum omnibus jumentis (vel pecoribus &c.) ab omni mala tempeſtate, ab igne, & infirmitate, ab ira ventura, & ab omnibus diabolicis tribulationibus & inſidiis: & tu, DEUS, qui unigenitum Filium tuum ac Redemdtorem noſtrum, in jumentorum ſtabulo naſci, & collocari voluiſti, ejus eſſe velis habitator & cuſtos, eúmque ab omni malo cuſtodire digneris. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Exorciſmus.

Si ſtabulum ſit infeſtum.

EXorcizo te, dæmon maledicte, immunde & maligne ſpiritus, quicunque ſtabulum iſtud & animalia iſta, utpote DEI vivi ac veri creaturas affligere, & vexare præſumis, & adjuro te per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ ſanctum, ut exeas & recedas ex hoc loco ſeu ſtabulo, nec unquam huc reverti præſumas. Neque hic, aut alibi exiſtentibus jumentis damnum aut pavorem immittas, aut quodcunque maleficium in detrimentum vitæ, ſanitatis & utilitatis illorum inferas. Per eum, qui te in patibulo crucis vicit, & arma, in quibus confidebas abſtulit, ſpoliáque diſtribuit, quíque ſtatuto tempore venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Aſpergatur.

ITerum adjuro vos, ô maligni ſpiritus, per creatorem cœli & terræ: per incarnationem D. N. JEſu Chriſti, ejúſque circumciſionem, baptiſmum, & jejunium; per crucem, clavos, & lanceam; per paſſionem, mortem, & ſepulturam, per reſurrectionem, aſcenſionem, & futurum judicium: per glorioſam V. Mariam; omniúmque SS. merita & interceſſionem, ut nunquam amplius habeatis acceſſum ad hoc ſtabulum in detrimentum hominum, animalium aut quarumcunque rerum humanæ utilitati à Deo indultarum. In nomine Pa✝tris &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, rerum omnium Creator, & Conſervator, defende nos & pecora iſta, defende dona tua, defende familiam tuam, defende, & bene✝dic hoc ſtabulum per virtutem aquæ à te, miniſterio Eccleſiæ tuæ benedictæ; & per invocationem ſacratiſſimæ Trinitatis, Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ſanctificatæ (*Aſpergatur*) exterminetur diabolus, & omnia maleficia ejus à loco iſto, & à terminis Fidelium te invocantium, per virtutem S. nominis tui, & per merita omnium SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniúmque Sanctorum, nósque & pecora hæc ab omni malo præſervare, cuſtodire, & liberare, digneris. Per Dominum &c.

Et Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper hoc ſtabulum & maneat ſemper, Amen.

8.

Benedictio Columbarii, Gallinarii, & ſimilium receptaculorum pro avibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS æterne, ante cujus conſpectum aſſiſtunt Angeli, & cujus nutu reguntur univerſa, qui etiam neceſſariis humanæ fragilitatis rebus, tua pie-

pietate conſulere non deſinis: quique das eſcam omni carni, & imples omne animal benedictione, te ſuppliciter imploramus, ut hoc columbarium (vel Gallinarium, vel habitaculum anſerum, vel anatum &c.) tua benedictione perfundas, ut ejusdem benedictionis † copiâ in nos ſervos tuos redundante, cum gratiarum actione, tuæ Majeſtatis gloria exaltetur. Per Dominum &c.

Oremus.

DEUS univerſæ creaturæ, ui inter cætera diverſarum creaturarum ſpecies, & pro humani generis uſu, etiam volatilium genus ex aqua producere dignatus es, ex quibus Noë de arca egrediens, holocauſta tibi offerens placuit: & qui populo tuo ex Ægypto educto per Moyſen ſervum tuum, munda ab immundis ſegregans, edendi præceptum dediſti: te ſupplices rogamus, ut has mundarum avium carnes bene†dicere, & ſancti†ficare digneris, ut quicunque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, & ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

9.

Benedictio Piſcinæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Pſalm. 8. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt &c. *Ex Matut. Dom. vel noct, 2. ult. Confeſſ. &c.* Cum Gloria Patri &c.

Kyrie

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Pater noſter. *ſecretò &c.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

MAgnifica, quæſumus, Domine DEUS, ſuper nos miſericordiam tuam. Et ſicut multiplicâſti quinque panes, & duos piſces in deſerto, ex quibus ſatiâſti turbam quinque millium virorum: Ita nunc tua potentiſſima & providentiſſima bene✠dictione has aquas (vel piſcationem) & in eis contentos piſces (vel qui in eis generantur) bene✠dicere, conſervare, & ad humanos uſus multiplicare, & ab omni faſcinatione, & inimicorum infeſtatione cuſtodire digneris, ut tua liberalitate refecti cum gratiarum actione nomen tuum laudare valeamus: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Si placeat ſequens Evangelium addere, dicat:
℣. Dominus vobiſcum &c.
Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore: manifeſtavit ſe iterum JESUS diſcipulis ad Mare Tiberiadis. Manifeſtavit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & Filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto ſtetit JESUS in littore: non tamen cogno-

cognoverunt diſcipuli, quia JEſus eſt. Dixit ergo eis JEſus: pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete; & invenietis. Miſerunt ergo & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat JEſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit eis JEſus: afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis JEſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt. Et venit JEſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt JESUS diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

Oremus.

DEUS, cujus providentia, in ſua diſpoſitione non fallitur, à quo bona cuncta procedunt, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, Te ſupplices deprecamur, ut benedicendo, cœleſtis gratiæ tuæ rore hanc aquam bene✠dicere digneris, ut ad uſus fidelium tuorum, contra omnes inimicorum & maleficiorum inſidias, piſcium mul-

multitudinem ex ea extrahentes, te, ſummum creatorem & diſpenſatorem, cum gratiarum actione, agnoſcant & venerentur. Rogamus etiam te, Domine, ut labores manuum ſervorum tuorum non deſpicias, ſed tua ſanctiſſima bene✝dictione ab eis cuncta noxia ſubmoveas, & omnia eis bona profutura concedas. Per Dominum noſtrum, JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hic addi poteſt Antiph. Beata Mater & intacta Virgo, glorioſa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Poſtea

Magnificat.

Interim aſpergitur piſcina, vel piſcationis locus aquâ benedictâ. Repetitur:

Antiph. Beata Mater & intacta Virgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. Amen.

Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Filii✝, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper hanc aquam, & ſuper nos omnes, & maneat ſemper, Amen.

10.

Benedictio novi Putei, vel Fontis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Ore-

Oremus.

SUpplices deprecamur, Domine, clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cœleſti benedictione ſanctifices, & ad communem vitæ uſum concedas eſſe ſalubrem; Et ita ex ea fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum, ut quicunque ex eo hauſerint, vel biberint, vel in quibuscunque neceſſariis uſibus hauſtâ aquâ uſi fuerint, totius virtutis ac ſanitatis dulcedine perfruantur, ut tibi, Sanctificatori & Salvatori, omnium Domino, gratias agere mereantur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

DOmine, DEUS omnipotens, qui in hujus putei altitudinem, per crepidinem fiſtularum copiam aquarum manare juſſiſti, præſta, ut te jubente, atque benedicente, per noſtræ officium functionis repulſis hinc phantaſmatibus, calliditatibus, atque inſidiis diabolicis purificatus, atque emendatus ſemper hic puteus perſeveret. Per Dominum noſtrum, JESUM Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat &c.

Aſpergatur.

II.

Benedictio Furnelli, ſeu Fornacis fuſoriæ metallicæ, vel Coctoriæ lapidum.

Primò aſpergatur fornax aquâ benedictâ per circuitum, deinde dicitur:

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, effunde benedictionem tuam, ſuper hunc furnum, eúmque bene✝dicere & conſervare tua pietate digneris: ut per gratiam tuam, & bene✝dictionem noſtram ad ſummam perfectionem ſuam perveniat, Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Si furnus jam accenſus ſit.

12.

Benedictio ignis in fornace, vel in officina alia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c,

Oremus.

Domine Deus noſter, Pater omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium hominum, exaudi nos famulos tuos, & bene✝dic hunc ignem, qui tua ſanctificatione, atque bene✝dictione conſecretur. Tu illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina tenebras cordis noſtri, & conſcientias noſtras igne tuæ charitatis, ut tuo lumine igniti, & accenſi expulſis à cordibus noſtris peccatorum tenebris, ad vitam, te illuſtrante, pervenire mereamur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEus, in nomine tuo, & Filii tui Domini noſtri

JESU Chriſti, & Spiritûs ſancti bene✝dicimus, & ſancti✝ficamus hanc creaturam ignis: Tu quoque eam virtute tua corrobora, & ad noſtram ſalutem provenire concede, Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

13.

Benedictio Campanæ dum ære conflatur.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Deinde dicitur pſalmus 150. Laudate Dominum in ſanctis ejus: *Ex Laud. Dom.*

Quo finito Sacerdos dicat clara voce:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEne✝dic, Domine hoc metallum ignitum, quod benedicere ſtatuimus. Quæſumus Domine, tuâ gratiâ perfundere digneris, & tua virtute obumbres, ut tuâ clementiâ favente, quod deſideramus, attingamus ad laudem & gloriam DEI omnipotentis, & ad honorem ſancti N. vel ſanctæ N. (*hic exprimitur nomen ſancti, cui campana dicanda, & cujus nomine intitulanda eſt,*) per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Aſpergatur.

Cùm

Digitized by Google

Cùm jam conflata, ſeu perfecta campana fuerit, dictis Pſalmo, & verſibus, ut ſuprà Sacerdos dicit:

Oremus.

DEUS, qui per ſanctum Moyſen legiferum famulum tuum, tubas argenteas fieri præcepiſti, quibus, dum levitæ tempore ſacrificii clangerent, ſonitûs dulcedine populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, & ad celebrandum conveniret: præſta quæſumus, ut hoc vaſculum ſanctæ tuæ Eccleſiæ præparatum (à Spiritu ſancto) per noſtræ humilitatis obſequium ſancti✝ficetur, ut per illius tactum & ſonitum fideles invitentur ad ſanctam Eccleſiam, & ad præmium ſupernum. Et cùm melodia illius auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, & impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua; proſternat aëreas poteſtates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiſcant & fugiant ante S. Crucis vexillum in eo depictum; quod ipſe Dominus noſter JEſus Chriſtus præſtare dignetur, qui abſorpta morte per patibulum crucis, regnat in gloria DEI Patris, cum eodem Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

14.

Benedictio alia longior Furni, ſeu Fornacis coctoriæ vel fuſoriæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Antiph. Emittet verbum ſuum, & liqueſaciet ea.

Pſalmus 126.

Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Pſalmus 147.

Lauda, Jeruſalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?

Emit-

Digitized by Google

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum ſuum Jacob, Juſtitias & judicia ſua Iſraël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri &c.

Pſalm 133.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini:

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus DEI noſtri.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Poſtea dicuntur Litaniæ omnium Sanctorum; quibus finitis.

Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine Deus Virtutum, converte nos.
℟. Et oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt: qui hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam feciſti, terrenáque ſub pedibus ejus omnia ſubjeciſti: ſolitam Nomini tuo abundantiam humiliter imploramus quatenus tu, qui altare tuum de lapipibus conſtructum levigare calce Deuteronomio juſſiſti, hunc clibanum ſeu furnum calcearium *(vel fuſorium)* fructuoſum reddas, & aptum, ut per ignem, vim virtutis ſuæ exercentem, aptatores hujus operis, calcem (vel ferramenti materiam) recipiant congruentem: nos quoque glorioſam Majeſtatis tuæ potentiam imploramus, quam præſentem ubique ſuffragantem, miſericorditer ſentiamus. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate, Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Omnipotens ſempiterne DEUS, ædificator & cuſtos Jeruſalem ſupernæ civitatis, cuſtodi locum iſtum, & omnia loca noſtra cum habitatoribus ſuis, ſit in eis domicilium incolumitatis & pacis.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor animabus famulorum famularúmque tuarum, remiſſio-

ſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

Actiones noſtras quæſumus, Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

BEne✝dic, Domine, hunc furnum ad recipiendam materiam calcis (vel ferri) fructuoſam, tua bene✝dictione cæleſti, & aſſiſtat ſuper eum virtus Spiritûs ✝ ſancti, & ab eò longè recedat virtus inimicorum, & ſpiritus procellarum. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergatur.

15.

Benedictio Camporum, Pratorum, Paſcuorum, Alpium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

DEUS, à quo omne bonum ſumit initium, & ſemper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede, quæſumus, ſupplicantibus nobis, ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ ſapientiæ munere ad terminum perducatur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Filium tuum &c. Amen.

Digitized by Google

Oratio.

OMnipotens æterne DEUS, qui ſacerdotibus tuis præ cæteris gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine, ab iis digne & perfectè agitur, à te fieri credatur: quæſumus clementiam tuam; ut quod modò viſitaturi ſumus, Tu quoque viſites, & quod benedicturi ſumus, Tu quoque bene✠dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, tuæ potentiæ dexteram extendas: ſit ad humilitatis noſtræ ingreſſum, Sanctorum tuorum meritis, & interceſſionibus fuga dæmonum, & tuorum ingreſſus Angelorum. Per Chriſtum Dominum &c.

Dicantur Litaniæ omnium Sanctorum.

Et poſt verſum: ut animas noſtras &c. *Sacerdos ſurgens dicat:*

Ut hos campos, alpes, & paſcua (vel agros, vel prata &c.) bene✠dicere digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut hos campos (vel alpes, vel paſcua, vel agros, vel prata &c.) bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut hos campos (vel alpes, vel paſcua &c.) bene✠dicere, ſancti✠ficare, conſervare ✠, & ab omni dæmonum infeſtatione cuſtodire digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut dæmonum maleficia diſſolvere, extirpare, & in nihilum redigere digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut fulgura, grandines, ſævas tempeſtates, & noxias aquarum inundationes à loco iſto clementer expellere & affugare digneris. Te rogamus, audi nos.

Deinde

Deinde proſequitur, & abſolvit Litanias.

Ut fructus terræ dare &c. *Poſt*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Dominus dabit benignitatem.

℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.

℣. Domine exaudi orationem meam &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Pietatem tuam, Omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut hos compos (vel alpes, vel prata, vel paſcua) quæ aëris temperamento nutrire dignatus es, tuæ benedictionis imbre perfundere digneris, tribuens populo tuo, de tuis muneribus, tibi ſemper gratias agere, & pulsâ ſterilitate terræ, eſurientium animos bonis affluentibus replere, ut egeni & pauperes laudent nomen gloriæ tuæ in ſæcula, Amen.

Poſtea Sacerdos circuit campos, vel agros, vel paſcua quantum licet aſpergendo & recitando aliquos Pſalmos Graduales, poſt ultimum Gloria Patri dicitur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Bene✠dic, quæſumus Domine, & ſancti✠fica hos campos (vel alpes, vel paſcua, prata &c.)

& omnem ubertatem eis concede in centuplum, & multiplica fructus ejus, ut viventes ſervi tui in exultatione manipulos colligant, & te ſemper laudent, & benedicant. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Benedictio.

BEnedictio Dei Patris †, & omnium Angelorum. Benedictio Dei Filii †, & omnium Apoſtolorum, Benedictio Spiritûs ſancti †, & omnium cœleſtium Virtutum. Benedictio beatæ Mariæ Virginis †, & omnium Sanctorum. Benedictio Eccleſiæ Catholicæ †, & omnium fidelium. Et Benedictiones omnium Sacerdotum † Dei, quas formârunt & formaturi ſunt, veniant ſuper hos campos (vel agros &c.) ut virtute harum Benedictionum ſitis ſalus omnibus frugibus & fructibus: in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Hæc Benedictio etiam adhiberi poteſt pro agris ſolis.

CAPUT SEXTUM.

Benedictiones Animalium pro utilibus, & contra noxia, nec non contra maleficia Lactis, Butyri &c.

I.

Benedictio Jumentorum, & Pecorum, Boum, Ovium, Caprarum, Porcorum, mutatis mutandis.

℣. Ad-

Digitized by Google

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

MIſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut hæc Jumenta & Animalia in nomine tuo bene✝dictionis tuæ virtute, ab omne diabolica fraude, & poteſtate, & à quocunque morbo conſervare digneris. Tu eis, Domine, ſis defenſio, & ſubſidium vitæ, & remedium ſanitatis, & multiplica ea tuæ miſericordiæ benignitate, ut honorificetur Nomen ſanctum tuum in ſæcula, Amen.

Oremus.

EXaudi nos, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, ut ſicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto, agni ſanguine conſperſas ab Angelo percutiente cuſtodiſti: ita mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, protegat, atque defendat jumenta, & pecora iſta ab igne, & infirmitate, à tempeſtate, & ab ira ventura, à rapacibus, à ſcabie, morbis, & morſibus, à laqueis, à diabolo, & miniſtris ejus, ab inſidiis inimicorum omnium viſibilium, ab invidia & malitia perverſorum hominum, à malis occultis, & maleficiis, à veneficiis, & ab omnibus diabolicis frudibus, quocunque modo factis, vel procuratis; ut laudetur & magnificetur nomen ſanctum tuum, & glorioſum. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum &c.
℟. Amen.

2. Be-

2.

Benedictio Columbarum, Gallinarum, Anſerum, & ſimilium avium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS univerſæ creaturæ, qui inter cæteras diverſarum creaturarum ſpecies, & pro humani generis uſu, etiam volatilium genus ex aqua producere dignatus es, quibus Noë arcâ egrediens, holocauſta tibi offerens placuit: & qui populo tuo ex Ægypto educto per Moyſen ſervum tuum, munda ab immundis ſegregans, edendi præceptum dediſti: te ſupplices rogamus, ut has mundarum avium carnes bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris, ut quicunque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, & ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Chriſtum &c. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

3.

Benedictio Animalium, quando morbus graſſatur in pecora &c.

Primò dicantur Litaniæ omnium SS. flexis genibus:

Peccatores. Te rogamus &c.
Ut nobis parcas. Te &c.
Ut nobis indulgeas. Te &c.

Sacerdos ſurgens.

Ut hæc pecora bene✝dicere digneris. Te &c.
Ut hæc pecora bene✝dicere & cuſto✝dire digneris. Te &c.

Ut

Ut hæc pecora bene✝dicere, cuſto✝dire, & ab omni morbo ✝ liberare digneris. Te &c.

Deinde genuflexus proſequatur:

Ut ea ab omni contagione præſervare digneris. Te &c.

Ut omne nocumentum ab eis auferre digneris. Te &c.

Ut nos audire digneris. Te &c.

Uſque ad finem.

Agnus Dei &c.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEUS omnipotens, Pater D. N. JESU Chriſti, cujus verbo cœli firmati ſunt, cui omnis creatura deſervit, cujus poteſtati omnia ſubjecta ſunt: cujus audito nomine ſerpentes conquieſcunt, dracones fugiunt, viperæ ſilent, ſcorpiones extinguuntur, reguli vincuntur, venenata non nocent, cunctáque ferocia animalia terrentur. Tu ab his pecoribus omnes diaboli fraudes repelle, ferarum incurſus amove, venena reſcinde, eáque ab omnibus infirmitatibus, adverſitatibus & periculis libera. Dignare, Domine, per nomen ſanctum dilectiſſimi filii tui, & per interceſſionem B. Mariæ Matris ejus, pérque merita omnium ſanctorum tuorum hæc pecora conſervare, bene✝dicere, & ab omni morbo liberare. Salvifica pabulum, arce dæmonium, tribue fœcunditatem, & tuâ efficaciſſimâ bene✝dictione reple omnia,

omnia, quæ uſui horum pecorum adaptantur, & aptanda erunt, per eundem &c.

Oremus.

Miſericordiam tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut hæc animalia, quæ periculoſa contagione infecta ſunt, in nomine tuo, & in virtute bene✝dictionis tuæ ſanentur; extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, nec ulterius ad damnum famulorum tuorum ægrotent; tu eis, Domine, ſis defenſaculum vitæ & remedium ſanitatis: ut tibi à famulis tuis digna reddatur gratiarum actio, per Chriſtum &c.

Hic benedicatur Sal.

Oremus.

DEUS inviſibilis & inæſtimabilis, pietatem tuam per ſanctum & tremendum nomen Filii tui ſuppliciter deprecamur, ut in hanc creaturam ſalis bene✝dictionem, & potentiam inviſibilis operationis tuæ infundas, ut animalia, quæ ex eo receperint, vel guſtaverint, bene✝dictio & protectio tua ab omni ægritudinis & læſionis incurſu cuſtodiat. Per eundem &c.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, defende quæſumus iſta animalia per hanc creaturam ſalis, quam in nomine tuo bene✝dico, & hiſce pecoribus tradi facio. Defende ea, quæſumus, piiſſime DEUS, à rapacibus, beſtiis, & latronibus, à ſcabie, morbo, peſte. & contagione, à malitia & invidia pravorum hominum, à veneficiis, ſagis, & ſtrigibus, à dæmonibus, incantationibus & immun-

mundis ſpiritibus: & demum ab omnibus malis, quæ iis naturaliter vel præternaturaliter accidere poſſunt, & quæcunque morbis vexantur, per virtutem hujus bene†dicti ſalis, & per invocationem ſancti tui nominis ſanare digneris. Per Chriſtum &c.

Aſpergat ſal & pecora aquâ benedictâ, & detur eis ſal ad ſumendum.

4.

Benedictio Schedularum ſub nominibus SS. Pirmini & Wendelini, contra morbos animalium: præſertim contra aduſtiones vulgò Brand.

Priùs ſcribantur ſuper parvas ſchedulas ſeqnentia verba.

† S. Pirmine † S. Wendeline † Orate pro nobis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS omnipotens, Pater D. N. JEſu Chriſti, cujus poteſtati omnia ſubjecta ſunt: cujus audito nomine ſerpentes conquieſcunt, dracones fugiunt, viperæ ſilent, ſcorpiones extinguuntur, reguli vincuntur, venenata non nocent, cunctáque ferocia animalia terrentur. Dignare, Domine, per tuam clamentiam & gratiam intercedentibus ſanctis tuis Pirmino, & Wendelino, has eorundem nominibus inſignitas ſchedulas bene†dicere, & ſancti†ficare, & concede propitius, ut quibuscunque pecoribus & animalibus hæ ſchedulæ fuerint

fuerint applicatæ, ea per merita & interceſſionem ſanctorum tuorum Pirmini & Wendelini ab omnibus infirmitatibus, periculis, & diaboli fraudibus liberentur; ſalvifica pabulum, reſcinde venena, arce dæmonium, tribue fœcunditatem, & tuâ efficaciſſimâ benedictione ✠ reple omnia, quæ uſui horum pecorum & animalium adaptantur, & aptanda erunt, Per eundem Dominum &c. Amen.

Deinde aſpergantur, & dentur ſumendæ in aquâ benedictâ dicendo:

Per interceſſionem SS. Pirmini & Wendelini liberet & præſervet te (vos) Dominus à malo aduſtionis &c. in nomine Patris ✠ &c.

Móxque ſubjungat.

Miſericordiam tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur; per interceſſionem SS. tuorum, Pirmini & Wendelini, tua benedictione ſanentur: extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, neque ægrotent ulteriùs, eſto eis, Domine, vitæ defenſio & ſanitatis remedium.

DEUS, qui laborantibus hominibus etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogâſti: Supplices te rogamus, ut, ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per Chriſtum Dominnm noſtrum. ℟. Amen.

Et aſpergantur iterum aquâ benedictâ.

5.

Benedictio Seminis Bombicum vermiculorum.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Creator omnium DEUS, qui ſemina fructificare & multiplicare facis, & in uſus noſtros miſericorditer concedis pervenire, intercedente beato Jacobo Apoſtolo tuo ſupplicationes noſtras placatus intende, & hæc ſemina vermiculorum, qui ſericum condunt, bene✝dicere & ſancti✝ficare tua benignitate digneris, ut copioſos mittant effectus ſuos: quatenus ad Eccleſiæ tuæ, ſanctorúmque altarium tuorum decorem, & ornatum atque etiam ad uſus noſtros perveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

6.

Benedictio Agrorum in honorem S. Magni Abbatis, ut ab eis locuſtæ, bruchi, & quævis alia animalia noxia expellantur.

Sacerdos indutus ſuperpelliceo & ſtola violacei coloris veniens ad agrum à locuſtis, brucis, aut aliis noxiis animalibus vexatum, primò aſpergat illum aquâ benedictâ, deinde dicat verſus & orationes ſequentes.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, bonorum omnium auctor & conſervator, in cujus nomine

omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: concede, ut quod te tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam (intercedente S. Magno Abbate) efficacem conſequatur effectum; quatenus hos vermes, mures, bruchos, aves, locuſtas, aut alia noxia animalia ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut ab iſta calamitate liberati, gratiarum actiones majeſtati tuæ referamus. Per Chriſtum &c.

℟. Amen.

Oremus.

DEUS, qui famulorum tuorum Moyſis & Aaronis miniſterio ab Ægyptiis pro gloria nominis tui locuſtas, bruchos, ciniſes, aliáſque plagas, ſcilicet juſtitiæ tuæ in peccatores flagella: avertiſti, à filiis quoque Iſraël prohibuiſti, à populo tuo in te credente ſimiles calamitates aufer, ut potentiam tuam & beneficentiam prædicemus. Per Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

Largire & conſervare dignare, Domine, DEUS noſter, per merita & interceſſionem (S. Magni Abbatis) fructus terræ, ut temporalibus gaudeamus auxiliis, & ſpiritualibus proficiamus incrementis. Per Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

Oramus te, Domine, DEUS noſter, ut per merita & interceſſionem S. Magni Abbatis hos agros, aut vineas ſerenis oculis, hilarique vultu reſpicere digneris: tuámque ſuper eos mittere benedictionem ✝, ut non grando ſurripiat, non vis tempeſtatis detruncet, non æſtus exurat, non

animalia noxia corrodant, neque inundatio pluviæ exterminet, ſed fructus incolumes uberéſque uſui noſtro ad plenam maturitatem perducas. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. Amen.

Mox aſpergat agros vel vineas, dicens: Aſperges &c. *Deinde legat ſequens Evangelium.*

℣. Dominus vobiſcum &c.

℣. Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Marcum.

℟. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore dixit JEſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. ℟. Laus tibi Chriſte.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, ut, qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, & hanc vermium, murium, bruchorum, avium, locuſtarum vel aliorum animalium calamitatem patimur, pro nominis tui gloria per merita & interceſſionem S. Magni, Abbatis, ab ea miſericorditer liberemur; ut per potentiam tuam expulſi nulli noceant, & hos agros aut hortos intactos dimittant; quatenus, quæ exorta fuerint, tuæ Majeſtati deſerviant. Per Chriſtum &c. Amen.

Digitized by Google

Deinde aſpergat prædictos agros ſeu vineas ter in modum crucis dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs✠ſancti, deſcendat & maneat ſuper hos agros, vineas aut hortos, & eorum fructus, Amen.

7.

Benedictio contra noxias aves, mures, vermes, ſerpentes, locuſtas, & ſimilia animalia terram vel fructus vaſtantia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Preces noſtras, quæſumus, Domine, clementer exaudi: ut, qui juſtè prò peccatis noſtris affligimur, & harum noxiarum avium (vel murium, vel vermium, vel locuſtarum &c.) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria, ab ea miſericorditer liberemur: ut procul à tua potentia expulſæ (vel expulſi) nulli noceant, & hos agros (vel prata, vel aquas, &c.) in tranquillitate & quiete dimittant, quatenus ex eis provenientia, tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati abſque nocumento ſubveniant. Per Chriſtum &c.

Exorciſmus.

Exorcizo & adjuro vos, peſtiferi vermes (vel mures, vel locuſtæ &c.) noxia animantia, per Deum Pa✠trem omnipotentem, per JEſum Chri-

ſtum ✠

ſtum ✠ Filium ejus Dominum noſtrum, & per Spiritum ✠ ſanctum, ab utroque procedentem, & per intercesſionem B. M. V. & ſancti N. ut confeſtim recedatis ab his agris (vel campis, vel pratis, vel vineis, vel hortis, &c.) nec amplius in eis habitetis, ſed ad illa, & talia loca tranſeatis, ubi nullis Dei ſervis nocere posſitis, pro parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, ſancti N. & Eccleſiæ ſanctæ Dei, vos maledicens, ut quocunque ieritis, ſitis meledicti, deficientes de die in diem in vos ipſos, & decreſcentes, ita ut reliquiæ in vobis nullo in loco inveniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem & uſum hominum, quod præſtare dignetur, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Alius Exorciſmus.

Exorcizo & adjuro vos dæmones, per Deum ✠ Patrem omnipotentem, qui in deſerto per quadraginta annos cibavit filios Iſrael mannâ, & ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut ſtatim ab his agris (campis, vineis, pratis, hortis, aquis) omne, quod noxium eſt, amoveatis. Adjuro etiam vos animalia, & quæcunque per maleficium diaboli noxia eſtis hominibus eorum, per Deum Patrem omnipotentem, & per Filium ejus, & per Spiritum Paraclitum, ut hinc diſcedatis, & nocere deſinatis graminibus, frugibus, piſcibus (*exprimantur, quæ nocumentum patiuntur*) & disſipemini, & omnis virtus & poteſtas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera Dei omnipotentis per invocationem nominis ſui, & per pasſionem & mor-

tem JEſu Chriſti filii ſui, & per merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum & Sanctarum cœleſtis curiæ. Amen.

Concludat Exorciſta ſequenti Oratione.

Omnipotens ſempitere DEUS, remunerator omnium bonorum, & pœnitentium peccatorum maximus miſerator: in cujus nomine omnia genua flectuntur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: concede nobis propitius, ut quod de gratia & miſericordia tua confiſi agimus, per eandem gratiam & virtutem tuam efficacem conſequamur effectum; ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati, Majeſtati tuæ congruas gratiarum referamus actiones. Per Chriſtum Dominum &c.

Aſpergat agros, prata, vel bortos, vineas, &c. aqua benedicta.

NB. *Initio poſt* Adjutorium *poſſunt flexis genibus dici Litaniæ omnium Sanctorum, deinde Oratio*: Preces noſtras, &c.

8.

Benedictio Aquæ contra nociva animalia, vermes, mures, &c.

℣. Adjutorum noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOMINE ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, mitte ſpiritum tuum ſanctum, cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, & cum eis Sanctos & electos tuos, ut defendant ſegetes, & fruges noſtras à vermibus, muri-

muribus, aliisque animantibus noxiis, & magnificetur Nomen ſanctum tuum in omni loco. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Domine JESU Chriſte, qui Jordanis flumen benedixiſti, & in eodem baptizatus aquas mundâſti, & purificâſti, ut elementum ſalubre efficeretur in remiſſionem peccatorum: has quoque aquas bene✠dicere ſancti✠ficare, & mundare digneris: ut nihil in eis noxium, nil peſtilens, vel inficiens, aut corrumpens remaneat, ut ſit omnibus ſumentibus eas ſanitas animæ & corporis, & à loco, in quo fuerint aſperſæ, diſcedant omnes nequitiæ vel verſutiæ diabolicæ fraudis, isque liberetur à noxiis animantibus, & inſidiis latentis inimici. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Bene✠dic, Domine, hanc creaturam aquæ, ut ubicunque fuerit aſperſa, à loco illo diſcedant & fugiant vermes, (vel mures, ves aves, vel locuſtæ, &c.) aliæque malæ & noxiæ beſtiæ à ſegetibus, hortis, fructibus, &c. propter nomen Domini noſtri JEſu Chriſti, quod invocatum eſt in ipſa creatura meſſis, ut fiat ad alimentum omnibus, qui vivunt ex ea. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c.

Aſpergitur alia communi aquâ benedictâ.

9.
Exorciſmus contra locuſtas & alia animalia noxia.

Sacerdos ſtolâ collo impoſitâ crucem parvam in manibus

bus deferens, miniſtro cum aquâ benedictâ, & aſperſorio comitante veniens ad locum, ubi ſunt locuſtæ, vel alia noxia animalia incipiat exorciſmum in hac forma.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & in ſæçula.
℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu.
℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli.
℟. Et laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.
℣. Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens & miſericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Domine DEUS, qui creâſti hominem ad ſimilitudinem tuam; clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hunc fructum, quem ad uſum generis humani naſci feciſti, benedictione tua perpetua benedicas ✠, ut germinet ſuper terram, floreat, frondeat, & ad maturitatem perveniat; quatenus de eo tibi ſuppliciter, & humiliter famuli tui acceptum ſacrificium, gratámque oblationem valeant offerre in conſpectu tuo; & de reliquo vitam ſuam nutrire ad laudem & gloriam SS. Nominis tui: non ſeminet ſuper eum hoſtis antiquus ſemina ſua, non zizania: non turbet eum aliquod malum: non color ſicet: non tempeſtas conturbet: nec grando conterat; non locuſta mordeat, neque

neque animal aliud quodcunque inficiat; ſed ſub tua protectione cum pluvia opportuna, ſalutaris, & congrua ſatiet, refrigeret ros, & usque ad complementum culturæ, ad manus laborantium in eo proſperè, & cum ſalute perducat. Per Chriſtum &c. ℞. Amen.

Oremus.

DEUS, qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti; adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, per merita & interceſſionem (S. Magni Abbatis) virtutem tuæ benedictionis † infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morbósque pellendos, divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in agris, vel vineis, vel hortis, vel ſegetibus fidelium tuorum hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxiis animalibus, non illic reſideat ſpiritus peſtilens. ℞. Amen. ℣. Non aura corrumpens. ℞. Amen. ℣. Non bruchus aut tinea demoliens. ℞. Amen. ℣. Non locuſta mordens. ℞. Amen. ℣. Non ventus urens. ℞. Amen. ℞. Non grando conteren ℞. Amen. ℣. Non tempeſtas conturbans. ℞. Amen. ℣. Non calor ſiccans. ℞. Amen. ℣, Non Zizania perturbans. ℞. Amen. ℣. Diſcedant ab ea omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod columitati ejus invideat, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, atque diſcedat. ℞. Amen.

Digitized by Google

Oremus.

Poſtea aſpergat agri vel vineæ terminos aquâ benedictâ, dicens Antiphonam. Vidi aquam, vel Aſperges me &c. *ſecundùm temporis diverſitatem: quâ finita dicat:*

Signum ſalutis pone, Domine, in fructibus iſtis, & non permittas introire Angelum percutientem in eos, neque animal aliquod infructuoſum. De cœlo, Domine, pone ſignum tuum in eis, & protege eos, non erit in eis plaga nocens.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, atque defendat omnes fructus in his agris, vel vineis exiſtentes. Per Chriſtum &c.

℟. Amen.

10. Be-

Digitized by Google

10.

Benedictio Imaginum SS. quinque Vulnerum, Nominum & Cordium JESU & Mariæ V. contra inviſibilem oblationem frumenti ex horreis.



Ecce Crucem ✝ & Nomen Domini fugite partes adverſæ.

Alpha & Omega ✝ Principium & finis ✝ Primus & Noviſſimus ✝ qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt ✝ Adonai

✠ Adonai ✠ Tetragrammaton ✠ Jehova ✠ Ineffabilis ✠ Verbum Caro factum habitavit in nobis, & pro nobis crucifixum eſt ✠ per Ipſum ✠ & cum Ipſo ✠ & in Ipſo ✠ eſt DEO Patri omnipotenti ✠ in unitate Spiritûs ſancti ✠ omnis honor & gloria ✠ dæmonibus autem & malignis ſpiritibus omnis confuſio & maledictio, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. ✠ ✠ ✠

Ave Maria, ſanctiſſima Joachimi & Annæ Filia Novi Adami Paradiſus, ad quem ſerpens aditum non invenit. S. Damaſc.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c

Oremus.

DEUS, qui tibi in ſanctiſſimis quinque vulneribus, dulciſſimis Nominibus & ſacratiſſimis cordibus JEſu Chriſti, dilecti Filii tui, & SS. Genitricis ejusdem Filii tui Virginis Mariæ complacuiſti, dignare Domine, has effigies in memoriam & honorem SS. quinque vulnerum, Nominum, & Cordium JEſu & Mariæ adaptatas dexterâ potentiæ bene✠dicere, & ſancti✠ficare, ut, quicunque eas devotè ſuper ſe deportaverit, aut ubicunque ſive in domibus, ſive in horreis, ſive in agris, &c. aut alio quocunque loco eæ affixæ vel poſitæ fuerint; diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris & maleficiis ſuis, nec quidquam ex his, quæ ibi poſita ſunt attingere, vel auferre, aut nobis & noſtris nocere præſumant, ſed Angeli tui fortiſſimi accedant, qui nos & noſtra in pace cuſtodiant.

Per

Digitized by Google

Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

DEUS, qui dixiſti ad ſerpentem: maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ, inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum: quæſumus, effunde ſuper has effigies largam bene†dictionem tuam, ut accipiant virtutem contra omnes malignos ſpiritus & eorum injuſtos conatus atque inſidias, ſintque hæc ſacroſancta vulnera, Nomina, & Corda JEſu & Mariæ firmiſſima ſigilla ſuper nos & omnia noſtra, ne malignus ſpiritus nos terrere, aut nos & noſtra lædere valeat, ſed abſque mora confuſus cum omni ſuo exercitu & phantasmate diſcedat, ligatus & adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem, Amen.

Oremus.

DEUS, qui in dilectiſſimi Filii tui titulo triumphali ſanctæ Crucis † JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, ſcribi voluiſti: concede propitius, ut victorioſiſſimus hic titulus ſit ignis ardens & armatura ſancta, ac potens contra omnes dæmones & maleficos injuſtorum hominum conatus & auſus, ne nos terrere, aut nobis & noſtris nocere, aut quidquam frumenti &c. ſive ex horreis, ſive ex campis auferre valeant, ſed confuſi & territi ſine mora recedere cogantur, per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c. Amen.

Aſpergantur.

II. Exor-

II.

Exorciſmus contra inviſibilem Lactis, Butyri, vel aliarum rerum per incantationes ac veneficia Ablationem.

Quando Lac vel Butyrum per incantationem auferuntur, vel alium innaturalem defectum patiuntur, congruum eſt, ut ſacerdos priùs benedicat ſtabulum, vel ſaltem pecora: deinde Lac vel Butyrum defectuoſum coram ſe poſitum exorcizet hoc modo:

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui inter cætera clementiæ tuæ dona, lactis ſubſtantiam hominibus ad uſus vitæ mortalis largiri dignatus es; te ſuppliciter deprecamur, ut lactis hujus ſubſtantiam bene✠dicere digneris, quatenus ſervis tuis feliciter & copiosè proveniat. Et quiſquis illo ad alimentum ſuum vel ad aliam hujus vitæ commoditatem uti voluerit, gratiam, benedictionémque tuam ſibi gaudeat adfuiſſe.

Oremus.

DEUS, qui ex abundantia pietatis tuæ fideles tuos ad comedendum pinguia invitare dignatus es: quíque inter alias creaturas pinguedínis participes butyro tantam dignitatem tribuiſti, ut non modò hominibus, ſed etiam unigenito Filio tuo incarnato in cibum & alimentum ſervire volueris, dicente Propheta: Butyrum & mel comedet. Immenſam clementiam tuam humiliter imploramus, ut à ſubſtantia butyri hujus vim omnem fraudémque virulenti hoſtis benignus avertas, nihil hic nocumenti, nihil mortiferæ corruptionis inferre præſumat: ſed

Digitized by Google

ſed quod fidelibus tuis ad humanæ indigentiæ remedium contuliſti, integrum illis ac incorruptum ſervetur: ut cum digna gratiarum actione ſumentes vitæ ſuæ & ſanitati prodeſſe ſentiant & lætentur. Per Dominum &c.

Exorcismus Lactis.

Exorcizo te, cretura lactis, in nomine DEI Patris † omnipotentis, & in nomine JEſu † Chriſti, Filii ejus, & in virtute Spiritûs † ſancti, ut fias lac exorcizatum in ſalutem fidelium, & ſis omnibus ex te ſumentibus ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat à te omnis nequitia & verſutia dibolicæ fraudis, omniſque nocendi facultas in te omni modo per miniſtros ſatanicos introducta. Exorcizo te per illum, qui SS. Patribus Abraham, Iſaac & Jacob terram lacte & melle manantem repromiſit, & poſteris eorum fideliter tradidit poſſidendam: ne ejusdem DEI & Domini noſtri fidelibus ſervis ſit cujuscunque mali occaſio, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Exorcizo te, creatura lactis, butyri, &c. per DEUM † vivum, per DEUM † verum, per DEUM † ſanctum, per DEUM, qui hominibus ab initio pro ſua bonitate ad uſus vitæ hujus corruptibilis butyrum de armento dedit, & lac de ovibus, ut nihil in te loci habebat adverſariæ cujuscunque virtutis operatio, nihil in te poteſtatis malitia ſatanæ, nihil ars damnata quorumvis utriusque ſexus illi impia ſocietate adhærentium, ne quovis modo ſubſtantiam tuam minuant, vel corrumpant, vel quacunque ratione hominibus noxiam reddant.

dant. Præſtante illo & ſervante, qui ventutus eſt judicare &c.

Aſpergatur.

Exorcismus diaboli.

Adjuvo te, quicunque es quietis humanæ perturbator, per Pa † trem, & Fi † lium, & Spiritum † ſanctum, ut nocere deſinas huic domui, neque audeas malefacere omnibus, quæ in ea ſunt: frumento, vino, oleo, lacti, butyro, caſeis, pecoribus, cæteriſque omnibus ad eam pertinentibus. Hoc tibi imperat Dominus JEſus † Chriſtus per omnia myſteria vitæ, Paſſionis & Glorificationis ſuæ: nec non per merita omnium Sanctorum & Sanctarum ſuarum; quibus hæc domus, & omnia eam contingentia cum omnibus habitantibus in ea, ſit in protectione & cuſtodia contra omnes inſidias tuas.

Exorciſmus.

Exorcizo te, immunde Spiritus, qui ad turbandam Chriſtianorum quietem, & ad injurias in bonis temporalibus inferendas hominibus, tua fraude deceptis, auxilium præbes, per judicem vivorum & mortuorum, ut ab hac domo & familiâ, omnibusque ad eam pertinentibus recedas, nec quidquam eorum, quæ ad illam ſpectant, attingere, vel auferre præſumas.

Exorcizo te per æternam DEI juſtitiam, ex qua lex illa, quâ ſuum cuique dandum eſſe ſtatuitur, emanavit, ut omnibus promiſſionibus, pactis, artibus, ſigniſque, quibus de quaſi aſtrictum & obligatum ſimulas, diſſipatis, divinæ ſeveritatis, in te exercendæ, formidine, omnia, quæ hujus

familiæ

familiæ ſunt, ſalva & intacta dimittas. Recede ergo hinc divinæ legis transgreſſor, hominúmque perturbator; & Angelis, quorum tutellæ familia iſta commiſſa eſt, te propellentibus fuge, nec eam in ſua quiete, ac bonis lædere, aut ulterius moleſtare præſumas, invocato contra tuam malitiam nomine Domini JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui ad ſervandam inter homines pacem furtum facere, & rem proximi concupiſcere prohibuiſti, obſecramus clementiam tuam, ut omnes, qui, quod injuſtè concupiſcunt, dæmonis adjutorio proximis ſuis auferre nituntur, dexteræ tuæ virtute coërceas, & hiſce famulis tuis, qui conceſſis à te vitæ ſuæ ſubſidiis ad honorem tuum frui deſiderant, ſanctorum Angelorum concede præſidium, qui dæmonum poteſtate repreſſa, maleficos injuſtorum hominum eorum adjumento perficiendos exiſtimant, irritos reddant & fruſtraneos. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

12.

Modus exorcizandi quævis animalia, per maleficia & veneficia afflicta.

Exorciſta omnibus domeſticis ad orationem invitatis, ipſum ſtabulum & animalia aquâ benedictâ aſpergat. Poſtea legat clara voce, flexis genibus, ſi commodè poſſit, Litanias omnium Sanctorum, quibus ſubjungat ſequentes orationes.

IN illo tempore dixit JESUS diſcipulis ſuis: habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſiquid habetis adversùs aliquem: ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quòdſi vos non dimiſeritis; nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

℟. Laus tibi, Chriſte.

Per Evangelica dicta tollantur & evertantur omnia diabolica facta, Amen.

Vel ſi malit, recitabit initium Evangelii S. Joannis.

In principio &c. *Quod contra omnia maleficia, & infirmitates rectè poteſt adhiberi. Deinde dicuntur Pſalmi ſequentes.*

Pſalmus 53.

DEUS, in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.

DEUS exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt adversùm me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adjuvat me: Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 56.

MIſerere mei, DEUS, miſerere mei: quoniem in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec transeat iniquitas.

Clamabo ad DEUM altiſſimum: DEUM qui benefecit mihi.

Miſit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Miſit DEUS miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare ſuper cœlos DEUS: & in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, cantabo, & pſalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine: & pſalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata eſt usque ad cœlos miſericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Exaltare ſuper cœlos DEUS: & ſuper omnem terram gloria tua.

Gloria Patri, &c.

Pſal-

Digitized by Google

Pſalmus 7.

DOmine, DEUS meus, in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat, ut leo animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

Domine, DEUS meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge, Domine, in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge, Domine, DEUS meus, in præcepto, quod mandâſti: & Synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum, ſcrutans corda & renes, Deus.

Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde.

Deus, judex juſtus, fortis & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?

Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

 Ec-

Digitized by Google

Ecce parturiit injuſtitiam: concepit dolorem, & perperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.

Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Gloria Patri &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, dæmon maledicte, immunde, ac maligne ſpiritus, quicunque animalia iſta Dei vivi & veri creaturas affligere, aut vexare audes, & adjuro te per eundem Deum vivum ✠ per Deum verum ✠ Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ut exeas, & recedas, à loco iſto, nec unquam huc reverti præſumas, neque eidem loco, vel alibi degentibus hominibus, aut jumentis damnum, vel pavorem immittas, aut quodcunque maleficium in detrimentum vitæ illorum, vel ſanitatis, aut utilitatis inferas, per eum, qui te in patibulo crucis vicit & ſuperavit; arma in quibus confidebas, abſtulit, ſpoliáque tua diſtribuit, ac poteſtetem tuam in Electorum ſuorum ſalutem & conſolationem ligavit, qui & venturus eſt ſtatuto tempore judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Alius Exorciſmus.

Adjuro vos, ô maligni ſpiritus, per creatorem cœli & terræ, per incarnationem Domini noſtri JESU Chriſti, ejúsque circumciſionem, apparitionem,

nem, baptiſmum, jejunium, & per crucem ejus, per pedes Chriſti perforatos, per paſſionem, mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem & Spiritûs ſancti miſſionem, & per glorioſam virginem Mariam, & per merita omnium Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum & omnium electorum, ut nunquam ampliùs acceſſum habeatis ad hunc locum in detrimentum hominum, animalium, & quarumcunque rerum humanæ utilitati à DEO indultarum; in nomnine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti. ℟. Amen.

Et aſpergens Animalia, & locum iterum, aquâ benedictâ, & adſtantes dicat:

DOmine DEUS, Pater omnium rerum, defende nos, & pecora iſta, defende, Domine, dona tua, defende familiam tuam ab omnibus malis, per virtutem aquæ à te miniſteriô Eccleſiæ benedictæ, & per invocationem ſancti Nominis tui in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti. Et exterminetur diabolus à terminis juſtorum, per invocationem ſancti nominis tui, & omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium Electorum, & nos, & pecora hæc ab omni malo liberare, & cuſtodire digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poterunt prædicta ſæpius repeti, vel aliæ preces & exorciſmi ex ſuprà & infrà poſitis, vel ex iis, quæ habentur contra infeſtationes domorum, bis jungi, mutatis mutandis.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Benedictines Fructuum & eorum, quæ ad eſum vel potum ſpectant.

I.

Benedictio Fructuum, omnis generis in communi, mutatis mutandis in particulari.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte, Deus de Deo, qui famulum tuum (S. Blaſium martyrio conſecrâſti, & ſanctum N.) in gloria tua collocâſti, bene✠dicere, & ſancti✠ficare tua pietate digneris hos terræ fructus (NB. nominentur in ſpecie v.g. Ficuum, Ceraſorum, Fragorum, Pirorum, Pomorum, Nucum, Uvarum, &c.) quos indigni detulimus, per tui ſancti Nominis invocationem & per interceſſionem B. M. V. & ſancti N. ſervi tui benedic✠, ſicut & ego in tuo nomine benedico ✠ & ſancti✠fico hos fructus, & ad profectum præſentis familiæ tuæ, atque omnium fidelium præſentium, ac abſentium provenire concede, ut in quocunque loco poſiti fuerint, ſalvi, maximè à dolore gutturis, & aliorum dolorum efficiantur, & omnes iniquitates, & illuſiones dæmonum, ab eorum habitaculis, & infectione abſtineant; & quicunque

cunque ex iis guſtaverint, tua gratia & benedictione repleantur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

2.

Benedictio Terræ ſeminatæ, ſeu ſementis in agris.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Bene✠dicat nos Deus, Deus noſter : & terræ noſtræ ubertatem concedat : in centuplum multiplicet fructum ejus, ut viventes in exultatione manipulos noſtros colligamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Dignare, Domine, bene✠dicere terram iſtam, ut det fructum bonum & ſanctum in tempore ſuo. Nam ego in nomine tuo & S. N. eam bene✠dico & ſancti✠fico, ut nullus ſpiritus poſſit eam turbare. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti.

O Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices te deprecamur, ut miſericordiâ tuâ jugitur nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, fructuum omnium largitatem tribuas: vinearum quoque ſubſtantiam abundantem, arborum fœtus, proventúsque omnium rerum, atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſidus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & univerſa mala amovere digneris. Sancte N. rogo te, ut benedicas ✠ & ſancti✠fices,

ces hanc terram, ſegetes, arbores, &c. ne poſſit ullus dæmon ſuper hanc terram ſeminatam, & fructus inde proventuros quidquam habere poteſtatis. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

Oremus.

O Domine DEUS, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ſuper hæc ſata, & fruges veniat ſperatæ bene✠dictionis tuæ ubertas, & omnia ad maturitatem fertilitatis perducere dignare, & mitte Spiritum ſanctum cum ſanctis Angelis tuis, ut defendant has ſegetes noſtras à noxiis beſtiis, & inimici inſidiis, & eas bene✠dicant ſicut & ego eas benedico. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti. ℟. Amen.

Aſpergantur.

3.

Benedictio Seminum, Olerum, & Leguminum, &c.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum &c.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

TE, Domine, petimus, & rogamus, ut hæc ſegetum, fructuum, olerum, leguminum, & herbarum ſemina oculis tuis ſerenis aſpicias, ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Ægypti dicens: Dic filiis Iſraël, cùm ingreſſi fuerint terram promiſſionis, quam eis Dominus daturus eſt, primitias frugum ſuarum offerant ſacerdotibus, & erunt be-

benedicti: ita & nos oramus Domine, auxilium miſericordiæ tuæ ſuper ſemina, ex quibus fructus de terra ſuſcipere ſperamus, ut non grando ulla ſuccidat, non turbo ſubvertat, non tempeſtas detundat, non aëris aut aquarum inundatio exterminet vel abducat: ſed tua ſancta bene✝dictione præmunita cum fructu largiter pro noſtrorum corporum vel animalium uſu ad pleniſſimam maturitatem perducere digneris. Per Chriſtum Dominum &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ. Si unius tantùm generis ſemina benedicuntur, cæteræ ſpecies omittantur.

4.

Benedictio Fructûs Arborum qualiumcunque in communi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEne✝dic, quæſumus Domine, fructus iſtarum arborum (poma, vel ficus, &c.) bene✝dictione tua, & præſta, ut quicunque ex iis veſcentur, corporis & animæ ſanitate potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatnr aquâ benedictâ.

5.

Benedictio ipſarum arborum fructiferarum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Ore-

Oremus.

DEUS, qui hujus arboris plantam (vel harum arborum) tua viſitatione & providentia perfectam eſſe voluiſti: nunc etiam, ut eandem bene✠dicere, & ſanctificare ✠ tua pietate digneris, te ſupplices deprecamur, ut quicunque ex ejus (vel earum) fructibus perceperint, ſani, & incolumes eſſe valeant. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

6.

Benedictio novorum Fructuum quorumvis in communi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cœlum & terram, mare & omnia creâſti: Te ſupplices deprecamur: ut hos fructus novos (vel hunc fructum novum) bene✠dicere digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, & replere cellas eorum cum abundantia frumenti, vini, & olei: ut lætantes in eis ſervi tui referant tibi Deo omnipotenti laudem, & gratiarum actiones. Per Chriſtum &c.

Oremus.

ORamus pietatem tuam, omnipotens DEUS, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviæ temperamento de terra educere & nutrire dignatus es, tuæ bene✠dictionis imbre perfundas, & populo tuo, de tuis muneribus ſumenti, benignè tribuas in tua gratia, & gratiarum actione in viventes

Digitized by Google

tes tibi ſervire; ut egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

7.

Benedictio Pomorum, vel Pirorum, vel Ficuum, vel Uvæ &c.

℣. Adjutorum noſtrum &c.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

TE ſupplices deprecamur, omnipotens æterne Deus, ut benedicas hos fructus Pomorum (vel Pirorum, vel Ficuum &c.) & qui per eſum interdictæ arboris lethali in Protoparente ſumus vulnere mulctati. Tu propitius noſtris poſtulationibus placatus, intende: & per virtutem tuam & dilectiſſimi Filii tui, Domini noſtri JESU Chriſti, & Spiritûs ſancti, hos fructus ſancta tua bene✝dictione ſanctifica, atque tua dignatione puri✝fica: ut expulsâ vetuſti hominis, ac primi facinoris incentoris pravitate, ſalubriter ex hac die, de univerſis terræ edendis germinibus, ad tui omnipotentis Dei laudem cum gratiarum actione, alacritate & ſoſpitate ſumamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

8.

Benedictio Vini novi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Ore-

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, bonorum omnium dator & conſervator, qui inter reliquas creaturas tuas, Vinum in hominum ſuſtentationem & lætitiam ex uvarum fructu prodire juſſiſti: quique per unigenitum tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum in nuptiis Canæ Galilææ, aquam in vinum mirabiliter permutâſti, & Sacramentum pretioſiſſimi ſanguinis ejusdem Filii tui in vini materia ſanctificari juſſiſti: Te ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam vini hujus benedi✝cere, & ſancti✝ficare digneris; ut famuli tui & famulæ ex eo guſtantes, animæ & corporis recipiant ſoſpitatem, & te omnium gratiarum largitorem, cum gratiarum actione, ſine fine collaudent. Per eundem Dominum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

9.

Alia Benedictio Vini, vel alterius Potûs.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum, Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc vini (vel hujus potûs) ad refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu bene✝dicas, & ſancti✝fices, atque ita omnium ſpirituum immundorum, ac maleficorum, ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gra-

Digitized by Google

gratia tuæ bene✝dictionis adveniat, & mala omnia te propitiante recedant. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

OI.

Benedictio Carnium, Ovorum, & ſimilium comeſtibilium extra Paſcha.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Filii Dei vivi, qui es verus ac immaculatus agnus; quíque immaculatus in ara crucis peccata mundi deléſti: & nos ad ovile propriis humeris reportâſti, has carnes, (vel hanc creaturam Ovorum &c.) quas ad uſus hominum creâſti, bene✝dicere & ſancti✝ficare digneris: ut omnes ex eis ſumentes tuis benedictionibus repleti, & animæ, & corporis ſanitatem, te annuente, ſemper accepiſſe lætentur. Salvator mundi, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

DEUS univerſæ carnis, qui Noë, & Filiis ejus de mundis & immundis animalibus præcepta dediſti: quíque ſicut olera herbarum, humanum genus carnes manducare permiſiſti: qui agnum in Ægypto Moyſi, & populo tuo in vigilia Paſchæ comedere præcepiſti, in figuram agni Domini noſtri JESU Chriſti, cujus ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti, & Angelo juvante, omne

omne primogenitum in Ægypto percuti præcepiſti, ſervans populum tuum, agni ſanguine prænotatum. Dignare, quæſumus, Domine, DEUS omnipotens, bene✠dicere & ſancti✠ficare has carnes (ovium, vel agnorum, vel hœdorum, vel avium, vel quaſcunque alias carnes) ut quicunque de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni benedictione cœleſti, & tuâ perenni repleti gratiâ ſatientur. Per eundem &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

II.

Benedictio Olei pro cibo, vel uſu Medicinæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

EMitte, quæſumus, Domine, Spiritum ſanctum tuum paraclitum de cœlis, in hanc olivæ pinguedinem, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis & corporis, ut tuâ ſanctâ bene✠dictione ſit omnibus hoc unguento cœleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis & corporis, & ſi quod illis adverſantium ſpirituum adhæreat nocumentum, ad tactum & ſumptionem hujus ſanctificati olei abſcedat: nullus ſpiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas: nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

II.

Benedictio Olei, Lactis, Bucyri, Caſei &c. muntatis mutandis.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum in nomine &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te creatura Olei (vel Lactis, vel Butyri, vel Caſei, vel Lardi &c.) in nomine DEI Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti: ut per hanc invocationem individuæ Trinitatis, ac virtutem unius Deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incurſio inimici, omne confuſum, & cœcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc Oleo (vel Lacte, vel Butyro, vel Caſeo &c.) ut omnes qui ex eo ſumpſerint, vel devotè uſurpaverint, ab omni maleficio diaboli ſint ſecuri, ut nulla eis nocere poſſit nequitia ſpirituum malignorum.

Oremus.

DIgnare Domine hoc Oleum (vel Lac, vel Butyrum, vel Caſeum &c.) bene✝dicere, & ſancti✝ficare pro tua pietate, ut quicunque ex eo ſumpſerit, tactus ſit dolore pœnitentiæ, & ab eo eradicentur maleficia, incantationes, tumores, dolores, facturæ, & ligationes quomodolibet factæ, contra creaturas DEI, ſit deſtructio omnium operum diaboli. Idque etiam ego indignus Chriſti ſervus in nomine Domini Jeſu Chriſti, B. Mariæ Virginis & S. N. bene✝dico, & ſancti✝fico hoc Oleum, (vel Lac, Butyrum, vel Caſeum &c. ad reſtituendum omnibus ſanitatem, ad extinguendos venenatos tumores, & dolores; ad depellenda adverſa, comprimenda noxia, & odia expellenda: ut quicunque eo utetur, ab omni languore & noxia infirmitate ſanetur, & à cunctis inſidiis ſatanæ

Digitized by Google

liberetur. Multiplica, ô DEUS, ſicut ſtellas cœli benedictiones tuas ſuper has creaturas: quas ego N. ſacerdos tuo nomine per JEſum Chriſtum bene✠dico, & ſancti✠fico, ut deſtruantur omnia maleficia & infeſtationes diaboli: Idque in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

13.

Benedictio communis rerum quarumvis tam comeſtibilium, quàm non comeſtibilium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEne✠dic, Domine, creaturam iſtam N. ut ſalutare remedium ſit creaturæ tuæ, quam in pretioſo ſanguine redemiſti: & præſta per invocationem tui ſancti nominis & ſancti N. ſervi tui, ut quisquis eâ uſus fuerit, benedictionem recipiat & ſanitatem: atque contra omnes morbos, atque univerſas inſidias diaboli, & inimicorum tutamen ſit: & ego N. tuus ſacerdos, in nomine tuo, & ſancti N. hanc creaturam N. bene✠dico, ac ſancti✠fico, ut ſit defenſio creaturis tuis & ignis ardens dæmoniorum, & ſit defenſio & expulſio, atque annihilatio omnium facturarum, & diabolorum, In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

Aſpergatur.

Benedictio Panis, Farinæ, vel Tritici habetur ſuprà.

CA-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Benedictiones rerum diverſarum.

I.

Benedictio ad quaſcunque res.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, deſcendat benedictio Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ſuper hanc creaturam ceræ (vel ſalis) ut quicunque ex ea ſumpſerint, vel ſuper ſe portaverint, ſint liberati ab omni factura, ligatura, ſignatura, præſtigio, incantatione, & illuſione, ab omni tentatione, timore, & puſillanimitate, ab omni diſcordia, animi perturbatione, & ab omnibus artibus diabolicis, & ſuorum miniſtrorum, & finaliter ab omnibus periculis animæ & corporis, & ab omnibus inimicis terribilibus, & inviſibilibus, & accipiant ſanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam ſalutis, integritatem charitatis, conſolationem ſpei, roborationem fidei, & præcipuè in hora mortis virtutem conſtanſtiæ, & viſitationem Spiritûs ſancti. Per eundem &c.

Aſpergatur.

2.

Benedictio cum Exorciſmo incenſi, Storacis. vel Odoramentorum mutatis mutandis, ad fugandos dæmones, & maleficia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorciſmus.

Exorcizo te creatura incenſi (vel ſtoracis, vel ſulphuris, vel adoramentorum &c.) per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per eum, qui omnia ex nihilo creavit, & malos angelos de cœlo ad iſta inferiora expulit, & per omnia nomina Dei, & per nomen B. Mariæ Virginis, & ſancti N. te conjuro † & exorcizo † O cratura incenſi (vel ſtoracis, vel ſulphuris &c.) per omnia ſuprà dicta, ut ſis in defenſionem noſtram, & efficiaris fumigatio, & creatura benedicta † & conſecrata † & perpetua pœna ſis omnibus malignis ſpiritibus infernalibus; & ſis ſolutio omnium ligaminum. Domine JESU bene†dicere, & ſancti†ficare digneris, per tuam clementiam, & pietatem hanc creaturam incenſi, vel ſtoracis, ut ſit defenſio contra omnes ſpiritus malignos, & compulſio facturarum, in quem locum odor hujus incenſi venerit, ſive adfuerit, nullus ſpiritus malus, nulla incantatio, & nullum maleficium, vel factura, & nulla moleſtia malignorum poſſit durare, neque ſtare modo aliquo; ſed ſtatim omnia diabolica fugiant procul per ſignum S. † Crucis. Amen.

Bene†dic Domine hanc creaturam incenſi (vel ſtoracis) ad effugandos dæmones, & omnia aſpera ejus per ſervum tuum ſanctum N. cui dediſti virtutem ad effugandos dæmones, nam ego N. ſacerdos bene†dico te creatura incenſi, vel ſtoracis, & ſancti†fico per eum, quem cælum & cœli cælorum capere non poſſunt; & in odere hujus incenſi (vel ſtoracis) benedicatur domus, locus, cubiculum, ita ut nul-

Digitized by Google

nullus ſpiritus poſſit ſtare, ubicunque fuerit hic odor; ſed fugiat confuſus: & domum, locum, cubiculum, ubi fuerit talis odor, bene✝dico, & ſanctifico, & benedictionibus cæleſtibus repleo: & ſic domus, & locus, & cubiculum DEI ſit palatium Chriſti, ſit habitaculum Spiritûs ſancti, & quisquis fumigatus fuerit his rebus benedictis, benedicatur, & ſanctificetur. Te humiliter precor, Domine JESU Chriſte, ut hanc creaturam incenſi (ſtoracis vel ſulphuris) quam in nomine tuo puri✝fico, bene✝dico, & ſancti✝fico, tua ſancta virtute digneris corroborare, ut odore hujus fugiant dæmones, cum omnibus ſuis facturis & armis in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergantur.

3.

Benedictio herbarum, rutæ, abſinthii, roſæ, & ſimilium pro fumigatione ad exorciſmos dæmonum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS; qui dixiſti, germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, ſic propter nomen ſanctum tuum magnum & glorificatum in terra, & in cœlo, pone dexteram tuam plenam largâ benedictione ſuper has herbas (vel roſas(& reple eas cun-

Oremus.

DEUS, qui hujus arboris plantam (vel harum arborum) tua viſitatione & providentia perfectam eſſe voluiſti : nunc etiam, ut eandem bene✠dicere, & ſanctificare ✠ tua pietate digneris , te ſupplices deprecamur, ut quicunque ex ejus (vel earum) fructibus perceperint, ſani, & incolumes eſſe valeant. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

6.

Benedictio novorum Fructuum quorumvis in communi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cœlum & terram, mare & omnia creâſti : Te ſupplices deprecamur: ut hos fructus novos (vel hunc fructum novum) bene✠dicere digneris , & multiplicare abundanter offerentibus tibi , & replere cellas eorum cum abundantia frumenti, vini, & olei : ut lætantes in eis ſervi tui referant tibi Deo omnipotenti laudem, & gratiarum actiones. Per Chriſtum &c.

Oremus.

ORamus pietatem tuam, omnipotens DEUS, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviæ temperamento de terra educere & nutrire dignatus es, tuæ bene✠dictionis imbre perfundas, & populo tuo, de tuis muneribus ſumenti , benignè tribuas in tua gratia, & gratiarum actione in viventes

tes tibi ſervire; ut egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

7.

Benedictio Pomorum, vel Pirorum, vel Ficuum, vel Uvæ &c.

℣. Adjutorum noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

TE ſupplices deprecamur, omnipotens æterne Deus, ut benedicas hos fructus Pomorum (vel Pirorum, vel Ficuum &c.) & qui per eſum interdictæ arboris lethali in Protoparente ſumus vulnere mulctati. Tu propitius noſtris poſtulationibus placatus, intende: & per virtutem tuam & dilectiſſimi Filii tui, Domini noſtri JESU Chriſti, & Spiritûs ſancti, hos fructus ſancta tua bene✝dictione ſanctifica, atque tua dignatione puri✝fica: ut expulsâ vetuſti hominis, ac primi facinoris incentoris pravitate, ſalubriter ex hac die, de univerſis terræ edendis germinibus, ad tui omnipotentis Dei laudem cum gratiarum actione, alacritate & ſoſpitate ſumamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

8.

Benedictio Vini novi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Ore-

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, bonorum omnium dator & conſervator, qui inter reliquas creaturas tuas, Vinum in hominum ſuſtentationem & lætitiam ex uvarum fructu prodire juſſiſti: quíque per unigenitum tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum in nuptiis Canæ Galilææ, aquam in vinum mirabiliter permutâſti, & Sacramentum pretioſiſſimi ſanguinis ejusdem Filii tui in vini materia ſanctificari juſſiſti: Te ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam vini hujus benedi✠cere, & ſancti✠ficare digneris; ut famuli tui & famulæ ex eo guſtantes, animæ & corporis recipiant ſoſpitatem, & te omnium gratiarum largitorem, cum gratiarum actione, ſine fine collaudent. Per eundem Dominum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

9.

Alia Benedictio Vini, vel alterius Potûs.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum, Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc vini (vel hujus potûs) ad refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu bene✠dicas, & ſancti✠fices, atque ita omnium ſpirituum immundorum, ac maleficorum, ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gra-

gratia tuæ bene✠dictionis adveniat, & mala omnia te propitiante recedant. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

OI.

Benedictio Carnium, Ovorum, & ſimilium comeſtibilium extra Paſcha.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, Filii Dei vivi, qui es verus ac immaculatus agnus; quíque immaculatus in ara crucis peccata mundi deléſti: & nos ad ovile propriis humeris reportâſti, has carnes, (vel hanc creaturam Ovorum &c.) quas ad uſus hominum creâſti, bene†dicere & ſancti✠ficare digneris: ut omnes ex eis ſumentes tuis benedictionibus repleti, & animæ, & corporis ſanitatem, te annuente, ſemper accepiſſe lætentur. Salvator mundi, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

DEUS univerſæ carnis, qui Noë, & Filiis ejus de mundis & immundis animalibus præcepta dediſti: quíque ſicut olera herbarum, humanum genus carnes manducare permiſiſti: qui agnum in Ægypto Moyſi, & populo tuo in vigilia Paſchæ comedere præcepiſti, in figuram agni Domini noſtri JESU Chriſti, cujus ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti, & Angelo juvante, omne

Digitized by Google

omne primogenitum in Ægypto percuti præcepiſti, ſervans populum tuum, agni ſanguine prænotatum. Dignare, quæſumus, Domine, DEUS omnipotens, bene✠dicere & ſancti✠ficare has carnes (ovium, vel agnorum, vel hœdorum, vel avium, vel quaſcunque alias carnes) ut quicunque de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni benedictione cœleſti, & tuâ perenni repleti gratiâ ſatientur. Per eundem &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

II.

Benedictio Olei pro cibo, vel uſu Medicinæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

EMitte, quæſumus, Domine, Spiritum ſanctum tuum paraclitum de cœlis, in hanc olivæ pinguedinem, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis & corporis, ut tuâ ſanctâ bene✠dictione ſit omnibus hoc unguento cœleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis & corporis, & ſi quod illis adverſantium ſpirituum adhæreat nocumentum, ad tactum & ſumptionem hujus ſanctificati olei abſcedat: nullus ſpiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas: nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

II.

Benedictio Olei, Lactis, Butyri, Caſei &c. mutatis mutandis.

℣. Ad-

Digitized by Google

℣. Adjutorium noſtrum in nomine &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te creatura Olei (vel Lactis, vel Butyri, vel Caſei, vel Lardi &c.) in nomine DEI Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti: ut per hanc invocationem individuæ Trinitatis, ac virtutem unius Deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incurſio inimici, omne confuſum, & cœcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc Oleo (vel Lacte, vel Butyro, vel Caſeo &c.) ut omnes qui ex eo ſumpſerint, vel devotè uſurpaverint, ab omni maleficio diaboli ſint ſecuri, ut nulla eis nocere poſſit nequitia ſpirituum malignorum.

Oremus.

DIgnare Domine hoc Oleum (vel Lac, vel Butyrum, vel Caſeum &c.) bene✠dicere, & ſancti✠ficare pro tua pietate, ut quicunque ex eo ſumpſerit, tactus ſit dolore pœnitentiæ, & ab eo eradicentur maleficia, incantationes, tumores, dolores, facturæ, & ligationes quomodolibet factæ, contra creaturas DEI, ſit deſtructio omnium operum diaboli. Idque etiam ego indignus Chriſti ſervus in nomine Domini Jeſu Chriſti, B. Mariæ Virginis & S. N. bene✠dico, & ſancti✠fico hoc Oleum, (vel Lac, Butyrum, vel Caſeum &c. ad reſtituendum omnibus ſanitatem, ad extinguendos venenatos tumores, & dolores: ad depellenda adverſa, comprimenda noxia, & odia expellenda: ut quicunque eo utetur, ab omni languore & noxia infirmitate ſanetur, & à cunctis inſidiis ſatanæ libe-

Digitized by Google

liberetur. Multiplica, ô DEUS, ſicut ſtellas cœli benedictiones tuas ſuper has creaturas: quas ego N. ſacerdos tuo nomine per JEſum Chriſtum bene✝dico, & ſancti✝fico, ut deſtruantur omnia maleficia & infeſtationes diaboli: Idque in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

13.

Benedictio communis rerum quarumvis tam comeſtibilium, quàm non comeſtibilium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

BEne✝dic, Domine, creaturam iſtam N. ut ſalutare remedium ſit creaturæ tuæ, quam in pretioſo ſanguine redemiſti: & præſta per invocationem tui ſancti nominis & ſancti N. ſervi tui, ut quisquis eâ uſus fuerit, benedictionem recipiat & ſanitatem: atque contra omnes morbos, atque univerſas inſidias diaboli, & inimicorum tutamen ſit: & ego N. tuus ſacerdos, in nomine tuo, & ſancti N. hanc creaturam N. bene✝dico, ac ſancti✝fico, ut ſit defenſio creaturis tuis & ignis ardens dæmoniorum, & ſit defenſio & expulſio, atque annihilatio omnium facturarum, & diabolorum, In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergatur.

Benedictio Panis, Farinæ, vel Tritici habetur ſuprà.

CA-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Benedictiones rerum diverſarum.

I.

Benedictio ad quaſcunque res.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, deſcendat benedictio Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, ſuper hanc creaturam ceræ (vel ſalis) ut quicunque ex ea ſumpſerint, vel ſuper ſe portaverint, ſint liberati ab omni factura, ligatura, ſignatura, præſtigio, incantatione, & illuſione, ab omni tentatione, timore, & puſillanimitate, ab omni diſcordia, animi perturbatione, & ab omnibus artibus diabolicis, & ſuorum miniſtrorum, & finaliter ab omnibus periculis animæ & corporis, & ab omnibus inimicis terribilibus, & inviſibilibus, & accipiant ſanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam ſalutis, integritatem charitatis, conſolationem ſpei, roborationem fidei, & præcipuè in hora mortis virtutem conſtanſtiæ, & viſitationem Spiritûs ſancti. Per eundem &c.

Aſpergatur.

2.

Benedictio cum Exorciſmo incenſi, Storacis. vel Odoramentorum mutatis mutandis, ad fugandos dæmones, & maleficia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

nullus ſpiritus poſſit ſtare, ubicunque fuerit hic odor; ſed fugiat confuſus: & domum, locum, cubiculum, ubi fuerit talis odor, bene✝dico, & ſanctifico, & benedictionibus cæleſtibus repleo: & ſic domus, & locus, & cubiculum DEI ſit palatium Chriſti, ſit habitaculum Spiritûs ſancti, & quisquis fumigatus fuerit his rebus benedictis, benedicatur, & ſanctificetur. Te humiliter precor, Domine JESU Chriſte, ut hanc creaturam incenſi (ſtoracis vel ſulphuris) quam in nomine tuo puri✝fico, bene✝dico, & ſancti✝fico, tua ſancta virtute digneris corroborare, ut odore hujus fugiant dæmones, cum omnibus ſuis facturis & armis in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Aſpergantur.

3.

Benedictio herbarum, rutæ, abſinthii, roſæ, & ſimilium pro fumigatione ad exorciſmos dæmonum,

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS; qui dixiſti, germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, ſic propter nomen ſanctum tuum magnum & glorificatum in terra, & in cœlo, pone dexteram tuam plenam largâ benedictione ſuper has herbas (vel roſas(& reple eas cun-

ctis benedictionibus, prout ego ſacerdos tuus, in tuo ſancto nomine Tetragrammaton & ſervi tui, Sancti N. eas exorci†zo, bene†dico, & ſancti†fico, ut ubicunque collocatæ fuerint ſive in domibus, ſive in lectis, vel cubiculis, vel ſuper ſe habuerit obſeſſus, vel odoratus fuerit, vel ſi quis fuerit ex his fumigatus, vel in balneo lotus, vel quibuscunque locis fuerint; per omnipotentiam tuam, & paſſionem filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, elongetur ab eis omne malum, omne periculum, omnes virtutes, & opera ſatanæ, & per eum, qui dat herbam ſervituti hominum, has herbas NN. bene†dico, & ſancti†fico ad fugandos dæmones, ad deſtruendum omne maleficium, & ad annihilandum incantamentum, ligamen, facturas, & omnia opera ſatanæ à corporibus hominum, à quibusvis locis omne opus diaboli factum, vel faciendum, ita, ut ibi nulla habitatio, nulla virtus diaboli ſit in his herbis; ſed in nomine JESU & ſancti N. quorum nomen & virtutem invoco ſuper has herbas (vel roſas) recedant confuſi, maledicti, & vadant in barathrum cum omnibus operibus ſuis hæreticalibus, & inhabitent ſancti Angeli DEI, ut recipiant ſanitatem, in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

4.

Benedictio Ignis ad maleficiorum inſtrumenta comburenda.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Ore-

Oremus.

Bene†dicat te creatura ignis, qui creavit te, qui famulo ſuo Moyſi in igne flammæ rubi apparuit; qui in columna nubis, per noctis tenebras ſuum populum anteceſſit in deſerto; qui tres pueros majeſtatis ſuæ cultores in te ſervavit illæſos, qui judicaturus orbem terrarum, te ante judicis faciem præire jubebit: qui te juſtitiæ inſtrumentum in contumaces ſpiritus delegit, & per te malignos ſpiritus apoſtatas, omnéſque damnatos juſtiſſimè excruciabit in æternum. Et ego bene†dico te, & exor†cizo te, & con†juro te, creatura ignis, per eum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem: & qui tremere facit orbem terrarum, & qui omnia poteſt, ut adversùs infernales beſtias, & prædones ſis mihi adjutorium in virtute DEI, & Domini noſtri JESU Chriſti affligens, crucians, & exurens plus centuplo, quàm gehenna ſulphurea, ut ſentiant pœnas importabiles, quæ per ſingula momenta ſuæ protervæ obſtinationis ſuſcipiant incrementa. Per eundem Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

O Adonai magne, & admirabilis, qui univerſa de nihilo in tua potenti virtute creâſti, & qui hujusmodi corporeis elementis, tantam adeò potes communicare virtutem, ut non ſolùm inviſibiles ſpiritus, pro eorum temeritate perpetuò excrucient, ſed etiam, ut poſſint rerum transmutare naturas: obſecramus hu-

militer omnipotentem pietatem tuam, ut huic tuæ creaturæ ignis eam virtutem conferre tua pietate digneris, quæ malignis ſpiritibus non ſolùm infernalium pœnarum amaram recordationem efficiat; verùm etiam eos, pro ſua in te, & nos miniſtros tuos, contumacia excruciet, exterminet, & expellat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Deinde ignem & maleficia aſpergat aquâ benedictâ: & hæc in ignem projiciat, dicendo interim (ſi placet) Pſalm. 67. Exurgat DEUS & diſſipentur inimici &c. *Ex Matut. fer.* 4.

5.

Benedictio Aquæ Ignatianæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

BEne✠dic Domine, creaturam iſtam aquæ, ut ſit remedium generi humano, & præſta per piiſſimam miſericordiam tuam, per JEſu Chriſti ſanguinem, ac interceſſionem S. Ignatii, & omnium Sanctorum, ut quicunque ex ea ſumpſerit, liberationem ab omnibus malis, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiat per Dominum &c.

Antiph. Hic vir deſpiciens mundum, & terrena, triumphans, divitias cœlo condidit ore manu.
℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et oſtendit illi regnum DEI.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in S. Ignatii confeſſoris tui commemoratione de-

Digitized by Google

deferimus: ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit, meritis adjuvemur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Oremus.

DEUS, qui glorificantes te glorificas & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut qui ſancti Ignatii glorioſa merita colimus, ejus pia patrocinia ſentiamus.

DEUS, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam novo per B. Ignatium ſubſidio militantem Eccleſiam roborâſti: concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipſo mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas &c.

Deinde Reliquia, & metallum S. Ignatii mittantur in aquam, dicatúrque:

Confer, benigniſſime Domine DEUS, per contactum reliquiarum (metalli) ſancti tui Ignatii aquæ huic virtutem ſanandi corpus & animam, pellendi quoque omnia mala ab hoc loco, ejúsque incolis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

6.

Benedictio virgarum, & flagellorum.

EXorcizo vos creaturas virgarum, vel flagellorum, per eum, qui creavit herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum; ut nulla communicatio ſit vobis cum angelis apoſtatis, impuris, libidinoſis, luxurioſis, fornicariis, adulterinis, ſodomiticis,

Digitized by Google

inceſtuoſis, invidis,acedioſis, iracundis, avaris,ſuperbis, guloſis, ſed ſitis virgæ, & flagella exor✝cizata, bene✝dicta, & con✝ſecrata ad conterendum, humiliandum, flagellandum & expellendum ſatanam, cum omnibus incitamentis & tentationibus ſuis: ita, ut omnis ſpiritus immundus, in aliqua figura, vel in corpore exiſtens, à vobis flagellatus manifeſtet ſe ſtatim, obediat ſacerdoti, & tandem fugiat cum omni immunditia & malitia ſua confuſus, recedátque à corporibus humanis, per JESUM Chriſtum, qui pro nobis ad columnam acerbiſſimè flagellatus fuit, & virgis cæſus, & pendens in cruce percuſſit Luciferum, & omnes ejus ſequaces. In nomine Pa✝tris,& Fi✝lii, & Spiritûs✝ ſancti, Amen.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS,qui incorporale virtute tua corporibus ſubdis,& virtutes naturales transmutas, & ſupernaturales creaturis tuis mirabiliter infundis, ſecundùm beneplacitum Majeſtatis tuæ, ut cognoſcamus te ſolùm DEUM omnipotentem; humiliter deprecor Majeſtatem tuam, ut has virgas & flagella bene✝dicere digneris. Bene✝dic itaque, & ſancti✝fica has virgas & flagella, ſicut benedixiſti virgas & flagella,& lignum ſanctæ crucis pretioſiſſimo ſanguine Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, ad flagellandos, & fugandos dæmones creaturam tuam vexantes. Per eundem Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

7. Be-

Digitized by Google

7.

Benedictio Cilicii geſtandi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, bene†dicere digneris hoc Cilicium, & Indumentum, quod famuli tui pro humilitate & pœnitudinis ſuæ devotione induere appetunt: ut ſicut Ninivitarum populo in cinere, & Cilicio pœnitenti pepercisti, ita & hic famulus, humiliationis & profeſſionis ſuæ hoc indutus veſtimento, à te creatore ſuo, omnium percipiat incrementa virtutum, & cunctorum indulgentiam conſequatur delictorum. Per Chriſtum, &c. Amen.

Aſpergatur.

8.

Benedictio S. Antonii de Padua, cum Oratione ad recuperandas res amiſſas.

ECce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix David, qui miſereatur, & benedicat nobis. Amen.

Reſponſorium S. Antonii de Padua pro reperdita.

Si quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani: cedunt mare, vincula; membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes & cani, pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas: narrent hi, qui ſentiunt, dicant Paduani: cedunt: Gloria patri &c. cedunt.

℣. Ora pro nobis, Beate Antoni.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

ECcleſiam tuam, DEUS, beati Antonii Confeſſoris tui deprecatio votiva lætificat, ut ſpiritualibus ſemper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Chriſtum Dominum &c.

9.

Benedictio novæ navis.

Pſal. 28. Afferte Domino, ex Matut. fer. 2.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

REſpice omnipotens DEUS, de cœlo ſancto tuo, & cœleſti benedictione bene✠dic hanc navim, & S. Angelo comite, navigantes in ea proſpere dirigere, & ab omni infortunio præſervare digneris: ut ad Patriam & portum ſalutis reverſi te cum alacritate mentis exultantes collaudent. Per Chriſtum &c.

℣. Dominus vobiscum &c.

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

℟. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore juſſit JEſus diſcipulos ſuos aſcendere in naviculam, donec dimitteret turbam. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. Navicula verò in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare, videntes autèm eum ambulantem ſuper mare turbati ſunt dicentes: quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt. Statímque JEſus locutus eſt eis dicens: Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit: Do-

Digitized by Google

Domine, ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas. At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad JESUM. Videns autem ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamavit, dicens: Domine, ſalvum me fac. Et continuò JESUS extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Et cùm aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es. ℟. Laus tibi Chriſte.

Oremus.

DOmine Deus noſter, qui gubernâſti & incolumem ſervâſti Noë ſuper undas diluvii, & Petro Apoſtolo tuo ſuper mare ambulanti & mergenti manum porrexiſti: extende dexteram tuam ſuper hanc navim, & ſuper nauclerum, & omnes in hac navi benedicta navigaturos: iiſque ſanitatem animæ & corporis concede, eoſque ad portum ſalutis perducere digneris illæſos. Qui vivis &c.

Oremus.

BEne✠dic Domine, hanc navim, ſicut benedixiſti filios Iſraël de Ægypto per manum Moyſis exeuntes, & per mare rubrum tranſeuntes. Sic navim iſtam & famulos tuos in ea navigaturos dextera tua bene✠dicere, & ad deſtinatum locum incolumes perducere digneris. Per Dominum noſt. &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui per corporalem præſentiam tuam naviculam Petri ſanctificâſti, &

in

in captura piſcium miraculoſa benedixiſti, dignare quoque hanc navim, & famulos tuos in ea navigantes cum omnibus ſubſtantiis ſuis per virtutem divinitatis tuæ bene✠dicere, & abundantiâ pietatis tuæ ab alliſione & ſubmerſione præſervare, ut ope miſericordiæ adjuti ad loca deſiderata ſalvi perveniant, & in Eccleſia tua gratiarum tibi referant actiones. Qui vivis regnas &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc navim, & maneat ſemper. Amen.

Aſpergatur.

10.

Benedictio novorum Vaſorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

PRotector fidelium Deus, & ſubditorum pectorum habitator, quæſumus, ut ſerenis oculis tuæ pietatis hæc vaſa reſpicere, & illuſtrare digneris, ut ſuper ea deſcendat larga tuæ gratiæ bene✠dictio, ut cum ſalubritate utentes iis per gratiam tuam mereamur effici vaſa Spiritûs ſancti. Per Chriſtum &c.

Aſpergantur.

11.

Benedictio ignis domeſtici in foro, vel fornace.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Ore-

Oremus.

BEne✝dico te, creatura ignis ✝ & ſancti✝fico te per eum, qui te creavit, & apparuit Moyſi in rubo ardente: & rogo Majeſtatem tuam, Domine DEUS, ut eandem tua benedictione & ſanctificatione bene✝dicere, ſancti✝ficare, tutari & fovere, ac ab omnibus inſidiis ac maleficiis munire digneris. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur.

12.

Benedictio B. Salvatoris ab Horta Franciſcani contra Febres.

POtentia DEI Pa✝tris, Sapientia Dei Fi✝lii, Virtus Spiritûs ✝ ſancti liberet te ab omni Febre tertiana, quartana, & continua. Beato Salvatore orante pro te famulo ſuo (vel famula ſua) Dominus te N. benedicat ✝ ab infirmitate & ab omni malo te defendat, Amen.

NB. *Si hæc benedictio ſchedæ inſcribatur, antequam collo appendatur,, ſcheda benedicitur, & conjuratur ut ſupra in benedictione* 30. *Capitis ſecundi.*

CAPUT NONUM.

Benedictiones, & Exorciſmi potentiſſimi contra tempeſtates, ignem & inundationes.

I.

Exorciſmus contra tempeſtatem.

Per ſignum crucis ✝ de inimicis noſtris libera nos DEUS noſter.

In

In nomine Pa✝tris, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Credo in Deum. *Dicitur totum.*

Deinde Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. *totum.*

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum &c.
℟. Ex hoc, nunc & usque in ſæculum.
℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus.
℟. Et fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.
℣. Exſurge Chriſte, adjuva nos.
℟. Libera nos propter nomen tuum.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quique flumini Jordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia ſanctiſſima in cruce ✝ extendiſti quibus aërem ſanctificâſti, obſecramus immenſam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me, à dexteris, & à ſiniſtris video, aërem perturbantes, diſſolvere, & annihilare digneris, ut alligata poteſtas dæmonum impiè deſævientium deficiat & turbetur, ad laudem ſanctiſſimi nominis & potentisſimæ Majeſtatis tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spititûs ſancti, &c.

Exor-

Exorciſmus.

ET ego præco, & Chriſti ſacerdos ſeu miniſter licèt indignus auctoritate & virtute ejusdem Dei & Domini noſtri JESU Chriſti, ſummi imperatoris, non meâ potentiâ innixus & confiſus, vobis præcipio immundiſſimis ſpiritibus, qui has nubes, ſeu nebulas concitatis, in virtute ejusdem Dei & Domini JESU Chriſti ✝ per ſanctiſſimam ejus incarnationem, per ſanctam nativitatem, per baptiſmum & jejunium ipſius, per ejus ſacratiſſimam crucem ✝ & paſſionem, per ſanctam reſurrectionem, per admirabilem aſcenſionem, per tremendum adventum ejus & judicium; per merita intemeratæ, & ſemper Virginis Mariæ, & ſanctiſſimi N. & per merita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſylveſtribus & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, aut quibuscunque rebus humanis uſibus deputatis. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Ipſe vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovetis, de quo de nube lucida fuit dictum: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ✝. Ipſe vobis imperat, qui ſua ſanctiſſima cruce, & corporis ſui ſanctiſſimi in ea extenſione, aërem purgavit ✝. Ipſe vobis imperat, qui per mortem ſuam vos, principem veſtrum, mortémque devicit, & ligavit, atque æternæ gehennæ mancipavit ignibus ✝. Ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato, ſurrexit à mortuis ✝. Ipſe vobis imperat, qui poſt quadragin-

ginta dies nube ſuſceptus, virtute ſua aſcendit in cœlum. ✠ Ipſe vobis imperat, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos,& ſæculum per ignem, A.

Et poſtea oſtendat crucem in aëra dicens:

Ecce ſignum ſanctiſſimæ Crucis † fugite partes adverſæ, vicit enim vos & mundum Dominus noſter, JESUS Chriſtus, Filius DEI, imperator ſummus, Leo de tribi Juda, radix David.

Poſtea aquam benedictam in modum crucis aſpergat, & ſi Litaniæ non ſunt dictæ, poſſunt dici hic, ſi nondum quievit tempeſtas.

Symbolum ſancti Athanaſii.

QUicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem:

Quam niſi quisque integram inviolatámque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt: ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs ſancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas,

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus.

Et

Et tamen non tres æterni: ſed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed unus increatus, & unus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes; ſed unus omnipotens.

Ita DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dii: ſed unus eſt DEUS.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingulatim unamquamque perſonam DEUM ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus: ſed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, coæquales.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit.

Digitized by Google

Qui vult ergo ſalvus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: ut incarnationem quoque Domini noſtri JEſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur: quia Dominus noſter JEſus Chriſtus DEI Filius, DEUS, & homo eſt.

DEUS eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Perfectus DEUS, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm divinitatem: minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licèt DEUS ſit & homo: non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſione divinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in DEUM.

Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo: ita DEUS, & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica: quam niſi quisque fideliter, firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Salve Regina &c.

Sub tuum præſidium confugimus &c.

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.

℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Ora pro nobis, ſancta DEI genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

℣. Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus.

℟. Et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

℣. Exurge, Chriſte, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Irruat ſuper dæmones formido & pavor.

℟. In magnitudine brachii tui.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis, in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere: & in potentiæ majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

A domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Digitized by Google

Ad te nos Domine clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſtè pro peccatis affligimur, miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus.

Largiri, & conſervare fructus terræ dignare Domine DEUS: ut temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus ſpiritualibus incrementis.

Tribulationem noſtram, quæſumus, Domine, propitius reſpice, & iram tuæ indignationis, quam juſtè meremur, averte. Per Dominum noſtrum, &c.

Poteſt etiam dici oratio Sancti, vel Sanctæ vel Sanctorum propriæ Eccleſiæ.

2.

Alia conjuratio efficaciſſima contra imminentem tempeſtatem.

Primò dicatur Antiph.

Aſperges † me Domine, & miſerere mei.

Deinde ſequitur.

Pater † te confundat, Filius † te dividat, Spiritus † ſanctus te tranſeat. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen. Ecce Cru†cem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluja, Chriſtus † vincit, Chriſtus † regnat, Chriſtus † imperat, Chriſtus ab omni malo, & tempeſtate nos, & omnia bona noſtra defendat, Amen. Con†juro te tempeſtas mala, per nomen Domini noſtri JESU Chriſti, & per nomina trium Regum, quorum nomina ſunt Caſpar, Melchior, Balthaſar, qui Dominum in Bethlehem viſitare voluerunt, & obtulerunt aurum,

rum, thus & myrrham. Tibi impero, ut procul fugias, & citò recedas à finibus noſtris, nec nocere valeas ullis finibus Chriſtianorum. Amen. Conjuro † te tempeſtas valida per ſanctiſſima nomina JEſu Chriſti. Conjuro † te per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per beatam Mariam Matrem ejusdem Domini noſtri JESU Chriſti, & per Angelos, & per Archangelos, per Thronos, & Dominationes, Principatus, & poteſtates, per Cherubim & Seraphim. Conjuro † te tempeſtas per ſeptuaginta duos diſcipulos Domini noſtri JEſu Chriſti. Conjuro † te tempeſtas, per omnia, quæ DEUS fecit: & per virtutes cælorum, & per ſeptuaginta nomina ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, hebraicè, græcè, & latinè, quibus nuncupatur DEUS. Conjuro † te tempeſtas per duodecim Apoſtolos Domini noſtri JEſu Chriſti, per tres Patriarchas Abraham, Iſaac, & Jacob: & per quatuor Evangeliſtas DEI, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Conjuro † te tempeſtas per Annuntiationem & Incarnationem Domini noſtri JESU Chriſti, per Nativitatem, & Circumciſionem, per apparitionem, per jejunium, per tentationem, per transfigurationem, per traditionem, captionem, collaphizationem, flagellationem, irriſionem, & paſſionem ejus, per crucem & clavos, per lanceam, & vulnera ſua, per mortem ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, & per dolorem, & lachrimas, quas habuit beatiſſima Virgo Maria Mater ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti de filio ſuo Domino noſtro JEſu Chriſto, & per ſepulturam ejus, & per reſurrectionem &

Digitized by Google

aſcenſionem, per Spiritum ſanctum paraclitum Domini noſtri JEſu Chriſti, ut procul fugias, & citò recedas à finibus noſtris. Conjuro † te tempeſtas per ſanctiſſimam mortem JEſu Chriſti, & per crucem, in qua pependit pro nobis peccatoribus, Agios, Iſchiros, Athanatos. Conjuro † te tempeſtas per hæc nomina Heloy, Heloy, Heloy, Alpha & Omega, principium & finis, vita, virtus, ſalvator, Rex, magnus, DEUS Sabaoth. Conjuro † te tempeſtas, per ſanctos Monachos, & eremitas, per virgines, & per continentes, & per omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & per omnes miſſas, quæ ſunt cantatæ, & per omnes illos, qui eas cantaverunt, & per omnem poteſtatem Domini noſtri JEſu Chriſti, & per omnia, quæ ad honorem DEI, & Beatæ Mariæ Virginis, & omnium ſanctorum dici poſſunt. Conjuro † te tempeſtas, ut non cadas in territorio noſtro, ſeu in finibus noſtris, nec in alio loco, ubi nocere poſſis Chriſtianis. Conjuro † te tempeſtas, per omnia ſuprà dicta, ut non noceas, nec nocere poſſis animalibus, nec bonis noſtris, ſed cade in loco deſerto, ſeu eremo inhabitabili, vel in tali loco, ubi nemini noceas, Amen.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne, & miſericors DEUS, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, & da, ut poſt noxios nubium, & procellarum ventos in materiam laudis tranſeat comminatio tempeſtatis.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare unitatem, quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.

poſteà converſus ad nubes, ſignet eas ſignô crucis dicens:

Circumdet te, nubes, DEUS Pa✝ter, circumdet te DEUS Fi✝lius, circumdet te DEUS Spiritûs ✝ ſanctus. Deſtruat te DEUS Pater ✝, deſtruat te DEUS Filius ✝, deſtruat te DEUS Spiritus ✝ ſanctus. Comprimat te DEUS ✝ Pater, comprimat te DEUS Filius ✝, comprimat te DEUS Spiritus ✝ ſanctus, Amen.

Obſecratio.

SAnctus Mathæus, ſanctus Marcus, ſanctus Lucas, ſanctus Joannes, Evangeliſtæ, qui Chriſti Evangelium, per quatuor mundi partes divulgârunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro JEſu Chriſto removeri obtineant, & depelli.

3.

Benedictio & Exorciſmus contra tempeſtates.

Mox, ùt videt tempus tempeſtuoſum levari, Sacerdos aſpergat aquam benedictam contra tempeſtatem per quatuor latera in modum crucis, & ſæpe hoc faciat. Et quia Agnus Dei habet virtutem contra tempeſtatem. exorcizans poteſt eo ut uti ſignando ad ſingulas cruces.

Digitized by Google

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Adjuva nos DEUS ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Vox Domini ſuper aquas multas.
℟. DEUS Majeſtatis intonuit.
℣. Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus.
℟. Et fugiant, qui oderunt eum à fecie ejus.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

A Domo tua quæſumus, Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, parce metuentibus, & propitiare ſupplicantibus, ut poſt noxios ignes nubium, & vim procellarum in materiam tranſeat laudis comminatio tempeſtatis.

Oremus.

Rex æterni imperii, omnipotens DEUS, qui das eſcam omni carni & operis cœlum nubibus: & paras terræ pluviam; qui mandas nubibus deſuper, & januas cœli aperis, qui transfers auſtrum de cœlo, & inducis in virtute tua africam; & de fructibus operum tuorum ſatiatur terra; qui Angelo præcepiſti, ne terræ, mari, neque arboribus noceret: parce, Domine, metuentibus, & propitiare ſupplicantibus, te enim, Domine, ſupplices exoramus, ut procul abſcedat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum,

tum, fragor grandinum, percuſſio fulminum, & quælibet inſidiæ inimici temperentur: infeſta tonitrua & noxiæ pluviæ: ventorum flamina fiant moderatè ſuſpenſa: & omnis quoque ſpiritus procellarum, & aëreæ poteſtates dexterâ proſternatur virtutis. Deſcendat quæſumus, Domine, deſuper Spiritus ſanctus, & ſicut Samueli cornigerum agnum in holocauſtum tuum mactanti fragor aurarum tuarum repulit adverſantem, ita fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus, fruges, mentes, & corpora fidelium manus ſervet Angelica protectione supernâ, & poſt ſopitos nubium impetus, in laudis, & devotionis, ac ſpiritualis amoris augmentum tranſeat comminatio tempeſtatis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. &c.

Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas Pa†ter, & Fi†lius, & Spiritus † ſanctus, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Sancte DEUS, ſancte fortis, ſancte immortalis, miſerere nobis.

JESUS Chriſtus † Rex gloriæ venit in pace † DEUS homo factus eſt, verbum † caro factum eſt. Chriſtus vincit † Chriſtus regnat † Chriſtus imperat † Chriſtus ab omni malo † nos defendat. Crux † Chriſti ſalva nos, Crux † Chriſti protege nos, Crux † Chriſti defende nos, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen.

JE-

Digitized by Google

JEſus Nazarenus Rex Judæorum, Titulus triumphalis benedicat & cuſtodiat nos ab omnibus malis.

Exorciſmus.

ECce crucem † & nomen Domini, ens entium DEUS, cauſa cauſarum DEUS, vita viventium DEUS, à quo omnia DEUS, de quo omnia DEUS, ex quo omnia DEUS, in quo omnia DEUS, & per quem omnia DEUS, DEUS deorum DEUS. Agla, potentiſſimus DEUS, Adonay Dominus DEUS, Heloim juſtiſſimus DEUS, Eloim excelſus DEUS, Eloa Dominus DEUS, & fortiſſimus DEUS, Saday omnipotens DEUS, ſanctus, ſanctus, ſanctus Sabaoth DEUS, DEUS deorum DEUS, Adonay, Tetragrammaton &c. quod nec lingua explicare, nec mens nec ſenſus hominum capere poteſt, nec indigniſſima ego tanti DEI & creatoris creatura dignus ſum ſcire, proferre, aut ſyllabas conjunctas pronunciare, nec minùs ad cælum oculos levare, ſed vix audeo divinatione litterarum perſonare, Jod, Hevau, He, fugite partes adverſæ, fugite dæmones, fugite inimici generis humani, fugite rebelles creatoris veſtri, oſculamini dæmones maledicti hoc glorioſiſſimum magnum, & admirabile creatoris veſtri nomen Adonay, Tetragrammaton &c. Oſculamini & genuflectite devotè ſpiritus teterrimi, dracones execrandi, nominari indigniſſimi; aliàs per hæc ſacratiſſima Dei nomina, per ſanctam crucem, & pretioſiſſimum JESU Chriſti ſanguinem, validiſſimis quibuscunque exorciſmis hoc ipſo conjuramini, ſicuti actu ipſo vos exorcizo † ut ſine mora ceſſetis ab omni incurſu † terrore † tempeſtatibus nocivis † vexa-

vexatione mei ✝ aut cujuſcunque creaturæ, & horum locorum. Ita ſanctiſſima Trinitate jubente ✝; Virgine DEI Genitrice MARIA cum omnibus Angelis & Sanctis intercedente, & ſancto Michaële Archangelo exequente, in nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti. Amen. ✝ Amen. ✝ Amen. ✝ Fiat ✝ Fiat. ✝

Aſpergantur aquâ benedictâ.

4.

Exorciſmus & cunjuratio contra grandines & tempeſtates.

Sacerdos manus ſuas in modum crucis extendat contra nubes, & piè dicat Pater noſter, Ave Maria, Symbolum Apoſtolorum, & S. Athanaſii: Quicunque vult ſalvus eſſe &c. *fol.* 370. *Cum benedictione in nomine* Pa✝tris, & Fi✝lii & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Conjuratio & Adjuratio.

CONjuro & adjuro vos nubes & tempeſtates, & præcipio per DEUM Pa✝trem, per DEUM Fi✝lium, per DEUM Spiritum ✝ ſanctum, qui ſunt in ſubſtantia unus DEUS, per potentiam Patris, per ſapientiam Filii, per amorem Spiritûs ſancti procedentis ab utroque: per ſanctam obedientiam JEſu Chriſti, Domini noſtri: per ſanctam humilitatem, & fœcunditatem Genitricis DEI Mariæ: per novem choros Angelorum, per virtutem & paſſionem Apoſtolorum ac Martyrum: per merita omnium Sanctorum, & Sanctarum DEI, per imperiale verbum JEſu Chriſti, quo ventis imperavit, ut ceſſarent:

rent: per diviſionem maris rubri à Dei potentia factam, adjuro, & præcipio vobis nubes, grandines † & tempeſtates, ut in hoc ſigno ſanctæ † crucis, quod contra vos facio, indiviſæ repente recedatis à nobis, & ab hoc loco, ſine læſione alicujus hominis, vel loci, vel terræ, & deleamini per aërem, Amen.

Iterum adjuro † vos grandines, & tempeſtates, per quinque Sacroſancta vulnera Chriſti, per tres clavos, qui manus & pedes ejus perforârunt; ut in aquam reſolutæ deſcendatis, & abſcedatis, idque in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quique flumini Jordanis benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti: & tuas ſanctiſſimas manus, brachia ſacratiſſima in cruce extendiſti, quibus aërem ſanctificâſti, ſupplices obſecramus immenſam bonitatis tuæ clementiam, ut has nubes & tempeſtates, quas ante me, poſt me, & ſupra me video aërem perturbare, clementer diſſolvere & annihilare digneris, ut alligata poteſtas dæmonum, ac maleficiorum impiè in tuos fideles, ac fructus terræ deſæviens deficiat, turbetur, & diſſolvatur ad laudem ſanctiſſimi nominis tui, & omnipotentiſſimæ tuæ Majeſtatis. Qui vivis & regnas &c.

Exorciſmus.

Iterum converſus ad nubes cum ſigno crucis dicat:

Cir-

Digitized by Google

CIrcumdet te DEUS Pater † circumdet te DEUS Filius †, circumdet te DEUS Spiritus † ſanctus. Benedicat te DEUS Pater † benedicat te DEUS † Filius, benedicat te DEUS Spiritus † ſanctus. Dividat te DEUS Pater †, dividat te DEUS Filius †, dividat te DEUS Spiritus † ſanctus. Deſtruat te Deus Pa†ter, deſtruat te Deus Filius †, deſtruat te Deus Spiritus † ſanctus. Annihilet te Deus Pater †, annihilet te Deus Filius †, annihilet te Deus Spiritus † ſanctus. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

Poſtea acceptam crucem cum Benedictione oſtendat in aëre à 4. lateribus dicens:

Ecce ſignum ſanctiſſimæ † crucis, fugite partes adverſæ: vicit enim vos & mundum Dominus noſter JEſus Chriſtus Filius DEI, ſummus imperator, Leo de tribu Juda, radix David, Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ in modum crucis per quatuor latera dicendo: In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, Amen.

5.

Exorciſmus ad fugandas tempeſtates.

Primùm benedicat aquam & ſal in hunc modum & exorcizet.

Exorciſmus ſalis & aquæ.

In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti. Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c.

EXorcizo te, creatura ſalis & aquæ, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti Nazareni, Filii Dei

Dei vivi ut ſis purgatio & purificatio in his locis, in quibus aſperſa fueris, ad effugandos immundos & hæreticos ſpiritus, omnémque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras, & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas, & fulgura, & ſidera, qui mitti videntur in domos, arbores, agros, poſſeſſiones, turres, vel quamcunque habitationem, ne hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, ſed abſcedant, & fugiant, per invocationem nominis Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. A.

Et mox aſpergat aquam benedictam contra tempeſtatem in modum crucis.

Extendat manus in modum crucis contra nubes, & dicat Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

Exorciſmus.

ADjuro vos, angeli tartarei, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per illam lanceam † adjuro vos, qua Dominus noſter JESUS Chriſtus fuit vulneratus in cruce; & per illos clavos, qui membra Domini perforaverunt, & per illam aquam & ſanguinem, qui de latere Chriſti effluxit, & per illam ſpineam coronam, quæ in capite D. N. JESU Chriſti poſita fuit, & per ſanctam reſurrectionem ejus & aſcenſionem: per gratiam ſancti Spiritûs † adjuro vos, ſpiritus maligni, ut non habeatis virtutem, neque poteſtatem ſuper campos noſtros aliquid malefacere †, adjuro vos, maligni ſpiritus, per Patrem Domini noſtri JESU Chriſti & omnes Sanctos ejus †, adjuro vos per

Digitized by Google

per ſanctam Mariam matrem D. N. JEſu Chriſti & per S. Michaëlem & S. Gabriëlem, S. Raphaëlem ✠ adjuro vos & contradico vobis per iſtos exorciſmos, ut non habeatis poteſtatem in nubibus cœli nobis nocere, neque in iſta provincia, ut non habeatis poteſtatem ſuper populum Chriſtianum fundere poteſtatem ✠, adjuro vos per ſanctum Petrum, & per S. Paulum, qui ſuis orationibus dejecerunt Simonem Magnum. Et per S. Andream, & per S. Joannem, & per S. Bartholomæum; & per quatuor Evangeliſtas, S. Matthæum, S. Marcum, S. Lucam, & ſanctum Joannem †, vos adjuro per communionem & ſocietatem civium Chriſti, & per duodecim legiones Angelorum, & per viginti quatuor ſeniores, & omnes virtutes Angelorum, & per ſeptem Thronos, & per ſeptem candelabra Chriſti, & per ſeptem donationes, & per ſeptiformem gratiam DEI, & per ſingula merita ſingulorum, & per Agnum DEI immaculatum JEſum Chriſtum, cui eſt honor, & virtus, & per eos Angelos, qui ſtant in Paradiſo †, adjuro vos per verum DEUM vivum cœli: DEUM Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum; DEUM Martyrum, DEUM Confeſſorum, DEUM Virginum, ut non habeatis potentiam, neque virtutem in nubibus cœli nobis nocere, neque flagellare ſuper campos noſtros, ſed in loca deſerta, ubi arans non arat, nec ſeminans ſeminat. Amen † Amen †

† Increatus Pater ✠ increatus Filius ✠ increatus Spiritus ſanctus † Hagios † Hagios; Ecce crucem †

 Do-

Digitized by Google

Dei vivi ut ſis purgatio & purificatio in his locis, in quibus aſperſa fueris, ad effugandos immundos & hæreticos ſpiritus, omnémque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras, & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas, & fulgura, & ſidera, qui mitti videntur in domos, arbores, agros, poſſeſſiones, turres, vel quamcunque habitationem, ne hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, ſed abſcedant, & fugiant, per invocationem nominis Domini noſtri JEſuChriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. A.

Et mox aſpergat aquam benedictam contra tempeſtatem in modum crucis.

Extendat manus in modum crucis contra nubes, & dicat Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

Exorciſmus.

ADjuro vos, angeli tartarei, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per illam lanceam ✝ adjuro vos, qua Dominus noſter JESUS Chriſtus fuit vulneratus in cruce; & per illos clavos, qui membra Domini perforaverunt, & per illam aquam & ſanguinem, qui de latere Chriſti effluxit, & per illam ſpineam coronam, quæ in capite D. N. JESU Chriſti poſita fuit, & per ſanctam reſurrectionem ejus & aſcenſionem: per gratiam ſancti Spiritûs ✝ adjuro vos, ſpiritus maligni, ut non habeatis virtutem, neque poteſtatem ſuper campos noſtros aliquid malefacere ✝, adjuro vos, maligni ſpiritus, per Patrem Domini noſtri JESU Chriſti & omnes Sanctos ejus ✝, adjuro vos

per

per ſanctam Mariam matrem D. N. JEſu Chriſti & per S. Michaëlem & S. Gabriëlem, S. Raphaëlem ✠ adjuro vos & contradico vobis per iſtos exorciſmos, ut non habeatis poteſtatem in nubibus cœli nobis nocere, neque in iſta provincia, ut non habeatis poteſtatem ſuper populum Chriſtianum fundere poteſtatem ✠, adjuro vos per ſanctum Petrum, & per S. Paulum, qui ſuis orationibus dejecerunt Simonem Magnum. Et per S. Andream, & per S. Joannem, & per S. Bartholomæum; & per quatuor Evangeliſtas, S. Matthæum, S. Marcum, S. Lucam, & ſanctum Joannem †, vos adjuro per communionem & ſocietatem civium Chriſti, & per duodecim legiones Angelorum, & per viginti quatuor ſeniores, & omnes virtutes Angelorum, & per ſeptem Thronos, & per ſeptem candelabra Chriſti, & per ſeptem donationes, & per ſeptiformem gratiam DEI, & per ſingula merita ſingulorum, & per Agnum DEI immaculatum JEſum Chriſtum, cui eſt honor, & virtus, & per eos Angelos, qui ſtant in Paradiſo †, adjuro vos per verum DEUM vivum cœli: DEUM Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum; DEUM Martyrum, DEUM Confeſſorum, DEUM Virginum, ut non habeatis potentiam, neque virtutem in nubibus cœli nobis nocere, neque flagellare ſuper campos noſtros, ſed in loca deſerta, ubi arans non arat, nec ſeminans ſeminat. Amen † Amen †

† Increatus Pater ✠ increatus Filius ✠ increatus Spiritus ſanctus † Hagios † Hagios; Ecce crucem †

Digitized by Google

Domini: fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix David Alleluja ✠ Alleluja ✠ Alleluja ✠ dixit Dominus ex Baſan convertam, convertam in profundam maris: Domine JEſu Chriſte, qui cœlum & terram fundâſti, & flumen Jordanis benedixiſti, & in eo baptizari voluiſti, bene✝dicere, & ſancti✝ficare pro tua pietate digneris has nubes, quas video ante me poſitas, & ut deficiant, & tranſeant in aquam ſalutarem, aut tempeſtatem faciant in locis deſertis, & non noceant aliquibus perſonis domeſticis Chriſtianis, neque domeſticis animalibus, neque agris, neque fructibus virtute Spiritûs ſancti, & oratione omnium Sanctorum & Sanctarum ✠ Dei Amen ✝ in nomine Chriſti Amen ✝ Emanuel ✝ Paraclitus ✝ Sabaoth ✝ Iſchyros ✝ Athanatos. In nomine Patris ✠, & Filii ✝, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Exorciſmus.

ADjuro vos, nubes & grandines, ſeu tempeſtates, ac vobis præcipio per Deum Patrem ✝, per Deum Filium ✝, per Deum Spiritum ✝ ſanctum, qui ſunt in ſubſtantia unus DEus. Per potentiam Patris ✝, per ſapientiam Filii ✝, per amorem Spiritûs S. ✠, procedentis ab utroque, per ſacram obedientiam JESU Chriſti, per ſacram humilitatem Virginis Mariæ, Dominæ noſtræ. Per virtutes Apoſtolorum, per paſſiones terribiles martyrum Chriſti, per novem choros ſpirituum cœleſtium: per fidelem & ſacram vitam Confeſſorum: per omnes ſanctas Mulieres, famulas, & martyres Chriſti, per omnes animas beatas cœli; per ſacram obumbrationem, quam fecit virtus altiſſimi beatæ Virgini Ma-

Mariæ, Dominæ noſtræ, per imperiale verbum, quod fecit Chriſtus ventis, ut ceſſarent; per diviſionem mirabilem maris rubri, quam fecit potentia divina populo judaico; per omnia iſta ſuprà ſcripta, adjuro ✝ præcipio vobis, ô nubes, ſeu grando, ut in ſigno hujus ſacræ cru✝cis, quam contra vos facio, indiviſæ repentè recedatis à nobis, & ab hoc loco ſine læſione alicujus hominis, ſive navis, ſive terræ, evaneſcatis per aërem, Amen.

Iterum adjuro vos ✝ grandines & ventos per quinque vulnera Chriſti: per tres clavos, qui ejus manus & pedes perforârunt. Ut in aquam reſolutæ deſcendatis. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

6.

Benedictio aëris ad petendam pluviam.

Poteſt fieri cum proceſſione publica, ex Parochia, vel privatim, ante valvas Eccleſiæ vel domi. Primò dicuntur Litaniæ omnium Sanctorum. In fine

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Riga Deus montes de ſuperioribus tuis.

℟. Et de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

℣. Operi Domine cœlum nubibus.

℟. Et para terræ pluviam.

℣. Et producat in montibus fœnum.

℟. Herbam ſervituti hominum.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, in quo vivimus, movemur, & ſumus, te ſupplices deprecamur, ut terræ congruentem pluviam tribuere digneris: ut præſentibus miſericordiæ tuæ auxiliis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus.

DEUS, qui conſpicis, quia nos undique mala noſtra perturbant, concede, quæſumus, ut beatiſſimæ Virginis Genitricis Filii tui Mariæ, & beatorum Martyrum tuorum Joannis & Pauli, atque beati N. aliorúmque ſanctorum Patronorum noſtrorum interceſſio glorioſa nobis ſuccurrat.

PRæſta, quæſumus, omnipotens DEUS, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra omnia adverſa tuâ ſemper protectione muniamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Exaudiat nos omnipotens & miſericors DEUS Pa†ter, & Fi†lius, & Spiritus † ſanctus. *Interim verſus aërem ſpargitur aquâ benedictâ & additur*
℣. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. ℟. Amen.

7.

Benedictio pro aëris ſerenitate.

Hæc benedictio poteſt etiam fieri poſt publicam cum populo ſupplicationem vel privatim, ante Eccleſiam, aut domi a ſacerdote, recitatis Litaniis omnium Sanctorum. In fine Pater noſter *ſecretò.*

℣. Et

Digitized by Google

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Exaudiſti Domine ſpiritum tuum.
℟. Et prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo.
℣. Cùm obduxero nubibus cœlum.
℟. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei.
℣. Illuſtra faciem ſuper ſervos tuos.
℟. Et benedic ſperantes in miſericordia tua.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus.

QUæſumus, omnipotens Deus, ut, qui omnium rerum tibi ſervientium naturam, per ipſos motus aëris ad cultum tuum majeſtatis inſtituis: per interceſſionem ſanctiſſimæ Virginis & Genitricis DEI Mariæ, ſanctorum Angelorum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Viduarum, omniúmque Sanctorum, tranquillam auram nobis concedere, & nocentium imbrium coërcere abundantiam miſericorditer digneris. Per Dominum noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Exaudiat nos omnipotens & miſericors Domi-

Digitized by Google

minus, Pa†ter, & Fi†lius, & Spiritus † ſanctus. Amen.

Interim in aërem aſpergatur aquâ benedictâ, & addatur: Et fidelium animæ requieſcant in pace. Am.

8.

Exorciſmus contra ignem.

Sacerdos indutus ſtolâ violaceâ (ſi publicè, ſi verò privatim ſine ſtola) ſtans verſus ignem, aſpergat aquam benedictam contra flammam ter dicens.

In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Amen.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DEUS, qui ſacerdotibus tuis tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectéque ab eis agitur, á te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, ut per virtutem divinitatis & omnipotentiæ tuæ, & per virtutem bene†dictionis ſacerdotalis hunc noxium ignem extinguere, & plebem tuam ab imminenti damno liberare digneris. Per Christum &c.

Aſpergat iterum aquam contra ignem, deinde exorcizet eum dicens:

EXorcizo te, creatura ignis, in nomine DEI Patris † omnipotentis, & in nomine JEſu Christi †, Filii ejus, Domini noſtri, & in virtute Spiritûs † ſancti: ut extinguaris, & diſſiperis, & ad nihi-

Digitized by Google

hilum reducaris. Audi ergò ignis, adjuratus per nomen D. N. JEſu Chriſti, & protinus recede de loco iſto: & non præſumas ultrà nocere homini, aut jumento, aut cuicunque rei ad uſus hominum procreatæ. Nam ego ſacerdos DEI, licèt indignus, in virtute Ordinis ſacerdotalis præcipio tibi, ut quantociùs pro gloria Dei, & Sanctorum ejus vim tuam amittas, & in temetipſo conſumaris. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Iterum aſpergat aquam. Deinde dicat:

EXtinguat te, ignis, Deus ✠ Pater: extinguat te Deus ✠ Filius: extinguat te Deus ✠ Spiritus ſanctus: Deſtruat te, ignis, DEus ✠ Pater: deſtruat te Deus ✠ Filius: deſtruat te Deus ✠ Spiritus ſanctus: annihilet te, ignis, Deus ✠ Pater: annihilet te Deus ✠ Filius: annihilet te Deus ✠ Spiritus ſanctus. Amen.

Iterum aſpergat & dicat:

SAnctus Mathæus, S. Marcus, S. Lucas, & S. Joannes, qui Chriſti Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, Ipſi ſuis meritis & precibus hunc ignem à termino iſto & ab omnibus Chriſtianorum finibus in quatuor mundi partes ſine damno fidelium ab eodem Domino noſtro JEſu Chriſto removeri & expelli obtineant.

ET ego Chriſti ſacerdos, & miniſter, licèt peccator maximus, non meis meritis & potentiæ innixus, ſed meritis & potentiæ D. N. JEſu Chriſti confiſus, præcipio vobis, immundiſſimi ſpiritus, ſi forte per vos ipſos, ſeu per veſtros

miniſtros, aut quocunque modo hunc ignem excitâſtis, ut eundem protinus extinguatis, & ad nihilum redigatis. Et hoc ipſum præcipio vobis per ejusdem D. N. JEſu Chriſti SS. Incarnationem, dulciſſimam Nativitatem, ſacratiſſimum Baptiſmum, ſtrictiſſimum Jejunium, doloroſiſſimam Paſſionem, glorioſiſſimam Mortem, glorioſiſſimam Reſurrectionem, gaudiſſimam Aſcenſionem, & tremendiſſimum Judicium. Nec non per merita Beatiſſimæ V. Mariæ, SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium Sanctorum, ut amoveatis hunc ignem ab hoc loco, & diſpergatis eum in locis incultis, ubi non poſſit nocere hominibus, nec animalibus, nec arboribus, nec herbis, nec quibuscunque rebus ad humanos uſus deputatis. Per eundem D. N. JEſum Chriſtum, qui venturus eſt condemnare, & ad ignem infernalem dejicere vos malignos ſpiritus, & judicare ſæculum per ignem. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Oremus.

DEUS infinitæ Bonitatis & Clementiæ, qui, cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaris: qui per preces famulorum tuorum Moyſis & Aaron placatus abſtuliſti plagam incendii à populo tuo: exaudi preces ſervorum tuorum, & aufer incendium hoc à fidelibus tuis, ad te totâ cordis devotione clamantibus, ut ab imminenti damno liberati gratiarum tibi in Eccleſia tua perſolvant actiones. Per Chriſtum &c.

Ore-

Oremus.

DEUS, qui ad oſtendendam virtutem potentiæ tuæ miſiſti Angelum tuum, qui excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem: imploramus immenſam Bonitatis tuæ Clementiam, ut ad amplificandam gloriam nominis tui eundem Angelum mittere digneris, qui excruciet flammam hanc, & extinguat incendium, quod ſævit in bona ſervorum tuorum. Per Dominum &c.

Aſpergatur aquâ, & projiciatur panis & ſchedulæ in Feſto S. Agathæ benedictæ in ignem.

9.

Benedictio contra inundationes & incendia.

Contra periculoſas aquarum inundationes & incendia, quæ flammis ingraveſcentibus nullo humano auxilio ſopiri poſſe putantur: Parochus indutus ſuperpelliceô & ſtolâ albâ procedit ad locum cum tribus miniſtris, duobus juxta crucem candelabra geſtantibus ſubſequente univerſo populo, & Deum deprecante.

℣. Adjuva nos DEUS ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam Nominis tui libera nos.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. DEUS meus ſperantes in te.
℣. Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.
℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua miſericordia confidentes, ab his aquarum (ignium) periculis protectione conſerves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Extendens manum ſuper aquas (flammas) & faciens ſignum unius tantùm crucis, ✠ *dicit cantando:*

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti deſcendat ſuper has aquas (flammas) eáſque coërceat clementer.

℟. Amen.

CAPUT DECIMUM.

Benedictiones militarium Inſtrumentorum.

I.

Benedictio militum ad bellum ſeu prælium euntium.

Antiph. Domine, Domine, virtus ſalutis meæ; obumbrâſti ſuper caput meum in die belli.

Pſalm. 143. Benedictus Dominus Deus meus &c. ut ad Veſp. Sabb.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sal-

℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, & rectè diſponis: quique ad coërcendam malitiam reproborum, & tuendam juſtitiam uſum gladii in terris hominibus ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti. Deus, qui per S. Joannem militibus ad ſe in deſertum venientibus, ut neminem concuterent, ſed propriis contenti eſſent ſtipendiis, dici feciſti; clementiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut David puero tuo Goliath ſuperandi largitus es facultatem, & Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium triumphare feciſti: ita & his famulis tuis, qui pro juſtitia & veritate ad bella procedunt, pietate cœleſti vires & audaciam ad fidei & juſtitiæ defenſionem tribuas, & præſtes eis fidei, ſpei, & charitatis augmentum. Da eis, Domine, tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perſeverantiam, obedientiam, & patientiam bonam, ut neminem injuſtè lædant, ſed omnia juſta & recta defendant, te timeant, & rectè colant, perfidorum conſortia vitent, ſuam in proximum charitatem extendant,

dant, præpoſitis ſuis in omnibus rectè obediant, & ſuum in cunctis juſtè officium exequantur. Per Dominum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, ſuper hos famulos tuos, qui pro gloria tua & propugnatione juſtitiæ ad bella procedunt, gratiam tuæ bene✝dictionis infunde, & eos dexteræ tuæ virtute fretos fac contra cuncta adverſantia cœleſtibus armari præſidiis, quo nullis in hoc ſæculo tempeſtatibus bellorum turbentur, ſe te auxiliante hoſtibus ſuis fortiores evadant. Per Dominum &c.

2.

Benedictio Vexilli ſeu Signi bellici.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui es cunctorum bededictio, & triumphantium fortitudo, reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & hoc vexillum, quod bellico uſui præparatum eſt, cæleſti bene✝dictione ſanctifica, ut contra adverſarias & rebelles nationes ſit validum, tuóque munimine circumſeptum: ſitque inimicis Chriſtiani populi tui terribile, ac intercedentibus Sanctis tuis ſolidamentum, & victoriæ certa fiducia: tu enim es Deus fortis, qui conteris bella: & cœleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per Chriſt. &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ, & tradatur ei, cui conſignatum eſt, dicendo:

Ac-

Accipe vexillum, cœleſti benedictione ſanctificatum, ſi†gnum inimicis pôpuli Chriſtiani terribile; & tibi det Dominus gratiam, ut ad ipſius nomen & honorem cum illo hoſtium cuneos, potenter penetres incolumis & ſecurus. *Addit*: Pax tibi.

3.

Benedictio Enſis ſeu Gladii.

℣. Adjutorum noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

BEne†dicere digneris, quæſumus, Domine, hunc enſem, & iſtum famulum tuum, qui eum te inſpirante ſuſcipere deſiderat, pietatis tuæ cûſtodiâ munias, & illæſum cuſtodias ab omnibus inimicis ejus. Per Dominum &c. Amen.

Aſpergitur aquâ benedictâ, & traditur ei, cujus eſt, genuflexo, dicendo:

Accipe enſem iſtum in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti, & utaris eo ad defenſionem tuam, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum crucis Chriſti, ac fidei Chriſtianæ: & quantum humana fragilitas permiſerit, cum eo neminem injuſtè lædas: quod ipſe tibi præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat DEUS in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

4.

Benedictio armorum in communi.

Ponuntur ſuper menſam, vel âltare, vel ab aliquo tenentur.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

SIgnaculum & Benedictio DEI omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, deſcendat ſuper hæc arma, & ſuper induentem, quibus ad tuendam juſtitiam induatur: rogamus te, Domine Deus, ut illum protegas, & defendas, qui vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

DEus omnipotens, in cujus manu victoria plena conſiſtit: quique etiam Davidi ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuiſti, clementiam tuam humili prece depoſcimus, ut hæc arma almificâ pietate bene✝dicere digneris, & concede famulis tuis (vel famulo tuo) eadem geſtare cupientibus, ut ad munimen, ac defenſionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, pupillorum, & viduarum, contra viſibilium & inviſibilium hoſtium impugnationem, ipſis liberè & victoriosè utantur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ. Si ad unum tantùm ſpectent, ponitur in ſingulari.

5.

Benedictio Sclopetorum & Bombardarum.

Fiet prædicta benedictio armorum, mutatis mutandis. Aſpergatur.

6.

Benedictio pulveris tormentarii, ſeu jaculatorii. Item globorum plumbeorum vel ferreorum cum Exorciſmo.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo vos, creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum & ferreorum) per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ ſanctum, & per ſanctiſſimam Trinitatem, Pa✝trem, & Fi✝lium, & Spiritum ✝ ſanctum: & per Deum, qui omnia creavit ex nihilo: qui rebelles Angelos de cœlo ad inferos præcipitavit: Et per JEſum Chriſtum Filium ejus, Dominum noſtrum, qui daturus eſt prædeſtinatis feliciter regnum æternum, & reprobis damnationem; & per omnia nomina ſancta Dei, vos conjuro, & exorcizo ✝, & per omnia modò dicta, ut ſint in defenſionem noſtram, & Eccleſiæ Chriſti, ac in diſſolutionem omnium præſtigiorum, maleficiorum, & ſuperſtitioſarum illuſionem corporis humani: ita ut nihil impedire valeant, quò minùs per has creaturas Dei, inimici noſtri, & Catholicæ fidei hoſtes offendi, penetrari, & ſuperari valeant. per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

INeffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne DEUS, humiliter imploramus: ut ſicut tu es unus in eſſentia, & trinus in Perſonis, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; ita per eandem immenſam clementiam & pietatem tuam bene✝dicere digneris has tuas creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum & ferreorum &c.)

ut

Digitized by Google

ut ſint omnibus Chriſtianis fidelibus ad defenſionem, juſtis ea uſurpantibus protectio, & defenſio perpetuà contra omnes ſpiritus malignos, incantationes, præſtigia, & maleficia: ſintque perpetua malignorum ſpirituum & maleficiorum expulſio, annihilatio, eorúmque ac omnium præſtigiorum ac ſuperſtitioſarum illuſionum diſſolutio & diſſipatio: ut quemcunque locum humani corporis ac hoſtilis tetigerint, nulla ſpirituum malignorum poteſtas eorum vim retundere vel debilitare poſſit, quò minùs pro fidei catholicæ, ac fidelium ſervorum tuorum defenſione, vel propugnatione, iniquorum hoſtium cuneos penetrare, in fugam propellere, & ſuperare poſſint: idque, benigniſſime Deus, pro tua miſericordia præſtare digneris. Per virtutem ſanctiſſimæ cru†cis Domimi ac Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ dicendo:

In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † ſancti. Amen.

NB. *Hæc Benedictio adhiberi poteſt gladiis, ſclopetis, bombardis &c. mutatis mutandis.*

PARS

PARS II.

Continens

Varias & Selectiſſimas Conjurationes, Exorcismos, Abſolutiones, Ritus, Adminiſtrationem Sacramentorum &c.

CAPUT I.

Regulæ pro Exorciſta, & Exorciſmi ſuper Perſona obſeſſa à dæmone, aut maleficiata &c.

1.

Regula pro Exorciſta.

Inprimis neceſſe eſt, ut ipſe Exorciſta maxima cum fide, conſcientia munda, cum humilitate ad munus hoc præſtandum accedat.

2. In exorcizando non requiritur excellens ſanctitas; ſed firma fides, & certa fiducia, quam quilibet facilè habere poterit, cogitando ſe verum eſſe ſacerdotem, ſibique veram traditam eſſe poteſta-

Digitized by Google

tem exorcizandi: intendat ergò uti poteſtate ſua, non in ſua privata perſona, ſed in perſona Chriſti, & Eccleſiæ, cujus miniſter eſt.

3. Diſponat obſeſſum vel maleficiatum, ut contritione ac confeſſione mundet conſcientiam, & ut frequenter oret Deum, ut ab eo flagello illum liberet, ſi ad ejus ſalutem promerendam expedit.

4. Aliqui Doctores putârunt apud Valent. Tom. 8. diſp. 6. q. 8. poteſtatem exorciſtæ, quantum ad Dei legem ordinariam ſpectat, nunquam effectu ſuo carere, quòd ſi re ipſa dæmon non obediat miniſtro, ajunt ex aliquo fidei defectu id ſemper oriri. Quod igitur non ſemper accidat, ut invocato nomine JEſu dæmon non egrediatur, minima fides invocantis eſt in cauſa. Ait Caſtro V. Exorc.

5. Hoc manifeſtè cognoſcitur in reſponſione, quam Chriſtus Dominus dedit diſcipulis, cum interrogatus fuit, quare ipſi non potuiſſent expellere dæmonem ab illo lunatico, ſicuti ejecerant ab aliis obſeſſis: quare nos non potuimus ejicere illum? Matthæi 17. Reſpondit: propter incredulitatem veſtram, quia ſi habueritis in veſtro corde tantam fidem, quantum eſt granum ſinapis, dicetis huic monti, id eſt, ut interpretatur Beda, huic obſtinato, & ſuperbo dæmoni: diſcede hinc, & ſtatim diſcedet. Nomine autem fidei ſignificatur, juxta Suar. de fide, Diſp. 8. Sect. 1. n. 3. Primò divinam omnipotentiam indubitatè credere, & veritatem promiſſionum ejus: cùm enim Chriſtus ſuis propriis verbis promiſerit

rit Eccleſiæ, & per illam Exorciſtis, non defuturum ſuum auxilium; illi præcepto, quo imperabitur dæmonibus nomine ſuo, ejus divinum promiſſum deficere non poteſt. Secundò, quod in hoc vocabulo fidei continetur, eſt: indubitatè credere prædictam omnipotentiam DEI, & veritatem ejus promiſſionum hac peculiari in re, quam exorciſta præ manibus habet, nempe ſibi obedientem fore dæmonem; ſatis itaque eſt, ſi Exorciſta certò credat cum hac conditione à dæmone videlicet ſibi obediendum, ſi adſint ea, quæ requiruntur tum in Exorciſta, tum à maleficiato & ſimul prudenter exiſtimet hæc omnia re ipſa adeſſe.

6. Ut energumeni liberatio fiat, opus eſt, poteſtatem Exorciſtæ adhiberi cum diſpoſitionibus & circumſtantiis debitis. Una autem ex circumſtantiis eſt, liberationem hujusmodi eſſe utilem bono tum privato animæ, tum publico Eccleſiæ. Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis, ait S. Auguſtinus; & ita poſſumus dicere etiam nos. Non præcipitur in nomine Salvatoris quidquid & contra rationem ſalutis præcipitur. Formula imperandi dæmonibus à Chriſto præſcripta ſuis miniſtris, eſt imperare in nomine ejus. In nomine meo dæmonia ejicient. Quidquid igitur contrarium eſt huic nomini ſalutis, non includitur in formula præſcripta, & in chirographo illo, quo ſtabilita eſt à Servatore noſtro ſuorum miniſtrorum juriſdictio.

7. Exorciſta habeat fidem in gradu heroico, etenim dum ſe agnoſcit veluti miniſtrum Chriſti, qui munitur armis cœleſtibus, deſtinatus eſt ab Ec-

cleſia ad pugnandum contra tartareum hoſtem, quam generoſitatem ſpiritûs & fidei animo non concipiat? Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini, poteſt ille dicere, velut alter David huic giganti tartareo. 1. *Reg.* 17. Tu venis contra me inſtructus armis tuæ nequitiæ, & tuarum fraudum: hæc ſunt arma prorſus vitrea, ſi comparentur cum illa inſuperabili virtute, qua DEUS aſſiſtet juſſis meis, quibus tibi imperabo in ejus nomine, cujus nunc vices gero.

8. Licèt abſolutè neceſſarium non ſit interrogare dæmonem: primò de ſuo nomine, attamen prodeſſe poterit, ut exorciſta ſciat, quem ex illis execrandis ſpiritibus alloqui debeat. Secundò interrogare de numero prodeſſe poterit; ut ſciatur, an ſigna maleficii plura ſint, an unum tantùm. Tertiò interrogare de cauſa invaſionis prodeſſe poterit, ut cognoſcatur, an maleficium factum ſit ad tempus, an in perpetuum. Quartò interrogare de die & hora diſceſſionis prodeſſe poterit, ut ſciatur, quomodo inter dæmones, & maleficium conventio facta ſit & pactum: pariter ſcire ſigna maleficii, & ea deſtruere, & comburere prodeſſe poterit, tum, ut diſſolvatur idem pactum, ſi hac conditione fortè initum fuit, tum, ut diſponatur meliùs maleficiatus, certamque putet ſuam liberationem. Cæterùm nihil horum neceſſarium eſt Exorciſtæ, qui benè inſtructus eſt fide, & novit poteſtatem, quàm à Chriſto, & ab Eccleſia recepit, dum ſacro ordine initiatus fuit. Quare ſcire negligens nomen dæmonis, cauſam ejus ingreſſûs,

greſſûs, numerum, conventiones factas in maleficio & alia hujusmodi, magno impetu actus ejusdem fidei aliquando abſolutè imperabit in nomine JEſu Chriſti omnibus ſpiritibus, qui corpus illud exagitant, licèt ibi adeſſent omnes diaboli, riſu excipiet omnes eorum conventiones, nihil faciet ſigna maleficii, quærere, nec ulla in re voluntatem dæmonis obſecundet, qui per hujusmodi artes & machinamenta tueri contendit poteſtatem ſuam, & remorari vel impedire Exorciſtæ poteſtatem, cui ſubeſſe cogitur. Ita refert D. Hieronymus in vita S. Hilarionis; aſſerente dæmone ſe non poſſe exire de corpore cujusdam puellæ, niſi ab oſtio domûs, quam hæc incolebat, ſublata fuiſſent ſigna maleficii, quibus obligatus fuerat fœminam cruciare; his neglectis, & nullâ interpoſitâ mora ſanctum virum imperâſſe nefario dæmoni in virtute nominis JEſu Chriſti, eúmque ſtatim expulſum fuiſſe.

9. Poteſtas ejiciendi dæmones, quæ facta eſt Exorciſtis, non ſita eſt in longis precibus prolixis exorcismis recitandis ſuper energumenos, excipe preces & exorcismos, & formam traditam in Rituali Romano, quæ omnia maximi facienda ſemper ab Exorciſtis, nemo ſanæ mentis unquam vocabit in dubium; ſed hoc unum requirit, ut imperetur dæmoni in nomine JEſu Chriſti, vel ſanctiſſimæ Trinitatis, quod neceſſarium vel utile eſt propoſito fini expellendi ab obſeſſis corporibus dæmones: confirmante interim Exorciſta hæc præcepta vivida cognitione, cum authoritatis ſuæ, tum muneris, quo fungitur tanquam miniſter Dei,

tum demum victoriæ quam Chriſtus Dominus ab omnibus infernis hoſtibus reportavit. Sanctitas autem morum, jejunium, & oratio, de quibus ſit mentio, cùm dicitur: hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio Matthæi 17. eò uſque neceſſaria ſunt, ut fides hæc validiſſima impetretur, quæ omnibus tartareis poteſtatibus dominatur.

Exorciſta non facilè credat, aliquem à dæmone eſſe obſeſſum, ſed nota habeat ea ſigna, quibus obſeſſus à dæmone, ab iis, qui atra bile, vel morbo aliquo affecti ſunt, dignoſcitur. Certiſſima ſigna hæc ſunt: ignotâ linguâ bene & diu loqui, aut diſtantia, aut occulta patefacere. Probabilia autem ſigna ſunt, ad ſacra verba contremiſcere, torſiones, motus, furores inſolitos, ac repentinos ſentire, horrere ac deteſtari divina, & dolore ob ea affici, corporis vel alicujus membri inſolita inflatio, vires alioquin ſupra ætatis, vel conditionis naturam.

Si exorciſta nullum evidens, ſed ſolùm probabile vexationis diabolicæ ſignum deprehenderit, verùmque, ſicuti neceſſe eſt, agnoſcere voluerit, ut maleficiatum diſponere poſſit ad veræ fidei actum, ita ſe geret. Poſtquam brevem precationem unacum ipſo maleficiato ad Deum effuderit, & Apoſtolorum ſymbolum recitaverit, & Spiritum ſanctum invocaverit, aſpiciens fixis oculis infirmum, manúmque ejus capiti imponens, ſecretò præcipiat dæmoni hac conditione, ut ſi ipſe illius mali eſt author, ſignum aliquod edat, agitando tunc hominem illum coram ſe. Præceptum iſtud ita ferme

fieri

fieri poteſt: "Ego N. miniſter Chriſti & Eccleſiæ in "nomine JEſu Chriſti præcipio vobis, immundi "ſpiritus, ſi qui latetis in corpore hujus hominis "â DEO creati; vel ſiquo modo eum vexatis, ut "ſtatim mihi præbeatis aliquod ſignum evidens, "& certum præſentiæ veſtræ agitando hominem "hunc, vel coram me efficiendo aliquid ex iis, "quæ priùs abſente me efficere in eo ſoliti, era-"tis.,, Hoc præceptum fieri debet viva fide, & excitando memoriam muneris illius, quo Exorciſta fungitur, nempe DEI miniſtri & Eccleſiæ, inſtrumenti contra dæmones, ut autem ſit efficax, expediet perſuadere ægroto, ut hanc ipſam fidem concipiat, & illum certiorem facere illius poteſtatis, quam ob ſacrum ordinem Exorciſta in dæmones habet, & diabolo nullas vires eſſe, ut reſiſtat, cùm illi imperatur in nomine JESU Chriſti. Præterea utile erit, non ſolum proferre præceptum hoc linguâ latinâ, ſed etiam voce adeò ſubmiſſa, ut ægrotus percipere non poſſit; & ita agnoſci poterit, an verè à dæmone corpus illud agitetur.

Tandem ſciendum quoque eſt, reperiri aliqua maleficia, quæ dicuntur poteſtativa, in quibus dæmon nec invadit membra, nec aſſiduè ineſt maleficiato, ſed ſolùm certis temporibus redit ad illum vexandum, cùm igitur fieri poſſit, ut adveniente Exorciſta, malignus & calidus hoſtis recedat, ne cogatur quæſitum ſignum edere, oportet ab Exorciſta non ſolùm dæmonem præſentem adjurari præcepto ſuo, ſed ſimul imperari viva fide, ut ſi forte ille abſit, ſtatim accedat, & exequatur, quidquid illi præcipitur, videlicet ſe manifeſtet, aliquid ex iis efficiendo, quæ

 aliàs

aliàs efficere ſolet. Hæ cautiones ſunt neceſſariæ, quia nobis res eſt cum inimico, qui aſtu & calliditate eò pervenit, quô arte & virtute pervenire non poteſt, ſi autem ea fides adſit, quæ requiritur ab Exorciſta, tum à maleficiato, nullus dubitandi ſupereſt locus, quin dæmon poſtulatum ſignum edere teneatur, ſine quo ulteriùs procedi non poteſt, cùm ſtatui nequeat, an malum à diabolo fiat.

Advertat inſuper Exorciſta in mulieribus exorcizandis, ut honeſtatis ſit memor, néve quidpiam dicat, vel faciat, quod vel ipſi, vel mulieri occaſio eſſe poſſit alicujus impudicæ cogitationis. Moneat etiam eum, qui obſidetur, ſi divinâ gratiâ liberatus fuerit, ut diligenter ſibi caveat à peccatis, etiam levioribus, ne occaſionem præbeat dæmoni iterum regrediendi.

Caveat autem Exorciſta, ne ipſe hoc munus exerceat, niſi priùs habitâ in ſcriptis facultate à Superiore ſuo majori.

Quando itaque Exorciſta volet actu oxorcizare aliquam perſonam à dæmone obſeſſam, priùs confiteatur, aut conteratur de omnibus ſuis peccatis: legat etiam miſſam, ſi tempus commodum ſit, ut ſic cœleſti illo ac ſupremo domitore dæmonum, Chriſto ſalvatore noſtro munitus, audaciùs & potentiùs contra ſuperbos ſpiritus obſidentes procedere valeat. Deinde armet ſe efficaci actu fidei, qui aptiſſimus eſt, ad impugnandos, & ejiciendos immundos ſpiriritus: ad eundemque etiam inducat perſonam obſeſſam, ſtatim à principio exorciſmi.

2. Exor-

Exorciſmus I.

Ex Rituali Romano pro exorcizandis obſeſſis à Dæmone.

Sacerdos ſive alius Exorciſta ritè confeſſus, aut ſaltem corde peccata ſua deteſtans, peracto ſi commodè fieri poteſt, ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio divinóque auxilio piis precibus implorato, ſuperpelliceo & ſtola violacea, cujus extrema pars ad obſeſſi collum circumponatur, indutus & coram ſe habens, obſeſſum ligatum, ſi fuerit periculum, eum, ſe & adſtantes communiat ſigno crucis, & aſpergat aquâ benedictâ, & genibus flexis, aliis reſpondentibus dicat Litanias ordinarias usque ad preces excluſivè.

Litaniæ de omnibus Sanctis.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Chriſte audi nos.
Chriſti exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili, Redemptor mundi, DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas, unus DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta DEI genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphaël, ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſephe, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.

Sancte Petre,	Ora pro nobis.
Sancte Paule,	
Sancte Andrea,	
Sancte Jacobe,	
Sancte Joannes,	
Sancte Thoma,	
Sancte Jacobe,	
Sancte Philippe,	
Sancte Bartholomæe,	
Sancte Matthæe,	
Sancte Simon,	
Sancte Thadæe,	
Sancte Matthia,	
Sancte Barnaba,	
Sancte Luca,	
Sancte Marce,	

Omnes ſancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis,
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.

San-

Sancte Vincenti, ora pro nobis
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Coſma & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervaſi & Protaſi, orate pro nobis.
Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.
Omnes ſancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi, & Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.

Om-

Digitized by Google

Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti & ſanctæ DEI, intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab ira tua,
A ſubitanea & improviſa morte,
Ab inſidiis diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A ſpiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ,
Per adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptiſmum, & ſanctum jejunium tuum,
Per crucem & Paſſionem tuam,
Per mortem & ſepulturam tuam,
Per ſanctam reſurrectionem tuam,
Per admirabilem Aſcenſionem tuam,
Per Adventum Spiritus ſancti paracliti,
In die judicii,
} Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus, audi nos,
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas, te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere, & conſervare digneris, te rogamus.
Ut Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſti-
cos

Digitized by Google

cos Ordines in ſancta religione conſervare digneris,
Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris,
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem, & unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare digneris,
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas,
Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut hunc famulum tuum N. benedicere, & liberare digneris,
Ut hunc famulum tuum N. à vexatione diaboli eripere digneris,
Ut hunc famulum tuum N. ab infeſtationibus dæmonum liberes,
Ut nos exaudire digneris,
Fili DEI,

Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, exaudi eos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Antiph.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

Pſalmus 53.

DEUS in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.

DEUS exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei,

Quoniam alieni inſurrexerunt adversùm me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt DEum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim DEUS adjuvat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri &c.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

℟. DEUS meus ſperantem in te.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Do-

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

DEUS, cujus proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram; ut hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem (vel quam) delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis elementer abſolvat.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui illum refugum tyrannum & apoſtatam gehennæ ignibus deputâſti, quique unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam creatum, à ruina, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminat vineam. Da fiduciam ſervis tuis, contra nequiſſimum draconem pugnare fortiſſimè, ne contemnat ſperantes in te, & ne dicat, ſicut in Pharaone, qui & jam dixit, Deum non novi, nec Iſraël dimitto. Urgeat illum dextera tua potens diſcedere à famulo tuo N. vel famula tua N. † ne diutius præſumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in filio tuo redemiſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde ſurgens præcipiat dæmoni hunc in modum.

Præcipio tibi quicunque es ſpiritus immunde, & omnibus ſociis tuis, hunc Dei famulum obſidentibus, ut per myſteria Incarnationis, Paſſionis, Re-

Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri JEſu Chriſti, per miſſionem Spiritûs ſancti, adventum ejuſdem Domini noſtri ad judicium dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitûs tui cum aliquo ſigno; & ut mihi Dei miniſtro, licet indigno, prorſus in omnibus obedias: neque hanc creaturam Dei, vel circumſtantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur ſuper obſeſſum hæc Evangelia, vel unum aut alterum.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Joannem.

Hæc dicens ſignat ſe, & obſeſſum in fronte, ore & pectore.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum &c.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Marcum.

Marci 16.

In illo tempore: Dixit JEſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum univerſum, prædicare Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam.

Luc. 10.

In illo tempore reverſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes ad JEſum: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine, Et ait illis: Videbam

Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam.

Luc. 11.

IN illo tempore: Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem ſatanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt. Porrò ſi in digito Dei ejicio dæmonia: profectò pervenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eò ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.

℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

OMnipotens Domine, verbum Dei Patris, Chriſte JESU, Deus, & Dominus univerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate: cujus virtute mutus tanquam fulgur de cœlo ſatanas cecidit: tuum ſanctum nomen cum timore & tremore ſuppliciter deprecor, ut indigniſſimo mihi ſervo tuo, datâ veniâ, omnium delictorum meorum; conſtantem fidem, & poteſtatem donare digneris: ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui ſancti munitus potentiâ fidenter & ſecurus aggrediar, per te JESU Chriſte, Domine Deus noſter, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens ſe & obſeſſum ſigno crucis, circumpoſitâ parte ſtolæ ad collum ejus, & dexterâ manu ſuâ capiti ejus impoſitâ, conſtanter, & magna cum fide dicat ea, quæ ſequuntur.

℣. Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ.
℟. Vicit Leo de tribu Juda radix David.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oratio.

DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, invoco Nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, ut adverſus hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi

Digitized by Google

mihi auxilium præſtare digneris. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

EXorcizo te immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio adverſarii, omne phantaſma, omnis legio, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti ✝ eradicare, & effugare ab hoc plaſmate Dei ✝ ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis, & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo, & time ſatana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum: quid ſtas & reſiſtis, cùm ſcias, Chriſtum Dominum vires tuas perdere: illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes cruces fiant in fronte obſeſſi.

Recede ergo in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti. Da Locum Spiritui ſancto, per hoc ſignum ✝ crucis JESU Chriſti, Domini noſtri. Qui cum Patre & eodem Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oratio.

DEUS conditor, & defenſor generis humani, qui ho-

hominem ad imaginem tuam formâſti, reſpice ſuper hunc famulum tuum N. vel famulam tuam N. qui vel quæ dolis immundi ſpiritûs appetitur, quem vetus adverſarius, antiquus hoſtis terræ formidinis horrore circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, errore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat; repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſque ejus inſidias amove: procul impius tentator aufugiat, ſi nominis tui ſigno ✝ *(in fronte)* famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore.

Tres cruces ſequentes fiant in pectore dæmoniaci.

Tu pectoris ✝ hujus interna cuſtodias. Tu viſcera ✝ regas. Tu cor ✝ confirmes: in anima adverſatricis poteſtatis tentamenta evaneſcant. Da Domine ad hanc invocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abſcedat, tibique poſſit famulus tuus, & corde firmatus, & mente ſincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

ADjuro te, ſerpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet poteſtatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Eccleſiæ ſinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui feſtinus diſcedas. Adjuro te iterum ✝ *(in fronte)* non mea infirmitate, ſed virtute Spiritûs S. ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem ſuam fecit. Cede igitur, cede non mihi,

ſed

ſed miniſtro Chriſti: illius enim te urget poteſtas, qui te cruci ſuæ ſubjugavit, illius brachium contremiſce, qui devictis gemitibus inferni animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✝ *(in pectore)* ſit tibi formido imago Dei ✝ *(in fronte)* non reſiſtas, nec moreris diſcedere ab homine iſto, quoniam complacuit Chriſto in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis eſſe cognoſcis. Imperat tibi DEUS ✝ imperat tibi Majeſtas Chriſti, imperat tibi Deus Pater, ✝ imperat tibi Deus Filius, ✝ imperat tibi Deus Spiritûs ✝ ſanctus, imperat tibi fides ſanctorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, & cæterorum Apoſtolorum, imperat tibi martyrum ſanguis, imperat tibi continentia confeſſorum ✝ imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium interceſſio ✝ imperat tibi Chriſtianæ fidei myſteriorum virtus ✝ exi ergò tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolô, & fallaciâ, virtutis inimice, innocentium perſecutor. Da locum impiiſſime, da locum Chriſto, in quo nihil inveniſti de operibus tuis, qui te ſpoliavit, qui regnum tuum deſtruxit, qui te victum ligavit, & vaſa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerariè detrectas? reus es omnipotenti DEO, cujus ſtatuta tranſgreſſus es, reus es Filio ejus JESU Chriſto, Domino noſtro, quem tentare auſus es, & crucifigere præſumpſiſti, reus es humano generi, cui tuis perſuaſionibus mortis venenum propinâſti.

Digitized by Google

Adjuro ergò te, draco nequiſſime, in nomine ✝ immaculati, qui ambulavit ſuper aſpidem, & baſiliſcum, qui conculcavit leonem, & draconem, ut diſcedas ab hoc homine ✝ *(fiat in fronte)* diſcedas ab Eccleſia DEI ✝ *(fiat ſignum crucis ſuper circumſtantes)* contremiſce, & effuge invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes cœlorum, & poteſtates, & Dominationes ſubjectæ ſunt; quem Cherubim & Seraphim indefeſſis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi verbum ✝ caro factum. Imperat tibi natus ✝ ex Virgine, imperat tibi JESUS ✝ Nazarenus, qui te, cùm diſcipulos ejus contemneres, eliſum atque proſtratum exire præcepit ab homine, quo præſente, cùm te ab homine ſeparâſſet, nec porcorum gregem ingredi præſumebas. Recede ergò nunc adjuratus in nomine ✝ ejus ab homine, quem plaſmavit; durum eſt tibi velle reſiſtere ✝, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare ✝ qui quando tardiùs exis, tantò magis tibi ſupplicium creſcit; quia non homines contemnis, ſed illum, qui dominator vivorum, & mortuorum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

DEUS cœli, DEUS terræ, DEUS Angelorum, DEUS Archangelorum, DEUS Prophetarum, DEUS Apoſtolorum, DEUS Martyrum, DEUS Virginum, DEUS, qui poteſtatem habes donare vitam

tam poſt mortem, requiem poſt laborem, quia non eſt alius DEUS præter te, nec eſſe poterit verus, tu creator cœli & terræ; qui verus Rex es, & cujus Majeſtati gloriæ tuæ ſupplico, ut hunc famulum tuum de immundis ſpiritibus liberare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

Adjuro ergò te omnis immundiſſime ſpiritus, omne Phantaſma, omnis incurſio ſatanæ, in nomine JESU Chriſti ✝ Nazareni, qui poſt lavacrum Jordanis in deſertum ductus eſt, & te in tuis ſedibus vicit, ut, quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ ſuæ formavit, deſinas impugnare, & in homine miſerabili non humanam fragilitatem, ſed imaginem omnipotentis Dei contremiſcas. Cede ergò Deo ✝ qui te & malitiam tuam in Pharaone & in exercitu ejus per Moyſen ſervum ſuum, in abyſſum demerſit. Cede Deo ✝ qui te per fideliſſimum ſervum ſuum David de rege Saule ſpiritualibus canticis pulſum fugavit. Cede Deo ✝ qui te in Juda Iſchariothe proditore damnavit. Ille enim te divinis ✝ verberibus tangit, in cujus conſpectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixiſti: Quid nobis, & tibi JESU Fili Dei altiſſimi? veniſti huc ante tempus torquere nos? ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus eſt impiis: diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Tibi enim impie, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii, tu auctor in-

Digitized by Google

inceſtûs, tu ſacrilegorum caput, tu actionum peſſimarum magiſter: tu hæreticorum doctor, tu totius obſcœnitatis inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ ſcelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominum templum ſuum eſſe voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? da honorem Deo Patri omnipotenti ✠ cui omne genuflectitur. Da locum Domino JESU ✠ Chriſto, qui pro homine ſanguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum Spiritui ✠ ſancto, qui per beatum Apoſtolum ſuum Petrum te manifeſte ſtravit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnavit, qui te in Herode rege honorem Deo non dante percuſſit; qui te in mago Elyma per Apoſtolum ſuum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythoniſſa verbo imperans exire præcepit. Diſcede ergò nunc ✠ diſcede ✠ ſeductor, tibi eremus ſedes eſt, tibi habitatio ſerpens eſt: humiliare, & proſternere. Jam non eſt differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipſum, & præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus, ſi enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere, ille te ejicit cujus oculis nihil occultum eſt. Ille te expellit, cujus virtuti univerſa ſubjecta ſunt. Ille te excludit, qui tibi & Angelis tuis præparavit æternam gehennam: de cujus ore exibit gladius acutus: qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit repeti poſſunt donec obſeſſus ſit omnino liberatus.

Juva-

Juvabit præterea plurimum, hæc, quæ infrâ notantur, vel aliqua eorundem, ſuper obſeſſum devotè dicere ſæpéque repetere.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c. Credo &c.

Canticum B. V. M.

Magnificat anima mea Dominum &c.

Canticum.

Benedictus Dominus Deus Iſraël &c.

Symbolum ſancti Athanaſii.

Quicunque vult ſalvus eſſe &c.

Pſalmus 90.

Qui habitat in adjutorio altiſſimi &c.

Pſalmus 67.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus &c.

Pſalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende &c.

Pſalmus 53.

Deus in nomine tuo ſalvum me fac &c.

Pſalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus &c.

Pſalmus 34.

Judica Domine nocentes me &c.

Pſalmus 30.

In te Domine ſperavi &c.

Pſalmus 21.

Deus, Deus meus, reſpice in me &c.

Pſalmus 3.

Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me &c.

Pſalmus 10.

In Domino confido &c.

Digitized by Google

Pſalmus 12.

Uſquequo Domine oblivi ſceris &c.

Oratio.

Poſt liberationem.

OREmus te Deus omnipotens, ut ſpiritus iniquitatis amplius non habeat poteſtatem in hoc famulo tuo N. vel famula tua N. ſed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, vel in eam Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini noſtri JEſu Chriſti, per quem redempti ſumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiſcum eſt. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Exorciſmi potentiſſimi & efficaces ad expellendos dæmones R. D. Hilarii Nicueſæ Theat. Regul.

Forma intergatoria Dæmoni facienda.

EGo indignus Sacerdos, & Miniſter Altiſſimi, Auctoritate mihi tradita à ſancta Romana Eccleſia ſuper inferni Principes, præcipio tibi nomine divinæ Majeſtatis, ac D. N. JEſu Chriſti. Item in virtute, & per virtutem ſuæ Humanitatis, Divinitatis, & Excellentiæ, nec non imperio potentiæ Throni ſanctiſſimæ Trinitatis, ut ſtatim nullâ morâ interjectâ, & fallacia patefacias mihi nomen tuum. Inſuper ex qua legione ſis, & qua hierarchia etiam, ſi ſis aëreus, vel ſubterraneus aut ex aliqua alia ſpecie, & de qua natu-

natura, cuique poteſtati ſubjaceas? item, quomodo huc es ingreſſus; qui ſint tui ſocii, & quomodo vocentur; ex qua legione, poteſtate, hierachia ſint & ipſi; & quomodo eorum magiſtri nominentur? Etiam præcipio tibi, ut exponas absque mendacio, in quo climate, & hemiſpherio cecideris, cùm, per defectionem tuam ab omnipotente expulſus fuiſti; præterea, impero tibi, ut explices, unde ſis, á parténe orientali, meridionali, occidentali, an ſeptentrionali? quo etiam nomine? ego præcipio tibi, ut dicas mihi, num aliàs in aliud corpus fueris ingreſſus, & quisnam te ejecerit, atque inde expulerit, qua die, quáve hora, de quo loco, vel membro illius corporis egreſſus ſis; & qui vocetur princeps præceptoris, vel magiſtri tui? etiam dicas mihi ad honorem Dei vivi, Magni, terribilis, atque mirabilis, cujus nomine te conjuro ✝ & poteſtatem habeo expellendi te ab hoc corpore; quamdiu eſt, cùm ingreſſus es in locum iſtum; quà formâ, qua die, quâ hora, quâ tandem ex cauſa; cùm hoc corpus humanum nec ſedes, nec domus, nec manſio tua ſit? præcipio tibi præterea, ut ſyncerè fatearis mihi verum, an in hunc eundem locum venerint ſpiritus in auxilium & favorem tuum, & ex qua hierarchia, & legione; an intus, vel extra permaneant; an ſint majores, minores, vel tibi æquales, & ſub cujus poteſtate reperiantur, cujusque naturæ, & regionis ipſi ſint? hæc omnia ſupra relata, & ſingula ſigillatim atque diſtinctè adjuro te ✝ exorcizo te ✝ conjuro te ✝ tibique præcipio ✝ per Deum verum & vivum, ut veràmihi enarres ad honorem, & gloriam ejusdem altiſſimi ✝ ac Domini noſtri JEſu Chriſti ✝ utriusque curiæ cœleſtis.

Exor-

Exorciſmus I.

In die Circumciſionis Domini, & per Octavam.

Præparatio.

PAter noſter, Ave Maria, Credo. Confiteor. Miſereatur. Indulgentiam.

Aſpergat locum dicens Antiphonam.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Deinde dicatur Pſalmus 50.

Miſerere mei Deus, &c. ex laud. fer. 2. Aſperges me, &c.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque ab immundis ſpiritibus defendat omnes habitantes in hoc habitaculo ✠ Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer: vocatum eſt nomen ejus, JEſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priusquam in utero conciperetur, ℟. Laus tibi Chriſte.

Per

Per Evangelica dicta extinguatur ✝ diſſipetur ✝ & deſtruatur ✝ in te omnis diaboli malitia. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ ſancti, Amen.

Litaniæ Sanctorum.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili, Redemptor mundi, DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas, unus DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta DEI genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphaël, ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſephe, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.

San-

Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

Ora pro nobis.

Omnes ſancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis,
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis,
Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Coſma & Damiane, orate pro nobis,
Sancti Gervaſi & Protaſi, orate pro nobis.
Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylveſtet, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis,

Omnes

Omnes ſancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi, & Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti & ſanctæ DEI, intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
Ab ira tua, libera.
A ſubitanea & improviſa morte, libera.
Ab inſidiis diaboli, libera.
Ab omni maleficio & vexatione diaboli, libera.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptiſmum, & ſanctum jejunium tuum, libera.
Per crucem & Paſſionem tuam, libera.

Per

Digitized by Google

Per mortem & ſepulturam tuam, libera.
Per ſanctam reſurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera.
Per Adventum Spiritus ſancti Paracliti, libera.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas, te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Ut in bello contra dæmones nos munire digneris, te rogamus.
Ut oculos miſericordiæ ſuper nos reducere digneris, te rogamus.
Ut omnes Sanctos & Sanctas tuas pro nobis orantes exaudire digneris, te rogamus.

Surgens imponat manus capiti obſeſſi, ac dicat:

Ut hanc creaturam tuam N. tuo pretioſo ſanguine redemptam, ab infeſtationibus dæmonum eripere ✝, digneris, te rogamus.
Ut hanc creaturam tuam N. magno pretio redemptam, à crutiatibus dæmonum liberare ✝, digneris, te rogamus.
Ut hanc creaturam tuam N. in ligno Crucis à te redemptam, à poteſtatibus dæmonum liberare ✝, benedicere ✝, & conſervare ✝ digneris, te rogamus.

Genuflectens percutiet leviter ſtolâ obſeſſum, ac dicat:

Ut hos peſſimos inferni diabulos, & animarum raptores fugare digneris, te rogamus.
Ut hos temeraricos, callidóſque ſerpentes, de noſtra damnatione ſollicitos, affligere digneris, te rogamus.

Ut

Ut hos inſidiantes aſpides, & maledictos colubros, de noſtra ſalute dolentes, torquere digneris,
Ut hæc pabula mortis, & peccati fomites confundere digneris,
Ut has frementes beſtias perſequi digneris,
Ut hos Majeſtatis tuæ defectores & ſuperbiâ tumidos diſperdere digneris,
Ut hos apoſtatas, & æternæ maledictionis filios cruciare digneris,
Ut horum draconum dentes, faucéſque fœtidiſſimas, nos devorare volentes, confringere digneris,
Ut hos ſanctiſſimi Nominis tui blaſphematores in Cruce ſancta illaqueatos, deprimere digneris,
Ut hos prædones peſtiferos, & excommunicatos, in puteo abyſſi claudere digneris,
Ut hos impœnitentes, atque contumaces peccatores, obedientiæ ſacerdotali in nomine tuo ſubjicere digneris,

Te rogamus audi nos.

Fili DEI, te rogamus audi nos.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus DEI &c. exaudi nos Domine.
Agnus DEI &c. miſerere nobis.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

℣. Eſto nobis JESU, turris fortitudinis.
℟. A facie inimicorum omnium.
℣. Nihil proficiant inimici in nobis.
℟. Et filii iniquitatis non apponant nocere nobis.
℣. Miſerere noſtri, JESU, miſerere noſtri.
℟. Quoniam in te confidit anima noſtra.
℣. Apprehende arma & ſcutum.
℟. Et exurge in adjutorium noſtrum.
℣. Miſerere noſtri, Domine JESU.
℟. Vide humilitatem noſtram de inimicis noſtris.
℣. Judica JESU nocentes nobis.
℟. Expugna impugnantes nos.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS, qui glorioſiſſimum Nomen JESU, Filii tui, Domini noſtri, feciſti fidelibus tuis ſummæ ſuavitatis affectu amabile, ac malignis ſpiritibus tremendum, atque terribile: concede, ut qui hoc nomen JESU devotè veneramur in terris, cœleſtis gratiæ robur contra inferni hoſtes conſequi mereamur. Per eundem JESUM Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Dicatur unus ex ſequentibus Pſalmis.

Pſalmus 53. Deus in nomine tuo ſalvum me fac &c. *ex prima diei Dominica.*

Pſalmus 75. Notus in Judæa Deus &c. Ex Matut. fer. 5.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Philippenſes 2.

Fra-

FRatres: Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto JESU: qui, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. ℟. Deo gratias.

Oremus.

EXaudi, Domine JESU Chriſte, preces ſervorum tuorum contra hos malignos ſpiritus, & miſerere nobis, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hymnus.

AMor JESU dulciſſime,
Quando cor noſtrum viſitas,
Pellis mentis caliginem,
Et nos reples dulcedine.
Quàm felix eſt, quem ſatias,
Conſors Paternæ dexteræ;
Tu veræ lumen patriæ,
Quod omnem ſenſum ſuperat.
Splendor Paternæ gloriæ,
Incomprehenſa bonitas,
Virtutem contra Satanam,
Da nobis per præſentiam.

 Glo-

Digitized by Google

Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula, Amen.

℣. In nomine JESU omne genu flectatur.
℟. Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Manu ſuper obſeſſi caput impoſitâ, dicatur Evangelium.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.
† Gloria tibi Domine. †

IN illo tempore: deſcendit JESUS Capharnaum, ibique docebat illos, & ſtupebant in doctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius. Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi JESU Nazarene, veniſti perdere nos; Scio te, qui ſis, Sanctus DEI. Et increpavit illum JESUS, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo: Et cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illi nocuit. Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? Et divulgabatur fama de illo in omnem locum Regionis. ℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta, extinguatur †, diſſipetur †, & deſtruatur in te † omnis diabolica virtus. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, dirige actus noſtros in beneplacito tuo; ut in nomine JESU dile-

dilecti Filii tui, mereamur malos dæmones effugare. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Aſpergens creaturam dicat:

Aqua benedicta extinguat † & ſeparet † à te N. omnia dæmonum ficta, in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti †, Amen.

Exorcizatio obſeſſi.

EXorcizo † te N. creaturam Dei à dæmonibus oppreſſum, per Deum æternum † per Deum unum † per Deum verum † per Deum Trinum † per Verbum Patris † & per virtutem Spiritûs ſancti † ut te puram exhibeas contra omnes diaboli vires, ſiasque robuſta ad expellendum à te omnes dæmones, ac diabolicas virtutes, & artes; per potentiſſimum nomen JESU, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum † Amen.

Oremus.

AFflictionem hujus ſervi tui N. quæſumus Domine, propitius reſpice, ut, qui juſtè pro delictis ſuis à dæmonibus obſidetur; pro tui Nominis gloria, & virtute ab eis, miſericorditer eruatur. Per Dominum &c.

Niſi adhuc in lingua appareat, proferas excitationem ſequentem, & indicas præceptum, ſæpiùs iterandum.

EGo Miniſter DEI omnipotentis, in nomine ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis Auctoritate ejusdem, quâ fungor: & in virtute Domini noſtri

 JESU

JESU CHRISTI, vos immundos ſpiritus; qui quoquo modo in hoc corpore, vel in ejus parte, vel extra latitatis, cito, voco, adſtringo, compello, ut nullam moram protrahentes, realiter & perſonaliter in lingua hujus creaturæ N. apparere cogatis ſupremum tenebrarum Principem veſtrum, altiorem qui inter vos locum obtinet, ſive unus, ſive plures ſint: ut ante DEI Tribunal fateatur gloriam Conditori ſuo, & mihi ejus vices indignè gerenti obſequium præſtet. Meis ergo præceptis pareatis. Per DEI potentiam † per JESU clementiam. Et ille vel illi aſcendant ſtatim, atque altiſſimum pertimeſcant, qui omnia, quæcunque voluit, fecit, & cui omnes obediunt creaturæ. Maledicte coluber, & tenebrarum Princeps, audi DEI mandatum, quod tibi ejus nomine indico: cui, ſi tu, & ſocii tui contumaces eritis, interminatæ maledictionis excommunicationem illicò incurratis, quam toto cordis affectu, nomine ejusdem Altiſſimi ego contra te, vosque omnes Dei rebelles jaculor. Item corpus iſtud ſit vobis deinde novus infernus, cunctaque verba à me proferenda ſint carbones ignis accenſi, & ictus oculorum noſtrorum jacula peracuta: & augeantur ſupplicia veſtra ſingulis quibusque temporis punctis, per virtutem Incarnationis Verbi Domini, ejusdem Nativitatis & Circumciſionis JESU, cujus nomine vos citavi, † Amen.

Ni aſcendat, recitabis orationem ſequentem, ac præceptum.

Oremus.

Digitized by Google

Oremus.

DEUS, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute confidimus, concede propitius, ut contra hos pertinaces Majeſtati tuæ rebelles, firmiſſima Nominis tui protectione muniamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c. Amen.

Secundum præceptum, ſeu excitatio altera.

ET, nequa in die judicii à vobis afferri queat excuſatio ante illud tremendum Tribunal Dei Altiſſimi, invoco cœleſtem curiam Angelorum, Sanctorumque omnium, ut ſi forte aliquo maleficio, veneficio, incantatione, detentione, vinculo, interdicto, pacto, factura, vel arte veſtrorum principum, vel peſſimorum hominum, aut mulierum aliquo modo ſtructâ, vel nuncupatâ detineamini, omnia illa enervo † irrito † demolior † diſſolvo † deſtruo † ac pro nihilo haberi volo, prædictáque Auctoritate, quâ fungor, Dei & Domini noſtri JEſu Chriſti Salvatoris noſtri, ac veſtri deſtructoris: rurſúſque præcipio, ut ad linguam aſcendatis, juxta primum mandatum jam vobis indictum.

Si adhuc non apparet, adde orationem ſequentem, atque præceptum.

Oremus.

PRoſterne, quæſumus Domine, vires adverſariorum iſtorum, per invocationem ſancti Nominis tui, quemadmodum inferni miniſtros proſtraviſti, auditâ formidabili JEſu voce: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Digitized by Google

Tertia excitatio & præceptum.

VObis autem dæmonibus, ſic divinâ virtute ſolutis, iterum validiſſimè mando, ut nullum favorem, vel auxilium accipere conemini, quocunque prætextu, vel cauſâ à malignis ſpiritibus extra hanc DEI creaturam N. commorantibus, vel fraudelenter à vobis requiſitum vel ab eis ſponte vobis præſtitum. Et ideò ego ipſe, eâdem divinâ fretus virtute, atque potentiâ, firmiſſime præcipio, atque alacriter mando omnibus cujuscunque ordinis, dignitatis, & prælationis, extra corpus exiſtentibus, ut hinc faceſſere feſtinent, & quàm citiùs recedere: in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ✝ in nomine & virtute JEſu Chriſti Domini noſtri ✝ nec vobis vel minimum auxilium quoquo modo præſtare conentur: Ecce crucem Domini ✝ noſtri JEſu Chriſti ✝ fugite partes adverſæ vicit Leo de tribu Juda radix David ✝ Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Si verò in linguam, vel partem corporis deſignatam dæmon aſcenderit, vel apparuerit; & hoc prius, quam citetur, vel inter orandum; ligabis illum, ne abſcedat, donec dimittatur à ſacerdote. Ideóque in hujus conſtrictionis ſignum circumcingas collum obſeſſi ſtolà benedictâ, ligans illam triplici nexu.

Dum nectitur ſtolâ obſeſſus, dicas:

QUemadmodum Dominus JEſus Chriſtus, Judæorum funibus necti paſſus eſt, clavisque affigi ligno; ſic verborum meorum vincula vos fortiſſimè adſtringant ſub hoc ſacræ ſtolæ jugo, ut à meis præceptis non recedatis; in nomine, & virtute DEI Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ſancti ✝, Amen.

Aliud

Aliud ligandi genus.

SIcut in verbo JEſu laxatum à Diſcipulis rete uberem piſcium numerum traxit in terram: ſic ſtola iſta benedicta in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ſancti ✝ à me vobis circumligata, trahat vos tartareos cœtus ad mea capeſſenda juſſa, Amen.

Alia ratio nectendi obſeſſum ſtolâ.

COnnecto te hâc immortalitatis ſtolâ, quæ ſignum obedientiæ ſit, mihi DEI Miniſtro præſtandæ: ſicut DEUS ipſe magnus, & mirabilis Miniſtrorum ſuorum verbis ſub Euchariſtiæ ſpeciebus detineri non dedignatur; obediente Domino voci hominis, in nomine Pa✝tris & Filii ✝ & Spiritûs ſancti ✝, Amen.

Alia nectendi ratio.

LIgo te hâc ſacrâ ſtola, quæ ſit tanquam rudens funis in lingua tua; ut in virtute Paſſionis, & Crucis Chriſti te adſtringat, ac detineat, ut prorſus meis verbis obtemperes, & ne diſcedas ab ea, donec te dimiſero: ſicut DEUS noſter per Archangelum Michaëlem duris compeſcuit vinculis, ligavitque catenâ magnâ, atque in abyſſo ſuperbiſſimum Luciferum principem clauſit: in nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritûs ſancti ✝, Amen.

Alia formula ligandi ſtolâ dæmonem.

QUemadmodum DEus noſter per Archangelum Michaëlem duris revinxit vinculis, atque in tenebroſum abyſſi carcerem detruſit ſerpentem antiquum, ſignavitque ſuper eum: Ita ego Auctoritate ejusdem Omnipotentis necto te N. creaturam DEI damnatam, ſacrâ hâc ſtolâ, in nomine Patris ✝ &

Filii † & Spiritûs Sancti † ac ſanctiſſimæ crucis ſigno † confirmo; ut cedas, atque proſternas te cum ſatellitibus tuis, & pareatis ſimul Deo viventi, mihique ejus indigno Miniſtro.

Hic petas, quæ petenda ſunt à dæmone, juxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutum: quòd ſi noveris ipſum detineri in obſeſſi corpore per aliquam facturam; præter omnia præcepta peculiaria, quæ in quolibet Exorciſmorum ferè ſemper ponuntur utaris ſequenti formulâ tritâ pro maleficiorum ſolutione.

Generalis maleficiorum ſolutio ſuper obſeſſum, veneficiò affectum frequentiùs recitanda.

EGo indignus Chriſti Sacerdos, ac DEI Miniſter adjuro vos † omnes angelos tartareos in nomine ſanctiſſimæ atque individuæ Trinitatis Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † tam præſentes, quàm abſentes; per eum, qui vos de ſupremo ejecit cœlorum habitaculo: qui humano generi malum inferre audetis, quique fabricâſtis, & ſervatis maleficium huic creaturæ DEI N. à venefico, vel venefica procuratum, vel aliquo alio modo ei inflictum: ut ubicunque illud ſit poſitum, ſtatim, ac nullâ interpoſitâ morâ, ex illo loco amoveatis, & in virtute DEI Omnipotentis illud deſtruatis, & omnem obicem illi injectum, feſtinanter ad nihilum redigatis, ut liberè, ac promptè intellectu ſuo uti poſſit ad honorem DEI omnipotentis, qui vos & illum creavit †.

Oremus.

EXpelle Domine DEUS omnipotens, per virtutem ſanctam tuam ab hac creatura tua N, omnes

nes veneficiorum vanitates,& incurſus dæmonum, per hoc ſignum ſanctæ Crucis † Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, Filii tui. Tolle poteſtatem, tolle imperium ſatanæ, & angelorum, atque maleficiorum ejus, & ne ſinas illos nocere huic facturæ tuæ N. Memento, quæſo, Abraham, Iſaac, & Jacob ſervorum tuorum, & miſerere illi, atque libera eam ab omnibus maleficiis, veneficiis, ligaturis, ſignaturis, & facturis, ſibi arte diabolicâ factis à quocunque malefico, vel malefica, in quacunque materia; per virtutem, atque potentiam Agni divini immaculati, qui potenter ambulat ſuper aſpidem & baſililcum: qui æternaliter conculcavit leonem & draconem, luciferum ſcilicet, inferni principem, Amen.

✠ Potenter igitur, & ſtrictiſſimè vobis dæmonibus mando, ut amotâ omni pertinaciâ, ſtatim, & ſine cunctatione deſtruatis, & ad nihilum redigatis cuncta maleficia, veneficia, ligamina, ſigna, ſcripturas, omnéque opus nefarium, à quocunque dæmone, vel homine malefico, vel malefica, compoſitum, quacunque materiâ, quocunque in loco ſit reconditum, & à quovis malo genio cuſtodiatur; non obſtantibus ligaminibus, quibus hæc creatura Dei ab actu, exercitio, ac libero arbitrio prohibeatur. Quæ omnia per virtutem ſanctiſſimæ Paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti, & per cuncta alia, quibus ligari, excruciari, & ad varias pœnas, atque tormenta infernalia damnari poteſtis, vos compello † anathematizo † adjuro † & cogo † ut ſine ulla repugnantia, omnia prædicta exequamini. Alioquin per

per virtutem ejus, qui orbem tremere facit, & multitudini ſtellarum nomina vocat. Ego, licet indignus Sacerdos, vos ad tartareum condemno ſupplicium, in ſtagnum ignis, & ſulphuris perpetuò obruo, & ad alios infimos, diróſque inferni cruciatus vos mitto; unde fumus aſcendet in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia brevis maleficii ſolutio, ſuper obſeſſum recitanda.

SI quis maleficus, vel malefica, per ſua maleficia, veneficia, ſignaturas, facturas, aut ligaturas, verbo, nutu, ſigno, ſcripto, aut facto quomodolibet arte diabolicâ inito, te, dæmon, & ſpiritus immunde, ſive unus, ſive plures ſitis, directè vel indirectè ſuper hanc creaturam Dei N. vel extra illam ligavit; Ego indignus Sacerdos, ac Miniſter Chriſti, auctoritate mihi tradita, à ſancta Romana Eccleſia, deſtruo † enervo † abſolvo † & diſſoluta eſſe decerno † in nomine Dei Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti. Amen.

Inſuper tibi, & ſociis tuis præcipio, ut (illis non obſtantibus) exeatis ad deſtruenda omnia vincula, & maleficia contra hanc creaturam, vel quamcunque aliam conſtructa, & ordinata, ac conſtruenda, & ordinanda; & hoc per virtutem, atque potentiam Domini noſtri JEſu Chriſti, qui propter magnam miſericordiam ſuam venit in hunc mundum, & in beatæ Mariæ Virginis utero eſt incarnatus, ut homines perditos, quos veſtrâ diabolicâ perverſitate damnaveratis, ad cœleſtia revocaret, & causâ expellendi

Digitized by Google

pellendi vos, cunctóſque malignos ſpiritus ab hominibus, & ejiciendi vos omnes in profundum abyſſi. Ecce Crucem ✝ Domini noſtri JEſu Chriſti ✝ fugite partes adverſæ ✝ vicit Leo de tribu Juda, radix David: Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Oremus.

TE adoramus, te laudamus, te glorificamus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ne hunc, obſecro, famulum tuum N. à diabolo oppreſſum, perire patiaris, & vexari: ſed ſalva, & adjuva eum gratiâ miſericordiæ tuæ, quem Filii tui pretioſo ſanguine redimere dignatus es. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Si maleficium abſit, & præſentialiter tantùm à dæmone torqueatur obſeſſus, tunc neceſſario præ omnibus exigere debes ab illo obedientiam, & vi extorquere illam mediis exorciſmis ſequentibus: quam obſequentiam confirmari facies ſolemni juramento, prout in ſequenti habes formula.

Forma juramenti extorquendi à dæmone; manibus obſeſſi ſuper Altare, vel librum Evangeliorum, aut ſupra dexteram Exorciſtæ, vel Crucifixum poſitis; De obedientia ſcilicet præſtanda, de veritate dicenda, de ſigno dando diſceſſûs ſui, ac de loco, & tempore liberationis creaturæ.

OMni penitus tacitâ deceptione remotâ, ego dæmon N. nomine omnium malignantium ſpirituum, hinc quomodolibet commorantium, tibi Miniſtro Chriſti liberè ſpondeo, efficacique jura-

men-

Digitized by Google

mento ſuper hoc ſacro ſtigmate confirmo, me poſthac ſponte occurrente, vel te interrogante, ac præcipiente, vera dicere, & ſine fraude, juxta tuam mentem reſpondere: nec non Deo, & tibi ex officio mihi præcipienti, in omnibus obtemperare. Quòd ſi irritum fecerim, Dei furorem invoco contra me, irámque ejus provoco, ut mei vindicem mittat Principem exercitûs ſui Michaëlem Archangelum, qui me in manibus inimicorum meorum tradat, intrudátque in ſtagnum ignis æterni, cum augmento pœnarum infernalium de momento in momentum, usque ad diem Judicii magnum, Amen.

Oremus.

DEUS, qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominúmque diſpenſas; concede propitius, ut à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra contra malignos hos ſpiritus vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Exorciſmus.

INveterate dierum malorum audi terribilem jugiter, ac jucundam Sanctæ Matris Eccleſiæ vocem, ex Iſaiæ Prophetia deſumptam, ſacríſque miſſarum ſolemniis propalatam, *Puer*, inquit, *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* O vox inferno terribilis, cunctiſque tremenda dæmonibus! O vox mundo ſuaviſſima, & Chriſti fidelibus per-

Digitized by Google

perjucunda! geme, geme ergo, & contremiſce, ô abyſſe tenebrarum, aç per concavas regni tui latebras perſonent mœrentium ejulatus, & ſine fine gemitus. Luctum facite, & vos, ô tartarei cives, quaſi ſuper Unigenitum, ſuper admirandum hunc Dei Genitum, qui, cùm in forma eſſet excellentiſſimæ Divinitatis, exinanivit ſe, accipiens formam parvuli; ut vos nequitiâ, ac perverſitate longævos, atque fallaciter elatos abbreviatæ manus ſuæ potentiâ conſtringeret, diſſiparet, ac potentiſſimè perderet. Dignum erat, ô damnati, ut ipſe excelſus humilitatis formam aſſumeret, ut fortiſſimus imbecillitatis arma indueret, veſtram quærens contundere ſuperbiam, veſtrámque proſternere chimericam vanitatem. Ut gigas properavit ad nos (gratiâ ſuâ) dilectos parvulus Deus ipſe magnus & ſublimis, atque è ſummo cœlorum faſtigio celerem fecit egreſſum, humilibus occurrens, ut ſanaret infirmos, conſolidaret imbecilles, confirmaret debiles, veſtráque malitia obſeſſos homines. Verùm brevis, & parvulus contra vos perverſos apparere decrevit in mundi caſtris David ille cœleſtis, ut confunderet ſubſtantia tam tenuis carnis elationis veſtræ atque obdurationis perfidiam. Puer iſte noſter tenellus, & mitis vos vincit, vóſque proſternit, ô belluæ, ferocitate pleniſſimæ, vos tauros indomitos ligat, ac jugo ſuæ potentiæ fortiter edomat. Ubi eſt ergò robur veſtrum, & virtus, ô leones robuſtiſſimi? qui lactentis manibus, quaſi luſu victi, ruiſtis; Vagitus dulces atque ſuaves divini hujus Infantis tormenta ſunt bellica, veſtram turrim, ô infernales Babylones, funditus evertentia, & comminuentia.

Va-

Vagit infans in cunabilis, & veſter tremit lucifer in latibulis. Plorat infans in præſepi, & vos tartarorum monſtra, horribiles præ timore mugitus emittitis. Vagit infans ſtrictus faſciis, & proſtratus ruis tu, draco truculentiſſime, catenis undique obvolutus. Vagit JEſus infantulus, & cuncta dæmonum turba aſſidue trucidatur. O magna cœleſtis hujus infantis potentia! O qualia operaturas eſſe putatis manus ejus robuſtiſſimas, dum tot miracula *prodeunt è tenui*, atque infirma voce lactentis? Bene etenim ſcriptum eſt: *Sagittæ parvulorum facta ſunt plaga eorum*: quia ſacratiſſimæ hujus parvuli benedictiones, quibus nos digitulis ſuis ſanctificare ſolebat, vos perfidos inferni cultores hominúmque invidos deſtructores acriter transverberant, occidunt, lacerant. Benedictio enim Domini JEſu ſuper nos cadit ſemper, ut nos ad ſuam imaginem effectos & ſanguine ſuo redemptos protegat, ſervet, roboret, atque defendat; cùm certum ſit, quòd inde ſurrexit ultra ſe infirmitas noſtra, unde ſub ſe infirmata eſt firmitas DEI. Super vos autem pertinaces, & contra vos maledictio erit, æternáque damnatio, fugans, diſſipans, atque inceſſanter vos perſequens. Veræ plagæ factæ ſunt vobis jacula ipſius JESU Redemptoris, dum ſub benedictionis ſigno, docet *manus noſtros ad prælium, & digitos noſtros ad bellum contra vos*, & peſſimos aſſeclas veſtros ſapienter inſtruit. Signum etenim hoc † benedictionis illius vos torquet † hoc ſignum pueri JESU † vos deprimit. Hoc ſignum parvuli JESU † vos vincit. Hoc ſignum DEI JEſu † vos ligat. Hoc ſignum fortiſſimi JESU †

vos

vos fugat. Hoc ſignum Altiſſimi JESU ✝ vos terret. Hoc ſignum terribilis JESU ✝ vos flagellat. Hoc ſignum potentiſſimi JESU ✝ vos dilacerat. Hoc ſignum admirabilis JESU ✝ vos verberat. Hoc ſignum ✝ vos debilitat. Hoc ſignum ✝ vos cruciat. Hoc ſignum ✝ dulciſſimi JESU vos comburit. Hoc ſignum denique ✝ ſacroſanctæ Crucis & benedictionis, quod validiſſima manus JESU ſuper nos conſignat, vos jugiter condemnat ✝.

Per hoc igitur potentiſſimum hujus divini infantis JESU ſignum, & benedictionem ✝ & per ejusdem ſanctiſſimi JESU vagitus virtutem, atque potentiam, vos perfidos, DEI rebelles, exorcizo ✝ conſtringo ✝ cogo ✝ compello ✝ & vobis viriliter impero, ut meis obediatis præceptis, ab hoc corpore velociter exeundi: qui, licet indignus ſim, vilis, debilis, ac peccatorum ſarcinâ preſſus: auctoritate tamen mihi traditâ à ſancta Romana Eccleſia, in ſolidiſſimâ JESU infantis virtute, ac meritis fundatâ, applicando omni conamine mentis, & corporis contra te, tuósque peſſimos ſectatores & ſocios easdem cæleſtes hujus pueri JESU voces, vagitus, atque ejusdem dexteræ benedictiones, vos ejicio ✝ & ab hoc tempore, ſive intus, ſive foris adeſtis: vos eradico ✝, vos fugo ✝, vos flagello ✝, vos extermino ✝, vos enervo ✝, vos maledico ✝, atque indefeſsè vos contemno ✝, in nomine DEI Patris ✝, & JESU Filii ✝, & Spiritûs ſancti ✝.

Ut quid ergò infernales beſtiæ ſtatis, & obſiſtis tantæ potentiæ? ſi de parvulo Chriſti præ-

curſore adhuc in matris clauſo utero, dictum ſcitis: *Quis putas puer iſte erit?* & hoc: *quia manus Domini cum illo aderat:* Quid vos dicendum exiſtimatis de puero iſto ſublimi, ac præcellenti, qui dicitur JESUS; in quo non tantùm dextera, verùm & cuncta DEI virtus, cunctáque potentia eſſentialiter ac indiviſibiliter continetur? Quis putas, ô peripſema tartarorum viliſſimum, quis putas puer iſte ſit? Hic eſt enim excelſus ille, atque terribilis, qui ob noſtram infirmitatem extenuavit ſe incapacibus, & ſui velamine corporis, ſplendorem Majeſtatis ſuæ, quem viſus hominum non ferebat, obtexuit. Hic eſt, qui factus forma ſervi, forma DEI eſſe non deſtitit, nec alter cum altero, ſed unus in utroque. Hic eſt ille magnus, & admirabilis, fortis, & impaſſibilis, qui ſuſcepit triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur. Debuit ergo dolorem hominis ſuſcipere, ut vos vinceret, dæmones. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem. Hic eſt ille ſublimis, qui de infirmiori ſexu fortior gignitur: quando de altera quaſi Eva, quæ verè Mater eſt omnium verè viventium, ſecundus Adam generatur. Caput veſtrum, & princeps lucifer illius quondam expertus eſt vires; & vos omnes, ſectatores peſſimi, adhuc falces fertis cicatricum, quas à validiſſimo ejus brachio, miſeri, retuliſtis, ſcriptum eſt enim: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Non vos pudet, fœtidiſſima ſtercora, panem animarum à DEO effectarum, & præcipuè
iſtius

iſtius creaturæ, veſtrâ peſſimâ obſidione conſpurcare? nósque Sacerdotes Altiſſimi, ejúsque Miniſtros, atque Paſtores impedire, quò minùs illum frangere poſſimus, cùm ſciatis, parvulum DEI Filium JESUM vagitibus, atque lachrymis illam præ fame inceſſanter appetere? Quapropter niſi hoc domicilium occupare ceſſabitis, creaturam iſtam (quæ eſt panis purus & mundus qualem inveniſtis, relinquentes; panis veſter, & potus ſint vobis à DEO ipſo, *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum*, ſulphur, pix, abſynthium, reſina, plumbum, venenum aſpidum, botrúsque cypri amariſſimus, ad mille gradus augenda ſupra veſtram quotidianam in inferis portionem: ſic mando, ſic volo, ſic jubeo, & in nomine Altiſſimi JESU efficaciter impero † Amen.

Sed jam ad cæleſtem parvulum JESUM redeamus, qui mirabila magna ſolus efficit in cœlo, & in terra: quíque humilitate, ac vitæ innocentiâ parvulos ad ſe advocat, dicens: *Sinite parvulos venire ad me.* Puer inquit, natus eſt nobis. Memento creatura damnata, reprobata, atque à DEO ſempiternîs repleta maledictionibûs; Memento, ac meditare, hunc eſſe puerum illum, de quo aliàs modulatur carminibus: *Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* O voces dulciſſimas? ô cantus ſuavitate pleniſſimos! ô divina carmina, ſublimi afflata ſpiritu, ac ſapientia! canit de puero, quæ puerum ipſum inviolata concepit; quæ puerum illibata geſtavit in utero, quæque caſtiſſima peperit, atque ube-

rum ſuorum lacte aluit: quia nobis fuit natus, nobisque ex intacta Virgine datus. Suſcepit, inquit ipſa, puerum ſuum Iſraël. Cùm videlicet DEUS Pater omnipotens, *memor in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille generationes*, multa poſt ſæcula, multáque annorum elapſa curricula quod promiſerat, fideliter exhibuit? verbum ſcilicet caro factum; Semen illud Abrahæ verum; de Spiritu ſancto Virginali utero ineffabiliter conceptum, nobis hominibus præbuit: in quo non modò Iſraëlitarum, verùm & gentium ſalus effecta eſt, ad veſtram, ô dæmones, æternam perditionem: non enim quia in vili, terreſtrique venit Altiſſimus paupertate, regium depoſuit Principatum. Non quia humanitatis ſuſcepit formam, divinitatis in ipſo minuitur auctoritas: quoniam ſummæ benignitatis demiſſio, non erit ſubſtantiæ transmutatio: neque ab excelſo Patre ſeparatur, cùm à terrena matre portatur.

Per hanc ergò, per hanc ſublimem mulierem, ad tàm grande opus à DEO electam, vos exorcizo ✠ ô rebelles cœlorum. Per Mariæ verba ſuaviſſima, atque concentus, vos adſtringo ✠ per ejusdem Mariæ illibatam Virginitatem vos compello ✠ per infallibilia DEI promiſſa, in ejusdem Virginis completa viſceribus, vos cogo ✠ Per DEI Verbum, Caro factum, vobis impero ✠ Per ſalvationem hominum, iſtius pueri miſſione manatum, vobis firmiſſimè mando ✠ ut, velitis, nolitis, virtute omnium prædictorum, ac dicendorum,

rum, veſtra frangatur durities, veſtraque ſuperbia retundatur, obediendo præceptis meis, ad DEI omnipotentis honorem. Da igitur gloriam DEO Patri, da gloriam Verbo DEI Filio: da gloriam DEO Spiritui ſancto: da gloriam unà cum tribus divinis Perſonis etiam Deiparæ Virgini, per quam humana natura DEI Filium gratiosè ſuſcepit, natum in ea de ejusdem Spiritûs Divinitate &c.

Fuiſti jam, & tu ô miſerrima creaturarum, fuiſti de numero filiorum Altiſſimi, dum ſcriptum eſſe ſcias: *Ipſe eſt principium viarum DEI, qui fecit eum.* Verum, cùm adhuc tener, ac parvulus eſſes, atque omnipotentis manu ſuſtentareris, fruſtra tuæ fiſus ſuperbiæ, terga vertiſti Creatori tuo, ingratiſſimè fugiens: & cum principe tuo ſtultè locutus es: *Aſcendam ad Aquilonem: ſupra montem teſtamenti recumbam, & grandis ero ut Altiſſimus.* O riſum, ô planctum, ô damnabilem in æternum ſtultitiam! adhuc recens ortus, proſilire præſumpſiſti, ac fortiter cecidiſti: aſcendere in cœlum Divinitatis tentâſti, ſed propriæ cognitionis ſcalam, miſer, ſubſternere neglexiſti. Quomodo gigantis æqualitatem conſequi volebas, dum calceamentis infimæ humilitatis nequaquam uti conſueveris? ſoleas dejectionis nunquam in pedibus tuis habuiſti: & ſupra crepitas, elatus, ac tumens, greſſus facere auſus fuiſti: & ſic meritò ad infernas ſedes, ſeclusâ omni ſpe reparationis miſerrimè corruiſti. Idcircò enim non ſuſcepit, neque unquam ſuſcipiet te manus

Digitized by Google

Ompipotentis, ſicuti ſuſcepiſſe jam vidiſti puerum ſuum Iſraël. Non extendet ad te, nec ſuſtentabit te Altiſſimi brachium; quia liberè, nemine opprimente, atque impellente, tuum reliquiſti Conditorem, tuíque oblitus es Creatoris. Nos, nos, inquam, rationales creaturas ſuſcepit, & quotidie ſuſcipere non deſinit, Sacramentorum amplexibus; validiſſimus Samſon ille cœleſtis, qui veſtrâ nos pulſos invidiâ, veſtrâ tentatos nequitiâ, veſtrâ fallaciâ deceptos, veſtrà ſuggeſtione deluſos, veſtráque nequitiâ proſtratos videt. Ideo canitur: *Puer natus eſt nobis*, id eſt, non vobis; nobis DEI filiis, non vobis DEO adverſariis; nobis electis, non vobis maledictis; nobis hominibus, non vobis dæmonibus; nobis cœlorum civibus, ac DEI domeſticis, non vobis inferni cultoribus, Sanctorum perſecutoribus, Empyrei deſertoribus, Deique rebellibus: magnum, magnum quippe eſt hujus muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, ut DEUS ipſe, hominem, non Angelum vocet filium; & homo DEUM vocat Patrem.

Per illam ergò Altiſſimi potentiam, te, & ſocios tuos hinc exire compello ✝ quâ ex nihilo te, tuámque effecit naturam. Per illam virtutem te exorcizo ✝ quâ te ingratum, atque ſuperbum fortiter ad ima depreſſit cum lucifero, ejúſque ſectatoribus. Per inflexibilem DEI juſtitiam te urgeo ✝ qua te deſertorem gratiæ ipſius fortiter dejecit; ita ut omni ſpe remotâ, nunquam illam aſſequi valeas. Per illam miſericordiam magnam

gnam te ligo ✠ cujus DEUS ipſe recordatus, ſuſcepiſſe dicitur Iſraël puerum ſuum JESUM, Redemptorem noſtrum. Per cuncta denique jam dicta, atque dicenda, quibus compelli, ligari, adſtringi, atque fugari poſſis tu, & ſocii tui: ac per virtutem, & efficaciam omnium ipſius DEI Geniti JESU operum, atque ſermonum, te, & vos omnes dæmones compello, ut omni morâ poſtpoſitâ, cedatis DEO, cedatis Altiſſimo; atque divinis mandatis per me Chriſti JESU Miniſtrum vobis indictis, atque indicendis, incunctanter obtemperetis, recedendo tùm realiter, cùm virtualiter ab hac DEI creatura N. ſanguine Filii ejus JESU Chriſti redemptâ; atque ad loca vobis ab omnipotenti DEO deſcripta, præcipites ruatis.

Sed perpendite, ô ſtulti, ac nequiſſimi ſpiritus, quid de excelſo hoc parvulo JESU, eadem ſancta Mater Eccleſia, DEI edocta ſpiritu, ſuaviſſimè concinat: *Puer natus eſt nobis.* O miraculorum miraculum! Puer effectus eſt ille, qui ſemper fuit plenus ætate: qui tempora moderatur, dies & annos, ſæculáque diſponit: qui fuit ab initio abſque initio; qui eſt, quíque in æternitate permanſit, ac nunquam finem aſpiciet. Puer factus eſt ille, ante cujus oculos mille anni tanquam dies heſterna, quæ præteriit, computantur. Puer natus eſt ille in tempore, qui ab æterno à temporum conditore fuit genitus, pertulítque Dominus veſperam temporalitatis noſtræ, ut nos reduceret ad lumen inocciduum perennitatis ſuæ. Puer factus eſt ille, qui cum unus ſit in Deitatis ſubſtantia, ineffabilis, inæſtimabilis,

incomprehenſibilis; imminuit ſe tamen, factus parvulus, ut nos parvulos, magnos, Deóque ſimiles efformaret. Puer factus eſt ille, qui, cùm eſſet Verbum Patris ingeniti, ab eóque inſeparabile; ac Patri luminum coæquale, & omnia cum illo diſponens; carnem habere voluit nobis ſimilem, paſſibilem, parvulam ac mortalem. Puer factus eſt ille, qui, cùm eſſet ſplendor cæleſtis gloriæ, & figura præcellentiſſimæ Deitatis ſubſtantiæ; cui omne genu flectitur, omnis lingua confitetur, Altiſſimo æqualem eſſe; ſeipſum nihilominus exinanire complacuit, accipiens ſervi formam, & corpus. Puer factus eſt ille, qui cùm eſſet ante ſæcula Rex Regum, & Dominis Dominantium, cujus regnum non eſca, & potus, ſed juſtita, pax, & gaudium in Spiritu ſancto; humiliari tamen, conſtringi, arctari, atque anguſtiſſimo Virginis ergaſtulo ſe mancipari voluit oriens nimirum Creator ex creatura, factor effectus ex factura: In Virginea puellæ vulva conceptus, qui vaſtiſſimâ totius mundi amplitudine non tenetur. Jacens intra maternos amplexus parvulus, qui cum coæterno Patre, rerum omnium jura gubernat immenſus.

Per hujus igitur virtutem Altiſſimi, qua ſe, contra vanam, ac temerariam veſtram elationem exinanivit, vos iterum, ac fortiùs adjuro ✠. O dæmones, & vos ipſos deprimatis, proſternatis ac coram tantæ Majeſtatis Divinitate, atque benignitate, veſtram agnoſcatis ſuperbiam, exeuntes ab hoc corpore. Per ejuſdem DEI ſapientiam, quâ humanitatem Deitati conjunxit, eâmque ad

Pa-

Patris dexteram in cæleſtibus collocavit, vos exorcizo ✝ ut recedatis ab hac creatura emittendo, ſeu deſtruendo (ſi adſunt) omnes ligaturas, ſignaturas, facturas, maleficia, aliaque ſimilia ſolventes; & iſtam ſanam relinquatis, ſuo ut poſſit deſervire Creatori, quem vos ingratiſſimè deſeruiſtis, per ejusdem pueri JEſu divinitatem, hypoſtaticè noſtræ carni conjunctam, impero tibi ✝ ſpurciſſime caput iſtorum ſpirituum, ut pareas & obedias præceptis meis, DEI nomine tibi indictis, ſub pœna centuplici, pœnarum tuarum æternalium. Urgeat te ✝ DEUS Pater generans. Urgeat ✝ te Verbum à DEO Patre genitum. Urgeat te ✝ Spiritus ſanctus ab utroque procedens: Humiliet te ✝ potentia Patris: Opprimat te ✝ ſapientia JESU Filii: Comprimat te ✝ virtus ſancti Spiritûs, ac tota Trinitas, indiviſibiliter in Chriſto manens, te proſternat ✝ te diſſipet ✝ fuget ✝ torqueat ✝ deleat ✝ adſtringat ✝ te denique ad parendum compellat Dei incarnatio Verbi, & hinc fugere te cogat humilitas Salvatoris, & Caro ex Virgine ſumpta &c.

Sed jam ulteriùs ad divini pueri JESU laudes properemus. *Puer natus eſt nobis.* O partus admirabilis! O principium ſine principio nati. Humanitas quidem principium habuit, divinitas verò ſine Principio extitit: farma farmam aſſumpſit, nec Trinitas excrevit in quaternitatem: duarum naturarum unio in unius filii partu, verbi & carnis inconfuſa unitio: & is, qui ſecundùm carnem natus eſt, DEUS eſt ex parte, & ho-

mo ex Matre. O Sacramentum, & admirabile myſterium! quis unquam vidit Regem, rei habitu indutum? vel qui oculus univerſum prorſus comprehendit ſolem. Et hic, hic idem nobis natus eſt Puer. Non meruit veſtra ſuperbia, atque temeritas, ô angelica turba damnata, non meruit veſtra perfidia, Deum Verbum veſtram aſſumere formam, ut veſtro lapſui remedium adhiberet: quia, cùm fuiſſetis ab Omnipotenti ejus virtute creati, recti, ſtabiles, atque perfecti, decori virtute, fortes potentiâ, perſpicaces intelligentiâ, boni, malique notitiam habentes: quod appetendum, quódve reſpuendum rectè noſcentes; malum potiùs, quàm bonum liberè elegiſtis; falſum, & non rectum amplexati eſtis: tenebras & non lucem amâſtis, amarum deglutiſtis, dulce reſpuiſtis, luciferúmque ſecuti, Deum verum, Deum veſtrum deſeruiſtis. Errâſtis omnes ab utero creatricis Divinitatis ejus & locuti falſa, imò iniqua, dixiſtis: *Super aſtra cœli exaltabimus ſolium noſtrum.* O ineptia, æternis lugenda gemitibus! *Quæ fuit iſta transgreſſio?* cur reliquiſtis Dominum Deum veſtrum, ædificantes altare ſacrilegium ineptiæ veſtræ, atque ab Altiſſimi cultu recedentes? ſed quia dereliquiſtis ſanctum, meritò & ipſe dereliquit vos. Deſeruiſtis Ducem pubertatis veſtræ, pactique DEI veſtri nón eſtis recordati; idcircò longè factus eſt à vobis excelſus. Perverſa cogitatio veſtra ſejunxit vos à Deo, & averſio veſtra, ô inſenſati parvuli! interfecit: & perdidit vos, ab iſtiúsque divini infantis gratia vos in æternum ſejunxit,

No-

Digitized by Google

Noſtram, ô invidi dracones, noſtram dignatus eſt Deus naturam aſſumere, noſtrámque induere mortalitatis carnem. Etenim cùm veſtro videret livore primum hominem deceptum, ut Dei transgrediendo mandatum, fallaciter adverſaretur, ſcutô Divinitatis ſuæ validiſſimô protexit nos, & brachio fortiſſimæ ſuæ virtutis de cœlo miſſô, noſtram protexit fragilitatem, erexítque ruinam.

Igitur per juſtiſſimam ſummi DEI vindictam, contra vos, & veſtram ingratitudinem operatam, atque ſuperbiam, vos iterum conjuro † ut cedatis mihi Sacerdoti Miniſtro Chriſto. Per ineffabilem DEI circa nos miſericordiam, quâ noſtram aſſumpſit carnem, vos exorcizo † per infinitam Dei benignitatem, atque clementiam, vobis impero † ac validiſſimè mando, ſub pæna ſine fine augenda, ut illicò recedatis ab hac creatura, aliàs ira Dei ſit contra vos † potentia Omnipotentis puniat vos † Altitudo Dei humiliet vos † Fortitudo Dei comprimat vos † vósque diſperdat, mittens in gehennam ſine fine concremandos.

Sed meliùs attendite, ô tartarei ſerpentes, quid ulteriùs, ex Iſaiæ vocibus ad veſtram intonet confuſionem, noſtrámque exhilarationem ſancta Mater Eccleſia, ait enim: *Et filius datus eſt nobis.* O ineffabilem DEI benignitatem! ô mare! ô pelagus immenſæ charitatis; de qua ſcriptum eſt: Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret. Filium dedit nobis de cœlo Pater cœleſtis, non ſervum, non domos, non præ-

prædia, non argentum; non aurum. Sumant hæc omnia tenebrarum principes mundi hujus, vósque tartarea mancipia cum omnibus avaris aſſeclis veſtris: Sumite, inquam, vos lutea iſta, atque fictilia, ò infernales ſues; quia nobis tanquam dilectis filiis, Dei largitur Filius, cœlorum Dominus, ſyderum Dominator excelſus! cùm ſcriptum ſit: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Sed unà cum Dei Genito præſtatur & nobis cœlorum regnum: quia cum illò Empyrei poſſeſſores efficimur: illius, inquam, Empyrei, ô damnati, ex quó vos ejecti fuiſtis: illius, inquam, Empyrei, quod vos veſtrâ amiſiſtis ſuperbiâ; illius, Empyrei, in quo veſtras ſedes primò collocavit Altiſſimus, ſed quia ampliùs aſcendere auſi eſtis: æqualitatem Dei Geniti appetentes, idcircò inde evulſi, fortiter corruiſtis, atque igneas iſtas, inferaſque ſedes occupâſtis, ubi inceſſanter ignibus ardebitis ſempiternis. Verùm ſi nobis DEI Filius datur, quis adversùs nos conſurgere audebit? quomodò pugnare contra creaturam iſtam, ô tartarei, veſtra valebit crudelitas? Inſidietur infernus animæ juſti, illámque livore nequiſſimo ſuis magicis artibus, operibus, ligaturis, veneficiis, fœtidiſque compoſitionibus deglutire tentet; nihil tamen penitùs ipſe proficiet; quia inanè à DEI manu extrahi tentatur, qui tam ſublimi, validóque roboratur præſidiô, atque protegitur. Eratis & vos aliquandò lux, æternæque lucis Filii, cùm de veſtra creatione enuntiatum fuiſſe ſciatis ab Omnipotentis voce: *Fiat lux, & facta eſt lux*: Lux il-

la

la videlicet matutina, quæ Lucifer appellabatur; veſter videlicet Princeps cum omni cœleſtium ſpirituum exercitu. Verumtamen, cùm retroverſi, dilexeritis magis obſcurum, quàm lucem; falſum potiùs, quàm loqui æquitatem volueritis: ideò felicitatis, atque ſublimitatis veſtræ gloriæ mutatæ ſunt vices, ſorteſque convolutæ; dum vos, qui ſuperna quondam, atque cœleſtia contemplabimini, nunc ad ima dejecti, ſedetis in tenebris, & umbra mortis. Vos, qui primò lux eratis, tenebræ evaſiſtis. Vos, qui Altiſſimi Primogeniti dicebamini, nunc abjectiſſima evaſiſtis mancipia; nec DEI tantùm, ſed & hominum, & jumentorum: cùm non tantùm per nos Dei Miniſtros torqueamini, & ad noſtrum nutum fugemini, ac fortiter verberemini: ſed, quod ridiculum, ad viliſſimarum muliercularum leviſſima incantationem verbula, vanàſque ſuperſtitiones, & ſigna, tam in jumentis, quàm in plantis, lapidibus, pulveribus, metallis, ſeminibus, elementis, aliiſque inſenſatis inſtrumentis immiſſa, atque diſpoſita, vos præſto eſtis, & ad parendum vos ipſos accingitis. Econtra, ô beata Sors! ô ſummum DEI munus, ſumma potentia! nos, qui ſervi eramus, Dii dicimur, Excelſique Filii: Nos, qui imbecilles eramus, fortes effecti ſumus: nos, qui olim in terris dejecti incedebamus, nunc ſuper ventorum pennas equitare aſpicimur; cùm ſcriptum ſit: *Vidi ſervos in equis, & dominos ambulantes:* Nos, qui ad ima poſiti, miſeri premebamur; tandem in cœlorum faſtigio ſupra veſtros thronos ô

an

angeli deſertores, triumphatores ſedere ſperamus; ſicuti copioſiſſimum, atque invictiſſimum Sanctorum chorum conſidere jam ſcitis, & meritò: etenim ſi ille, cujus gloriam vidimus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, ille dicitur butyrum, & mel comedere: ecce igitur tremenda illa poteſtas poteſtatibus Angelicis, comedendo, & bibendo, ſe communicavit hominibus, & jumentis. Si Dominus itaque Angelorum, propter homines factus eſt particeps jumentorum; cur è diverſo, homo per ipſum non multò magis fiat particeps Angelorum? De cujus ſoliditate veritatis *dicant nunc ipſimet, qui redempti ſunt à Domino, quos de manu veſtra ô inimici, ipſe redemit;* & de orbis terræ regionibus congregati ſunt in cælorum faſtigiis. Dicat nunc igitur ſacer Apoſtolorum ſenatus, quæ ipſi in cœlis veſtrûm miſerorum ſedilia occupent. Dicat nunc invictiſſimus Martyrum exercitus: enarrent piiſſimi Eccleſiæ Pontifices: prædicent præclariſſimi Dei Eccleſiæ Doctores: dicant conſtantiſſimi Confeſſores: eructent inclytæ Dei Virginis, ac Viduæ: teſtificentur tandem de lucidiſſimis ſuis ſedibus, quas Dei munere poſſident, excellentiſſimus Eccleſiæ Doctor Hieronymus; ſanctiſſimus ille Antonius, beatiſſimus ille Benedictus, piiſſimus Antonius Abbas, Hilarius, Bernardus, Franciſcus, Dominicus, Vitus, Ubaldus, Zeno, Carolus, Cajetanus, Andreas Avellinus, cum omni militia cœleſtium civium ſuper veſtras, quas amiſiſtis æthereas ſedes, ô miſeri, exaltati. Et vos omnes, diaboli, olim cœleſtes ſpiritus, nunc inferorum ci-

cives; olim æternæ addicti gloriæ, nunc verò ob veſtram damnati perfidiam: olim jubilantes, nunc perpetuò lugentes; date gloriam DEO, date gloriam Altiſſimo, ac contra vosmetipſos ſinceram jam ferte ſententiam, dicentes: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Patrem noſtrum, in Conditorem DEUM, omniúmque Creatorem.

Et ego, ejusdem Altiſſimi nomine, atque (ut ejus Miniſter) auctoritate ab eodem JEſu mihi traditâ, excommunicationis jaculo vos millies ferio, niſi meis parueritis mandatis: vos anathematizo ✝ vos contemno ✝ vos exorcizo ✝ vos iterum, per eundem DEI Unigenitum ✝ adſtringo. Vos adjuro ✝ per JEſum, Dei Verbum, nobis datum, nobis in carne natum. Cogo vos ✝ ut abſcedatis, per immenſam Dei Patris, circa nos charitatem, quâ talem, ac tantum præbuit nobis Filium, ſibi natura æqualem, ut & nos Dei Filii per gratiam eſſemus. Conjuro vos ✝ per Dei erga nos clementiam, atque benignitatem, qui cùm multa nobis elargiri potuiſſet, ut nos à peccati nece redimeret; Unigenitum tamen Filium ſibi naturâ æqualem nobis præſtitit, ac donavit. Conſtringo vos ✝ ô raptores animarum, per ejusdem Dei Geniti cum Patre æqualitatem. Compello vos ✝ canes nigerrimos per cœlorum Regnum, per cœlorum Dominatorem ✝, per ſyderum effectorem ✝, per Empyrei Rectorem ✝, per Deum verum ✝, per Deum ſanctum ✝, per Deum vivum ✝, per Deum Trinum ✝, per

per Deum unum †, per Deum JEſum † deſuper ab Angelis ſic vocatum † per Deum Chriſtum † per Mariæ Filium † per JEſum Mariæ integerrimis incarnatum viſceribus † per JEſum, Mariæ candidiſſimis brachiis amplexatum † per JEſum, Mariæ ſuaviſſimo lacte potatum † per JEſum, Mariæ manibus in præſepi collocatum † per JEſum, Mariæ ſacratiſſimis labiis exoſculatum † per JEſum, circumciſionis lapide vulneratum †. Urgeo vos † omni cordis, mentiſque conatu, atque ejusdem JESU virtute munitus, per ſplendidas illas ſedes, quibus nefandiſſimi, ingratiſſimi, infeliciſſimi, vos meritò ejecti fuiſtis, quáſque, veſtrûm vice Beatorum occupat chorus gaudentium, ſuaviterque canentium, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus fortis, Deus omnipotens, Deus exercituum. Cædo vos † ejicio vos † diſſipo potentiam veſtram † per Sanctorum gaudium, illorum præcipuè, qui eosdem veſtros ſortiti ſunt lucidiſſimos thronos. Expellant igitur vos † ſancti Patriarchæ & Prophetæ. Expellat mecum vos † Sanctus Chriſti Præcurſor Joannes Baptiſta. Expellant vos † mecum ab hoc corpore Sancti Apoſtoli. Cogat mecum vos † obedire inviſtiſſimus chorus Martyrum, nec non & Confeſſorum, Eremitarum, Doctorum, atque Virginum candidiſſima turba: illorúmque maximè Beatorum ſocietas vos mecum exorcizet † contundat † diſſipet † quorum virtutem, atque potentiam fortiùs validiusque pavetis. Concutiat vos tandem pertinaciâ plenos, primus Chriſti ſanguis, pro nobis largiter effuſus † Coarctet vos fugam arripere,

Digitized by Google

re dolor Chriſti JESUS ✝ expellat vos tartareos Circumciſio JESU infantis ✝ eliminet vos mendaciſſimos vulnus JESU parvuli duriſſimum ✝. Perterreat vos obduratiſſimos culter, carnis JESU Redemptoris percuſſor ✝. Feriat vos nequiſſimos Mariæ dolor, Mariæ inviſibilis gladius, ſuam ipſius transverberans animam ✝ fugent vos vagitus ſuaviſſimi Chriſti JESU infantis, ſic pro nobis percuſſi ✝ ſimulque Mariæ, ac JESU lachrymarum imbres in Circumciſionis myſterio pro hominibus effuſi vos potenter incendant, vos crucient, vos torqueant. In nomine Patris ✝, &c.

Exorciſmus II.

In Hebdomada Paſſionis, & in majori. In Feſtivitatibus ſanctæ crucis, & qualibet ſexta feria per annum.

Præparatio ut ſuprà in primo Exorciſmo, præter ea, quæ hìc ponuntur propria.

✝ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem ✝ ℟. Gloria tibi, Domine, ✝.

IN illo tempore: Dixit JEſus Nicodemo: Nemo aſcendit in cœlum, niſi, qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum,

 non

non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera: omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.
℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur †, diſſipetur †, & deſtruatur † in te N. omnis diaboli virtus. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Dicantur Litaniæ Sanctorum ut ſuprà in primo Exorciſmo:

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Per ſignum Crucis † de inimicis noſtris.
℟. Libera nos, Deus noſter.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimicorum infernalium.
℣. Nihil proficiant inimici in nobis.
℟. Et filii iniquitatis non apponant nocere nobis.
℣. Pluat ſuper peccatores laqueos.
℟. Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

℣. Lo-

℣. Loquere eis, Domine, in ira tua.
℟. Et in furore tuo conturba illos
℣. Diſperde, DEUS, labia iſta doloſa.
℟. Et linguas eorum magniloquas.
℣. Humilia ſicut vulneratos ſuperbos.
℟. Et in brachio tuo diſperde inimicos tuos.
℣. Virgam virtutis tuæ emitte, Domine, ex Sion.
℟. Et dominare in media inimicorum tuorum.
†℣. Fac mecum, Domine, ſignum † in bonum.
℟. Ut videant, qui oderunt me, & confundantur.
℣. Ecce Crucem Domini †.
℟. Fugite partes adverſæ.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

ADeſto Domine DEUS noſter: & quos ſanctæ Crucis lætari facis honore, ejus quoque contra hos dæmones defende ſubſidiis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Filium tuum &c.

Excita, quæſumus, Domine, potentiam tuam, & veni; ut qui in crucis, & Paſſionis tuæ virtute confidimus in hac dæmonum lucta fortiter reſiſtendo, ab eorum fraude miſericorditer eruamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Pſalmus 21.

DEUS, DEUS meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti? *ex prima Feriæ ſextæ.*

Digitized by Google

Lectio Libri Eccleſiaſtici.

Alleva, Domine, manum tuam ſuper gentes alienas, ut videant potentiam tuam; ſicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis; ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis, ut cognoſcant te, ſicut & nos cognovimus, quoniam non eſt DEUS præter te, Domine. Innova ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum; excita furorem, & effunde iram: tolle adverſarium, & afflige inimicum: feſtina tempus & memento finis, ut enarrent mirabilia tua. In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur; & qui peſſimant plebem ſuam, inveniant perditionem: Contere caput principum inimicorum, dicentium: Non eſt alius præter nos. Tu autem Domine miſerere nobis.

℟. Deo gratias.

Oremus.

PRæſta, quæſumus, omnipotens DEUS, ut, qui noſtris exceſſibus ab hoſte maligno inceſſanter affligimur, per Unigeniti tui Paſſionem miſericorditer liberemur. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, &c.

Hymnus.

VExilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo,
Quo vulneratus inſuper
Mucrone diro lanceæ,
Ut nos laveret crimine,
Manavit unda, & ſanguine.

Im-

Impleta ſunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus;
Regnat à ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Sæcli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Prædámque tulit tartari.
O Crux ave ſpes unica,
In hoc mæroris tempore;
Auge nobis conſtantiam,
Obſeſſis dona veniam
Te ſumma Deus Trinitas
Collaudet omnis ſpiritus,
Quos per Crucis myſterium
Salvas rege per ſæcula, Amen.

℣. Dicite dæmonibus.
℟. Quia Dominus regnavit à ligno.
℣. Dominus vobiſcum &c.
✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.
℟. Gloria tibi, Domine ✠.

IN illo tempore, dixit JEſus diſcipulis ſuis: Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifice nomen tuum. Venit ergò vox de cœlo dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergò, quæ ſtabat, & audierat, dicebat: tonitruum eſſe factum. Alii dicebant:

Angelus ei locutus eſt. Reſpondit JEſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum: hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus.

℞. Laus tibi, Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur ✠ diſſipetur ✠ & deſtruatur ✠ in te N. omnis diaboli virtus. In nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritûs ſancti †. Amen.

Oremus.

DEUS, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum ſubire voluiſti, ut inimici à nobis expelleres poteſtatem; concede huic famulo tuo N. à dæmonibus obſeſſo, ut ejus meritis, & paſſione, liberationis gratiam conſequatur. Qui tecum vivit & regnat in unitate &c.

Aſpergens creaturam, dicat:

Aqua benedicta extinguat † & ſeparet à te † omnia dæmonum ficta. In nomine Patris †, & Filii ✠, & Spiritûs ſancti †. Amen.

Exorcizatio creaturæ obſeſſæ.

✠ Extinguatur in te N. creatura DEI vexat omnis virtus diaboli, per ſanctiſſimæ Crucis † ſignum: imò per invocationem ſanctiſſimi, ac tremendiſſimi nominis JEſu †, qui DEO Patri factus obediens usque ad mortem crucis, exaltari, tribuique illi nomen meruit, cui omne genu flectitur, cæleſtium, ter-

terreſtrium, & infernorum. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Oremus.

RESpice, quæſumus, Domine, ſuper hunc famulum tuum N. à dæmonibus vexatum: pro quo Dominus noſter JEſus Chriſtus no dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate &c.

Exorciſmus.

EGo, iniquorum omnium peſſimus, DEI tamen Omnipotentis benignitate, ad ſublime ſacerdotale culmen, ad ipſiúſque Domini miniſterium indigniſſimè provectus, auctoritate mihi præſtita à ſancta Romana Eccleſia, ejusdem ſponſa, ſuper infernorum aſpides, ſerpentes, atque dracones; & in virtute ejusdem Altiſſimi, aggredi audeo vos omnes abyſſi dæmones, qui hanc Dei creaturam, ſacrô baptiſmatis ſignô munitam, vexatis, & infeſtatis. Id circò per potentiam ejusdem, qui vos rebelles ſpiritus, rectos, atque perfectos in natura creavit, in primis exorcizo † & adjuro † ut mihi, tanquam Miniſtro Chriſti debitam præſtetis obſequentiam in cunctis, quæcunque opus fuerit à vobis exigi ad honorem DEI, ad confuſionem veſtram, & ad proximi hujus levamen, atque ſalutem. Conjuro vos † ergò per nomen ejus, qui eſt excelſus, magnus atque terribilis, & faciens mirabilia, ut, velitis, nolitis, mea juſſa exequamini, quæ ſemel pro millies ſint vobis cognita, ejiciendi vos omnes ex hoc corpore, & à

 qua-

qualibet ipſius parte ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, cum omnibus maleficiis veſtris, atque facturis quomodo libet conſtructis; ita ut relinquatis illicò creaturam hanc ſanam, qualem inveniſtis, neque amplius eam impoſterum invadatis. Adſtringo vos † per eandem ſummi DEI mei virtutem, ut citiſſimè pareatis. Cogo vos † per Altiſſimi Majeſtatem ut omni fraude, atque nequitiâ veſtrâ remotâ, cedatis mihi † cedatis Miniſtro Chriſti, cedatíſque DEO † qui vos de cœleſtibus depulit ſedibus. †

Verùm, ne ulla ante DEI tribunal adſit vobis excuſatio, explico, quid ſentiam in hac cauſa; ligare videlicet volo caput, ac ducem veſtræ iſtius cohortis, hic vel alibi commorantem, cunctóſque ipſius ſectatores, vel intus, vel procul exiſtentes. Item cogito, omnes iſtas conjurationes, atque præcepta, à me DEI nomine fulminanda, cadere non tantùm ſupra, vel contra vos, verùm etiam adverſùs omnes, ſive corporeas poteſtates, quò minùs verbum DEI atque mandata mea impleantur, obſtantes: propterea námque efficaciſſimè abſolvere † reſolvere † delere † atque ad nihilum reducere decerno quodlibet veneficium, pactum, ligamen, ſcriptum, ſignum vel maleficium à quacunque potentia, ſive implicitè ſive explicitè, quovis modô, & fo mâ conſtructum: In nomine Dei Patris †, & Filii †, & Spiritûs † ſancti. Tandem cogito, te caput nefandiſſimum, ac ſocios tuos, & quoſcunque alios tartareos ſpiritus, impedientes, remorantes, vel huic meæ obſiſtentes voluntati, cunctîs pœnarum generibûs gravare, quibûs à divina

na potentia de momento in momentum gravari poteſtis, uſquequô DEO, & mihi ejus Miniſtro ſatis peculiariter faciatis. Ad cuncta autem hæc præcepta, conjurationes, ac cruciatus ſemel pro milies vos obligare puto, atque conſtringere, in virtute † ejusdem ſanctiſſimæ, atque potentiſſimæ Trinitatis ✠ in nomine JESU † cui omne genu curvatur.

Idcircò, ô ſceleſtiſſime, ô peſſime tartarorum princeps, jam admirabile crucis ✠ Chriſti Sacramentum adeſt: jam ſacratiſſimus ejus ſanguis contra te, & ſocios tuos pertinaces duram, ac juſtam ſcribit, ſignátque ſententiam: jam denique paſſio Redemptoris vos ad obediendum, ac velociter fugiendum urget. Conjuro vos itaque † per egreſſum Servatoris trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiſſe dicitur ipſe JESUS DEI Filius cum diſcipulis ſuis: quæ ingreſſio congreſſus fuit validiſſimus, & primus contra Luciferum, & vos omnes tartareos; per quem, poſt multa, in Calvariæ caſtris fortiter pugnando vos proſterneret, ac diſſiparet. Verè ſcriptum ſcitis, ô ſuperbi: *Nova bella elegiſſe Dominum, ut portas fortium ſubverteret*: Et enim paſſionis ſuæ præludiis horti januas intrans, inferni portas confregit. Deliciarum locum primò ingrediens, quid aliud Dominus JESUS ſignificare voluit, niſi quod jocando ipſe arma veſtra retunderet, vósque ludens ſuperaret? Intrat in hortum, ut pro hominibus capi, atque vinculis alligari, delitias ſibi eſſe oſtenderet: ſicuti multò jam antè prædixit in ſa-

Digitized by Google

cris litteris: *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum*: cum illis ſcilicet, *quibus ſalus non erat*: *cùm non venerit vocare juſtos, ſed peccatores ad pænitentiam.*

Conjuro vos ✠ per efficaciſſimas illas preces, quas JEſus ad Patrem effudit in horte Gethesmani, cùm procidens ſupra terram, orâſſe dicatur, ut ſi fieri poſſet, calix ipſius paſſionis ab eo tranſiret: ubi veſtra confunditur petulanti, qui ſemper, erectô collò Deum Creatorem, atque effectorem veſtrum ingratiſſimè deſeruiſtis, & ante illum procumbere renuiſtis honorem, ac gloriam ſibi debitam abnegantes. Lucifer ille veſter ſuperbiens, Altiſſimi lateri aſſidere conabatur, & ipſemet DEI Filius, pro hominibus homo factus, in terra non eſt dedignatus genua flectere, atque humiliter procumbere docens, nos unguentô humilitatis tumorem curare veſtræ elationis. Sicque DEI celſitudo proſtrata dejecit diabolum, altum humiliavit, exaltatum ſupplantavit, confudit fortem, & deformavit elatum. Per eandem igitur Chriſti genuflexionem vos conjuro † per quam Deus exaltare illum voluit, & *donare illi nomen ſuper omne nomen*, *ut in nomine JEſu* ad veſtram confuſionem, *omne flectatur genu*, *cæleſtium terreſtrium, ac veſtri, ô dæmones infernorum.*

Exorcizo vos † per illum timorem, pavorem, atque mœſtitiam, quâ DEI Filium perculſum fuiſſe legimus, vel quam ipſemet in parte ſenſibili, atque inferiori pati voluit; cùm dicitur, cœpiſſe *pavere, tædere*, *ac mœſtus eſſe*: A qua mœſtitia fallax veſtra confundatur lætitia, quam, ô antiqui ſerpen-

pentes, veſtris ſpondetis clargiri aſſeclis in hac vita, ut eos omni penitus lætitiâ ſpolietis; illâ videlicet, quæ à DEO rectis corde promiſſa, & vobis miſeris in æternum ablata fuit, etenim DEUM ſicuti oportet timens homo, & in ipſo confidens, voluptatis radicem lucratur, omnémque habet lætitiæ fontem. Quinimò, ſicut in mare decidens immenſum ſcintilla brevis facilè deletur; ſic quantacunque DEUM timenti illi dantur inferni mala, veluti in vaſtum lætitiæ pelagus excidentia extinguuntur, atque perduntur.

☞ Conjuro vos † nefarios, per illam Chriſti agoniam, à mortis cogitatione manantem, per quam *factus eſt ſudor illius ſacratiſſimus, veluti guttæ ſanguinis decurrentis in terram:* quam etiam multò antè prædictam ſcitis cùm per Iſaiam dicitur: *Torcular calcavi ſolus:* quando videlicet ejus diſcipulîs ſomno indulgentibûs, atque horam unam nequaquam ſecum vigilare valentibûs, ſolus Angelorum Dominus onere preſſus, acerbitatis futuræ paſſionis, ab illibatæ carnis ſuæ nube, ſanguineum illum, ſacrúmque emiſit ſudorem, guſtando quidem Chriſti Caro mortis præludia, ſed impaſſibilis Dei virtus non exeundo de corpore; qui ſudor, ſicuti tartareum intenſiſſimè accendit ignem; ſic & ros extitit pro nobis ſuaviſſimus: etenim verum eſſe ſcitis, quòd igneam illam, qua vitæ regio erat incluſa, romphæam, ſacer Chriſti ſanguis extinxit. Exorcizo vos † per verba illa ſuavia JEſu Domini noſtri, quibus ſuo alloquens Genitori, dixit: *pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte: non mea tamen,*

ſed

ſed tua fiat voluntas. O vere prima in terram virtus, contra quam prævaricari primum hominem feciſtis; quámque in cruce Dei Filius nos edocet, ut qui inobediendo, à ſupernæ paternæ patriæ ſublimitate cecidimus, ad hanc, verſis veſtigiîs, per obedientiam de exilii dejectione rediremus.

Per hanc igitur Altiſſimi obedientiam, cervicibus veſtris directè oppoſitam, ô dæmones, ô arrogantiæ fontes, & contumaciæ Magiſtri, vos exorcizo ✠ cedere DEO, cedere mihi Miniſtro ejus, & obedientiam præſtare præceptis Chriſti circa exitum veſtrum.

Conjuro vos † dæmones per ſuavem illam Redemptoris vocem: *Amice, ad quid veniſti?* Et per manſuetudinem illam immenſam, qua Judæ amplexu mendaciſſimo, ſe DEI Filius prodi permiſit: Signúmque traditionis, ſæviore omnibûs telîs oſculô, præbuit: confundens vos malignos, actu iſto excellentiſſimæ charitatis, amans, amplectens, inſuper & amicum appellans proditorem peſſimum, venditorum avaritiæ plenum, diſcipulum falaciſſimum hominem ſacrilegum, miniſtrum nequiſſimum, ut tantæ dilectionis exemplô illum forſitan ad ſe convertere, ac ſervare tentaret. Exorcizo vos † ſpurciſſimos: per admirabilem vocem illam, atque terribilem, cùm Judæis interrogantibus dixit: *Ego ſum JEſus Nazarenus*: ad quorum verborum potentiam inferorum miniſtri retrorſum cecidiſſe dicuntur præ timore, ac reverentia, quoniam jam ſcriptum ſcitis per prophetam: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: Deus Majeſtatis intonuit.*

Quæ

Quæ vox, cùm ſæpiùs intonetur vobis à Sacerdotibus, Chriſtique Miniſtris, vos ad inferos projicientibus in virtute Altiſſimi, pertinaciores tamen ſemper ad nos redire conamini cum maleficiis, veneficiis, peſſimiſque operibus veſtris. Attamen ad illam vocem Judicis, quem nos ſimul, & vos tremendum expectamus, certè inſurgere ampliùs non valebitis, cùm audituri eſtis: *Ite maledicti in ignem æternum, paratum diabolo, ejúsque aſſeclis.* Sed væ vobis damnatis, væ vobis damnatis! quanta enim ſperanda, vel timenda eſt poteſtas judicantis, ſi apparuit tanta morientis?

Conjuro vos † damnatos per potentiam illam Redemptoris, qua extendens manum, aurum ſervi Pontificis ſanâſſe ſcitis: contra veſtram, ô lupi, ô diriſſimæ tygres, inſtitutum, & artem, quâ ſemper mactatis, perditis, rumpitis, torquetis, atque inceſſanter occiditis &c.

Exorcizo vos ✠ per arctiſſima vincula, quibûs nefarii miniſtri veſtri comprehenderunt JEſum, & ligaverunt illum: illum inquam, qui ligavit draconem Principem veſtrum, Luciferum, catenâ magnâ, ſecludens eum per manus Angeli in carcerem tartarorum, ne gentibus diutiùs malum inferret. Ligari voluit, ut captus, caperet; ut veſtrum alligeret Leviathan hamo, quod & ſanctus prædixerat Job: In hamo autem eſca oſtenditur, aculeus occultatur: hunc ergò Pater Omnipotens hamo cepit; quia ad mortem illiùs, Unigenitum incarnatum miſit, in quo & caro paſſibilis videri poſſet, & divinitas im-

impaſſibilis videri non poſſet. Cúmque in eo, tu ſerpens, per manus perſequentium eſcam corporis momordiſti, divinitatis te aculeus perforavit. Sicque comprehendi à malignis patitur, qui continet mundum, & eorum manibus necti, quorum corde non capitur. Ligari voluit, ut vos omnes inferni belluas indiſſolubilibûs verborum ſacerdotalium vinculis quotidie vinciret. Sed ligaverunt JEſum Judæi, quia ſic ipſe à ſacrilegis conſtringi voluit, ut nos à peccatorum ligaminibus redderet abſolutos; ſcriptum eſt enim: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, velut ovis ad victimam deſtinata.*

Conjuro vos † fœtidiſſimos, per confuſiones, & opprobria, quibus gloriæ Dominus ſubjici voluit, cùm ad præſides varios & iniquos duceretur captivus, & tanquam reus interrogaretur, ut prædictum fuit per Pſalmiſtam: *Quæ ignorabam, interrogabant me;* & aliàs: *Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & Chriſtum ejus Filium.* Itidem & admirare, funibus involutum eum, qui ſuô imperiô Lazari faſcias ſolvit. Vide eum ligatum, qui non ſolvit matris Virginitatem. Vide Pilato ſiſti eum, qui è limo terræ ipſum efformavit Pilatum. Verùm ipſemet JEſus DEI genitus, qui modò humilis, vinctus, ac manſuetus apparuit, in die noviſſimo contra vos miſeros, veſtróſque ſectatores fulgebit, ſedens juſtus Judex, fortis, & irracundus, cum poteſtate magna, & Majeſtate, ad pœnas veſtras, veſtráque ſupplicia abſque fine augenda: quoniam DEUS, ipſe

ipſe ultionum, & Dominus, uti modo veſtra corripiens ſcelera, veluti vinculatim ſe gerere videtur: tandem in die judicii magno, liberè, atque acerrimè vobiſcum agat, condemnans vos, fortitérque vos puniens.

Exorcizo vos † per trinam illam negationem, quam per ſuum diſcipulum, Apoſtolorum Principem, manſuetiſſimus Agnus iſte divinus paſſus eſt; quando interrogantibus tertiò, reſpondit: *Non novi hominem*: illum ſcilicet, quem Deum, & hominem ſæpiſſimè jam antè confeſſus, & magnalia operantem in ſe ipſo fuerat expertus; ipſe verò poſteà beneficiorum immemor, *gratiam fidejuſſoris ſui oblitus eſt, qui dabat pro ſe animam ſuam.* Verumtamen, vidit poſtmodum in eo Dominus non fidem fictam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam, ſicque fons charitatis ipſius lavit verba formidinis, & tandem ipſemet nec mundi dominam timere debere Romam, qui in Cayphæ domo expaverat ſacerdotis ancillam. Sed vos, qui tantam Petro ſuggerere auſi fuiſtis, infidelitatis notam; vos, inquam, magis ingrati fuiſtis, cùm DEI verbum adhuc non humilitatum, nec paſſum, ſed ſublimiter in altiſſimæ Divinitatis ſinum exaltatum, ſpontè, atque arroganter deſeruiſtis, nec converſi eſtis.

Conjuro vos † viliſſimos, per Chriſti manſuetudinem ſingularem, quam in alapa, ab uno miniſtrorum in faciem illius fortiter inflicta, oſtendit, antiquitùs tamen per patientiſſimum Job prædictam, *Exprobrantes percuſſerunt maxil-*

lam

lam meam, ſaturati ſunt pœnis meis, & alibi per Iſaiam: *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis*, quoniam quantò erat Dominus potentior, tantò maluit eſſe patientior, admittens in ſe impias manus furentium: quæ dum *veſtro*, ac proprio, incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori.

Exorcizo vos † canes nigerrimos, per falſas contra JEſum â Judæis conſtanter delatas accuſationes, ut illum reum facerent mortis; quod prædictum ſcitis per Jeremiam: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, nec ejus nomen ampliùs memoretur*: Et per Oſeam: *Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacium.* Illud inquam, mendacium, ô mendaciſſimi ſpiritus, cujus vos patres eſtis, ac primus in Paradiſo ſocius veſter protulit, cùm ad noſtros fallendum protoplaſtos, effatus eſt: *Eritis ſicut dii, & nequaquam peribitis &c.*

Conjuro vos † tartarorum bubalos, per duriſſimam coronam ſpineam, quam plectentes milites impoſuerunt capiti JESU, ad lacerandam, ac veſtram deponendam ſuperbiam, dum arrogantiâ pleni, ad latera Aquilonis ſedere, ac ſimiles in gloria Altiſſimi Filio effici ſtultè tentâſtis. Sed *Væ coronæ ſuperbiæ veſtræ*, quia de throno, quem affectâſtis, irreparabiliter cecidiſtis, & pro diademate, quod præſumpſiſtis, cornua recepiſtis. Propterea, ô iniqui *nolite exaltare cornu*; nolite adversùs Deum contendere, Omnipotentis reſiſtendo præceptis, qui de ſummo vos in miſeriarum barathrum dejecit.

Exor-

Exorcizo vos ✠ per opprobria, irriſiones, ac ſputa, quibûs DEI Filius poſt coronæ ludibria, à Judæis fuit affectus; de quibus prophetice per Pſalmiſtam lamentabatur: *Factus ſum opprobrium hominum, & abjectio plebis*: Et iterum per Iſaiam: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Sed cœperunt contra eum ſpuere, ut ſputaminibûs ſuſceptîs, faciem animæ noſtræ lavaret, & velamen cordium noſtrorum auferret, quod à vobis impoſitum fuerat dæmonibus; & alapîs, quibûs expalmatus eſt, maxima laus ejus noſtrîs manibûs, labiîſque plauderet, ut dicitur: Omnes gentes plaudite manibûs.

Attamen ſic deluſus, & contemptus, eſt terribilis valde vobis, ô dæmones, atque tremendus Deus ipſe Majeſtatis & gloriæ.

Conjuro vos bellnas tartareas per duriſſima corporis Redemptoris flagella, quorum numerum deſcriptum ſcitis per os David, cùm dixit: *Supra dorſum meum fabricaverunt, prolongaverunt arantes ſulcos ſuos*: Et alibi *Conſcidiſti ſaccum*, humanitatis ſcilicet meæ: Ipſe autem benignus *vulnerari, atterique voluit propter peccata noſtra*, ut ipſorum ſanaret vulnera, quæ à diabolica veſtra acceperamus invidia. Verùm, non modò medendi nobis exhibuit curam, ſed ipſe nobis factus eſt medicina. Intra marmoreum quippe columnæ mortarium tritus eſt cœleſte pigmentum, ex quo ſcilicet antidotum ſalutis æternæ profluxit, per quod humanum genus tuum, antique ſerpens, virus evomuit.

 Ex-

Digitized by Google

Exorcizo vos ✝ per confuſionem denudationis illius, qui ſolem ſplendore induit, ac radiis aſtra contegit: *Qui operit cœlum nubibûs*, ornátque terram floribûs; imò, & qui tetra regna veſtra etiam palpabili, atque æternâ involvit caligine.

Conjuro vos ✝ per notam Chriſti oſtenſionem à Pilato inditam, cùm dixit de eo ad turbas: *Ecce Homo;* ſtultè dividens ab eo divinitatis formam, cum humanâ hypoſtaticè junctam natura, ut à lucifero doctore fallaciſſimo jam didicerat, qui in cœlis adhuc exiſtens, gloriam humanitati tribuendam eſſe negavit, quam perceperat cum Deo fore copulandam. Verùm, hunc huminem, qui ab homine ob veſtram inſtigationem ſic illuditur, à Deóque ſic fallaciter dividitur (cùm verè & hominum, & Angelorum ſit unus Deus, & Dominus) nos homines vos nefandiſſimos dæmones condemnaturum videbimus à divina Majeſtate non ſejunctum.

Exorcizo vos ✝ maledictos, per æquiparationem innocentiſſimi DEI geniti cum homicida, ac fure perverſo; quando videlicet vociferantes turbæ dixerunt: *Non hunc dimittas, ſed Barabbam:* ut impleretur ſermo, qui ſcriptus eſt: *Cùm iniquis eſt reputatus.*

Conjuro vos ✝ proditores, per iniquiſſimam condemnationem, dictatam à lucifero, atque ab iniquo judice contra innocentiſſimum DEI Filium impiè latam, ut morte efficeretur; cùm tradidiſſet eum Pilatus Judæis, ut crucifigerent: ſed benè propter hoc ſcelus pœnam ſuam luerunt

runt ſacrilegi, & veſtra inferni clauſtra ipſorum perpetuò fremunt gemitibûs.

Exorcizo vos iniquiſſimos † per ſacratiſſimam Crucis Chriſti bajulationem usque ad montem Calvariæ; & per anguſtias, oppreſſiones, percuſſiones, atque dolores, quos ipſe cœlorum Rex, & Dominus Angelorum, tanto gravatus pondere pro nobis pati voluit, ut nos peccatorum ſarcinâ, quam vos impiè impoſuiſtis, dulciſſimè levaret, vósque invidos pœnâ duplici in æternum opprimeret, atque damnaret; imò, ut nobis per crucis clavem cœli portam reſeraret, vobis autem illam perpetuò clauderet: quia ſcriptum eſt: *Dabo clavem ſuper humerum ejus, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* O dæmones, jam contra vos incipiunt ligni metuenda myſteria: etenim crux iſta, quæ regem præmiſit ad ſceptrum, eadem & nos ejus milites ſubſequenter evexit ad regnum, vósque Dei rebelles dejecit ad pœnas. Jam hoc idem ſignum nos oves à vobis hœdis in extremo examine ſegregabit, & Judex, qui reprobos neſcit, hunc in ſuis caracterem recognoſcit. Jam myſticus David extendit manus ſuas, & apprehendit crucis cytharam, ut vos malignos ſpiritus à Saule, id eſt, à mundi orbe, ſuaviter pulſans, fortiter pellat, jam ſignificari voluit, & oſtendit vobis Filius DEI, qui ante occultabatur: nam ſicuti ſignum dignitatis, alii baltheum, alii mitram portant, ſic & Dominus crucem.

Conjuro vos † perfidos per amariſſimam Chriſti ſitientis potionem, de quâ propheticè cum

querentem audiſtis: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Quando nimirum, vobîs ſuggerentibûs, acetô potatur fons vitæ, propinator fontium: quando mellis dator cibatur felle, flagellatur remiſſio, condemnatur venia, illuditur Majeſtas, ridetur virtus, perunditur largitor imbrium ſputis. Sed Deus benignus, & clemens, duram hanc, ſibíque amaram menſam in cœleſtem cibum nobis convertit, Angelorum eſcâ homines nutriens; vobis autem dæmonibus fel draconum, aſpidúmque venenum ſuggerens inſanabile.

Exorcizo vos ✝ maledictos, per acerbiſſimam Chriſti JESU crucifixionem; cùm videlicet ſapientiſſimè ſalutem facere ipſe diſponens in medio terræ, coram omnibus populis, gentibus & nationibus in patibulum ſupra montem poſitum affligi voluerit; lavans in cruoris vino ſtolam humanitatis ejus, & pallium ſacratiſſimæ carnis ſuo tingens ſanguine, ex acerbiſſimis plagis manante, quando ſcilicet veſtrorum tartarorum mancipia acutiſſimis clavîs, manus, & pedes illius duriſſimè fodientia, fixerunt in ligno, corpusque divinum cum furore, & ità fortiter extendentia, cuncta ejus oſſa dinumerari cœperunt. Sed exaltatio hæc, ô ſuperbi, ut noſtra elatio, ſic veſtra fuit depreſſio; ſicut & ipſe prædixit: *Si aſſumptus fuero à terra, omnia ad me ipſum attraham.* Suſcepit námque ipſe Dominus ſecum triſtitiam noſtram, ut nobis ſuam lætitiam largiretur; & veſtigiîs noſtrîs deſcendit usque ad mortis ærumnam, ut & nos ſuîs veſtigiîs revocaret

carer

Digitized by Google

caret ad vitam, quam vos miſeri damnati jam amiſiſtis Inſuper & in hac aſcenſione ejus in crucem nos milites Chriſti contra vos inferni hoſtes, vires accepimus: nam ibi fortitudo DEI infirmata eſt, ut nos infirmi roboraremur. Ibi lucifer humani generis inimicus fortis extitit, ut infirmaretur: ibi prævaluit, ut dejiceretur. In hujusmodi etiam charitatis vinculis captivam duxit captivitatem, largiter donans dona hominibus, & libenter ſuſtinens mala pro hominibus, ad veſtram, ô invidi, confuſionem, qui nunquam capaces fuiſtis copioſæ ipſius redemptionis. Quoniam & illâmet cruce offerebatur DEO pro ſalute mundi hoſtia ſingularis, & occiſio Chriſti veri Agni per tot ſæcula prædicta, nos tandem promiſſionis filios in libertatem fidei transferebat; confirmabatur teſtamentum novum; Chriſti ſanguine æterni regni ſcribebamur hæredes: ingrediebatur ſummus Sacerdos Sancta Sanctorum; & ad exorandum Deum immaculatus Pontifex per velum ſuæ carnis introivit.

Conjuro vos, inferni fures ✠ per infamiam, quam inurere tentâſtis Excelſi Filio, aſſociantes morti ejus latrones homines, & nequam, ut iniquorum numero eum aſſociari monſtraretis. Verumtamen, contra vosmetipſos veſtra ceſſit iniquitas, dum eum, quem jam inferni clauſtra premere videbatis, Dei benignitate raptum illicò cœlum poſſidere beatum, ac ſupra ſedem illam, de qua meritò vos expulſi fuiſtis, cum Chriſto ſedentem invidè aſpexiſtis, complens, quòd ei promiſerat ante, di-

çens: hodie mecum eris in Paradiſo. Verùm tu expuliſti, diabole, de paradiſo Adam; Chriſtus verò latronem impulit etiam ante Apoſtolos, ne quis noſtrum poſt errores, veſtrâ ſuggeſtos malitiâ, introitum deſperaret. Sed, ô felix peccator, cujus latrocinium, etſi damnationem meruerat, & ſupplicium; cor tamen contritum pœnam mutavit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. Magna virtus! confitetur, quem videt humanâ infirmitate morientem, quem negabant Apoſtoli, qui viderant miracula divinâ virtute facientem. Sed confeſſio iſta brevis vitam aquiſivit longam, felicem, beatam, veſtræque oppoſitam ô damnati. Quoniam Crucifixum ipſe latro aſpiciens, Dominum profitebatur; condemnati videns figuram, regis prædicabat dignitatem, mille malis imbutus, poſtulavit juſtitiæ fontem obliviſci ſuæ nequitiæ, intuebatúrque ipſe reus latens Regnum, & ipſe Dominus avertebat ſua publica ſcelera, acceptans fidem intentionis occultæ.

Exorcizo vos mendaciſſimos ✠ per veſtium Chriſti partitionem, de qua ſcriptum eſt: *Diviſerunt ipſi Veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem*: quô ſignificaretur ejus Eccleſiam ſemper unam, ſanam, integramque ſervari debere inter ſciſſuras, falſorúmque dogmatum diviſiones, atque hæreſiarcharum doloſas ſententias, à vobis, ô ſceleſtiſſimi, ortum trahentes, dum ſequaces veſtros peſſimos intendere facitis arcum ſcripturæ, & parare ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagitîs ſuîs ſagittent in obſcuro rectos corde: & quæ Dominus perfecit, id

id eſt perfectè fecit, & per doctores expoſuit, deſtruant, & ad ſuum errorem inflectant.

Conjuro vos ſanguinarios ✠ per benigniſſimam illam JESU vocem, veniam inimicorum ab æterno Patre, ac Domino miſericordiarum deprecantem, quando eum ſic loquutum fuiſſe ſcitis: *Pater dimitte illis, quia neſciunt*: quæ vox, quàm intimè vos transfixerit, jam experti fuiſtis, & quotidie experimini, cùm in oratione Dominica, à Chriſti fidelibus recitari audiatis verba Magiſtri: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Etenim talis virtus ſic transfuſa diſcipulis mitem nobis ſupernum Judicem per humanitatem in conſervos reddit. DEUS enim noſter miſericordiam ſuam hac conditione promiſit, ut remittenda ſibi is nôſſet peccata propria, qui remiſiſſet aliena.

Exorcizo vos nefarios ✠ per illa verba Redemptoris, myſteriis plena dicentis ad Patrem: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me?* quando ſcilicet, abſque ullo ſolaminis genere ſacroſancta ejus divinitas membra ſua, & infimam, quam habebat ipſe portionem, reliquerit, ac ſi jam tunc purus homo, & non jam DEUS inſimul, & homo fuiſſet. Clamavit tamen ipſe, ut notum faceret omnibus, quantùm optaverit eum non erui, non defendi, ſed ſævientium manibus derelinqui: hoc eſt Salvatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem; non per miſeriam, ſed per miſericordiam, nec amiſſione auxilii, ſed definitione moriendi. Sed vos, vos ô infeliciſſimi, omnino à

Digitized by Google

Deo ipſo relicti eſtis, æternáque erit deſolatio veſtra; quoniam & vos ipſi effectorem veſtrum, & Creatorem, qui vos ex nihilo genuit, impiè deſeruiſtis.

Exorcizo vos fætidiſſimos † per verba illa JEſu, commendantia Diſcipulo Matrem, ac Matri viciſſim Diſcipulum dilectum, ut undique veſtrorum dæmonum cervices rumperent, contunderent, nec non & vos omnes verbîs, dictîs, factîs exemplîs, ac meritîs abſque fine præcellentibûs diſſiparent.

Conjuro vos perditiſſimos † per illam Chriſti noviſſimam vocem, qua fortiter ipſe clamans: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, cum incurvatione venerandi capitis divinum emiſit ſpiritum. Moritur ergò Chriſtus, moritur DEUS: O rem ſtupendam! immortalitatem, quam ipſe habebat, per ſuam mortem nobis conciliat. Moritur Chriſtus, ut præcipitet mortem noſtram in ſempiternum, vóſque dæmones cum ipſa. O quàm indebita miſeratio, quàm gratuita, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, Filium DEI ſic affligi, Regem gloriæ in lacu miſeriæ crucifigi pro hominibus, & mori; non autem pro vobis angelis. Sed moriens Deus homo, in manus Dei Patris ſpiritum commendâſſe ſcitis. In manus enim Domini ſpiritus bonus, ſpiritus DEI, ſpiritus ſanctus: contrà verò foràs vos, ô damnati ſpiritus tenebrarum, & nequitiæ; procul vos à DEO ſpiritus maligni, & à DEI Miniſtris: currite veloces ad inferni fauces, & ite præcipites ad flamma-

marum amplexus, quia in manus ejus non vos deſcripſit Altiſſimus? imò vos ab illis perpetuò comburendos projecit. Vox iſta, ô dæmones, vox Dei eſt, quaſi malleus ſaxa conterens; cùm jam ad ejus ſonum petras ſcindi, monumenta aperiri, velum templi dividi, & etiam ob timorem, atque mœſtitiam, ſolem, conſuetâ luce mundum univerſum viduari vidiſtis. Inſuper, mota eſt terra, quæ capax hujus mortui eſſe non poterat Petræ ſciſſæ ſunt: omnia enim valida & fortia penetrans DEI verbum, & poteſtas æternæ virtutis irruperat: & monumenta aperta ſunt; quoniam erant mortis clauſtra penitùs reſerata. Vos autem duriſſimi, vos pertinaciſſimi, vos peſſimi, ad tam Dei terribilem vocem fugite † cadite † cedite † parendo præceptis Altiſſimi per me ejus miniſtrum vobis ſæpiùs indictis, eâ conditione, & formâ, qua ſuprà audiſtis &c. Aliàs virtus Paſſionis, crucis, ac mortis Chriſti JESU, necnon & percuſſio lateris diviniſſimi Servatoris, à quo cuncta manâſſe ſcitis Sacramenta, contra vos ſint; omnéſque conjurationes jam recitatæ iterum vobis adverſentur: cunctæ partes, atque myſteria cuncta nuper enunciata affligant, ac torqueat vos, ſocios veſtras, adjuratores veſtros, fautoréſque in hoc opere veſtro peſſimo, & inducant ſuper vos cruciatus illos, illaque ſuppliciorum genera, quæ ex Altiſſimi potentia manare valent cum incremento abſque fine permanſuro; In nomine & virtute Chriſti JESU † qui in Cruce pro nobis pati, ac duriſſimè occidi voluit.

Sed erigite jam mentis veſtræ aciem, ô infernales noctuæ, atque, (ſcilicet) DEI Majeſtatem, in ligno pendentem, in crucis throno ſedentem, ibique ab inferni miniſtris confixum, dilaceratum, transverberatum, ob veſtrum tormentum contemplamini. Videte, impii, crucem, propitiatorium videlicet verum, quod duo Cherubim, verſîs in ſe invicem vultibus, aſpiciunt; quia in eum, qui in cruce ſuſpenſus eſt, duo teſtamenta, novum ſcilicet & vetus, concorditer & indifferenter intendunt. Ipſa eſt concordia ſcripturarum, & limes quidem, atque confluvium veterum & novorum. Ipſa cœleſtia & terrena confœderat, homines & Angelos in antiquæ corcordiæ unanimitate reformat. Crux eſt mors vitiorum à vobis dæmonibus ſuggeſtorum, & omnium fons ac vita virtutum: Incipientium ſemita, currentibus via, pervenientibus requies. Crux eſt tyronibus donativum, militantibus robur, meritis municipium. Crux mortem ingerit momentaneam, & vitam compenſat æternam. Nos terrenîs expoliat, & cœleſtibus ditat: eſurire nos edocet, ut ſatiet; humilitatem præcipit contra veſtram, dæmones, ſuperbiam, ut tandem exaltet: patientiam contra veſtrorum luctum adhibet, ut nos coronet. Solus igitur ipſius crucis laus eſt, qui pependit in ea. Ipſa enim decepit te novâ arte diabolum, & reddidit de victore captivum. Ipſa crux conſueverat electas vobis dæmonibus eſcas offerre, atque ad veſtrum inſatiabile guttur, quæque ipſi fierent obnoxia, deſtinare: noviſſime autem tale hianti,

ac

ac devorare cupienti cibum intulit, qui & fauces veſtras occultæ virtutis hamo transfigeret, & veternoſæ malitiæ ventrem his, qui jam abſorpti fuerant, vacuaret. Sed jam ulteriùs. Videte *caput in ea pendentis aurum optimum*, ſpinîs perforatum : comas illius lanam mundiſſimam ſanguine ejus conſperſam. Intuemini oculos JESU, jam ſole lucidiores, quibûs ſuam rapiunt ſydera lucem, mundus tranquillitatem; qui mœſtis corde ſolamen impertiuntur; quorum intuitu peccatores contritionem aſſumunt, & infernus veſter concuſſionem, atque tremorem; ùt ſcriptum eſt: *Qui reſpicit terram*, ſcilicet naturam infernalem *& facit eam tremere:* nunc, inquam, mortis velamine ipſos ob veſtram invidiam obcæcatos aſpicite: conſiderate jam, creaturæ damnatæ, Redemptoris noſtri, deſtructoris veſtri vultum ſuaviſſimum jam, atque decorum, candidum, & rubricundum; ſpecioſum formâ præ filiis hominum; & in quem cœleſtes cupiunt Angelicæ proſpicere mentes; ſputîs tamen, livoribûs, ſanguinéque fœdatum. Perpendite os ejus mutum, & labia felle oblita, quæ aperuerunt quondam ora mutorum, *& linguas infantium fecerunt diſertas.* Verba illius jam verba vitæ fuerunt, præſtantia ſanitatem, habentia ſuavitatem, virtutem manantia, producentia bona, ignaros docentia, ſalivâ ſuâ oculis captis lucem dantia, ſanctimoniam reſonantia, iniquos ad pœnitentiam vocantia, eíſque indulgentia, Sacramenta eructantia, laſſis fortitudinem communicantia, fidem veram præbentia: vos tandem inferni principes

cipes, vos diabolos, vos pertinaces, vóſque damnatos concutientia, cædentia, ac fortiter diſſipantia; nunc tandem mortis ſilentiô tacentia: etenim, cùm nihil jam Chriſto ſupererat ex tormentis, mors ipſa moratur; qua ſuum eſſe ibi nihil perſenſit, (ſuſpecta eſt namque novitas vetuſtati) hunc primum, hunc ſolum vidit hominem peccati neſcium, noxâ liberum, juris legibus nihil habentem accedit tamen confæderata judaico mors furori, & deſperata vitæ invaſit auctorem.

Per Chriſti igitur venerandos crines vos dæmones iterum conjuro † Per crucifixi venerandum caput, pro nobis ſpinarum aculeis perforatum, vos reprobos exorcizo † Per JESU oculos, convertentes animas, & pro hominibus mortis ſignaculô clauſos vos iniquos compello † Per crucifixi vultum mortis pallore voluntariè conſperſum vos malignos ſpiritus conſtringo † Per ſacrum crucifixi os clauſum, labia muta, ac linguam ſilentem vos obduratos DEI deſertores enervo † per crucifixi voces, & verba, quibûs olim vos è corporibus, è mundo, & conſortio fidelium expellere ipſe ſolebat, vos fugo † vóſque ejicio † per illa præcipuè verba, vos conjuro † cùm dixit JEſus: *Vade retrò Satana; ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervis;* quibûſque Princeps veſter peſſimus ad tartarorum regna confuſus abiit. Per illa Chriſti verba vos urgeo † quibûs vos interrogando affatus eſt: *quod tibi nomen eſt?* Per illa verba JESU, vos ejicio, quibûs loquutus eſt Apoſtolis dicens: *In nomine meo*

meo dæmonia ejicient. Per illa verba jam vos caſtigo † cùm vobis obſidentibus dixit: *Ite in porcos.* Per illum JESU ſermonem vos dæmones nunc expello † quo ſpiritum immundum conſocium veſtrum increpando, dixit: *Obmuteſce, & exi ab homine.* Per cuncta denique illa JESU verba, vos, vos dæmones infernales ego compeſco, conjuro † adjuro † exorcizo † quibus ab ipſo Domino noſtro objurgati, perterriti, atque fugati fuiſtis, per virtutem, & in virtute ejusdem, qui pro nobis paſſus, & pro nobis hominibus mortuus & ſepultus eſt †.

Verùm, conſpicite jam ulterius, ô damnati (ſi valetis) illius corpus divinum, quod judæorum manibûs pupugiſtis, & in quod duriſſimè transfixiſtis, & videbitis *manus ejus tornatiles aureas plenásque hyacynthîs;* donîs ſcilicet, ac divinîs muneribûs redundantes, ex quibus cœli, & terra omnísque decor eorum ortum duxére. Manus Chriſti theſaurorum omnium fontes ſunt, nec non & ſanitatum auctrices, morborum fugatrices, panis multiplicatrices, cæcorum illuminatrices, ſurdorum aurium apertrices, paralyticorum conſolidatrices: illæ denique veſtram retundant audaciam.

Latus Chriſti Crucifixi tenellum, ecce lanceâ transfixum apparet, viſcera monſtrans amoris pleniſſima charitatem redundantia, igne cœleſti micantia! ut nos ejus famulos, ac totum terrarum orbem divinitùs accendat, qui pro flammarum ſymbolis aquam ſanguine mixtam, etiam

poſt

poſt mortem; affluenter emittere monſtrat; & veluti fluvius ille, à dextro templi latere egrediens, eſſe videtur: ut ad quos ille pervenit, divinitùs ſalvi fiant. Sed longè à regione veſtra deſerta irrigatio hæc ſublimis, atque cæleſtis. Nobis tantùm, nobis Chriſti fidelibus ſors iſta (Redemptoris noſtri gratiâ) largita eſt. Nos hæc Sacramentorum omnium unda lavat: nos mundat conſperſio iſta ſublimis, nos irrigat, nos virere facit virore virtutum pluvia hæc paradiſi voluntaria, quam ſegregavit Dominus hæreditati ſuæ: ex quorum numero vos reprobi, vos maledictione pleniſſimi, vos à gratia ejus ejecti, ob veſtram defectionem, & ingratitudinem ſecluſi fuiſtis. Arida eſt enim terra veſtra, ſempérque ſterilis permanebit; quoniam cœli hujus rorem non guſtat. Ignis, ſulphur, pix fœtidiſſima, inferni rigat ſolum: amaritudo, dolor, mœſtitiæ, luctus, ſuſpiria, ſempiternus horror, inordinata confuſio, fructus ſuaves agrorum veſtrorum, ô maledicti, hi ſunt: Bella, jurgia, lites blaſphemiæ, pertinacia, fraudes, contumeliæ, odia, rixæ, veſtræ ſunt abyſſi ſemina. Nunquam pax, nunquam gaudium erit vobis nefandiſſimis; quia opus veſtrum feciſtis inſtabile, contra DEUM & Conditorem veſtrum impiè peccantes. Ipſe igitur Omnipotens vos mecum conjuret † ipſe fortiſſimus, vos mecum exorcizet † ipſe magnus, atque terribilis vos maledictionibûs repleat † ipſe vos confundat † ipſe vos contundat † ipſe vos verberet † ipſe vos fuget † ipſe mecum virtute ſuâ validiſſimâ vos conſternat † ipſe vos cædat, vos incen-

incendat † vos nunc comburat, atque æternis incendiis vos deſtinet.

Sed genua ſuperbiæ veſtræ flectite jam, ô nequitiæ magiſtri, atque proſternite vos ipſos ad Altiſſimi pedes, clavîs duriſſimè confixos, & conſiderate greſſus illius è ſummo cœlorum feſtigio (veluti gigantis) currentis viam, ut, fidelibus ſuis, veſtra perverſitate vulneratis, citiùs ſanando occurreret. Diſcurrens enim ipſe per univerſam Judæam, & Galilæam, Diſcipulos vocabat, ægros ſanabat, iniquos ad pœnitentiam revocabat, fidem prædicando firmabat, lapſos ſolidabat; nunquam otio deditus, ad cœlorum regnum ſuos vocabat electos; ad veſtram, ô maligni ſpiritus, confuſionem; dum leonum aut luporum more famelicorum, tota die terram veſtram circumvagantes, animarúmque noſtrarum cibum voraciter appetentes, cuncta mala peragere, tentationes ingerere, contentiones mittere, mactare, diſperdere, atque perverſè operari nunquam quieſcitis. Tandem corpus Chriſti ſacratiſſimum jam livoribûs, verberibûs, plagiſque coopertum per gyrum videtis, ita, ut à planta pedis, uſque ad ejus verticem, juxta Prophetæ dictum, non ſit in eo ſanitas. Vulneratus eſt enim ipſe Dominus JESUS, ob noſtra delicta, & ſauciatus propter nequitias noſtras ſolus ipſe cunctorum hominum portavit iniquitates, doloréſque illorum ſolus pertulit. O Paſſionem DEI Filii! ô mortem Redemptoris mundi expiationem! ô mortem, immortalitatis occaſionem, vitæque originem! ô ad inferos deſcenſum, iis,

qui

qui à ſæculo mortui erant, aſcenſionis pontem ad redivivam vitam! ô meridiem, à pomeridiana illa in paradiſo damnatione revocationem! ô crucem, arboris medelam! ô clavos, DEI cognitionem mundo affigentes, mortémque transfigentes! ô ſpinas judaicæ vineæ botros! ô fel, quod dulcedinem fidei conciliat, & judaicam accauſat nequitiam! ô ſpongiam, quæ peccatum mundi detergit! ô arundinem, quæ fideles in cœleſtium civium numero adſcribit, & ſerpentis, auctoris malorum, tyrannidem conterit. Hîs igitur inſtrumentis confixus, & attritus eſt DEI Filius, quæ veſtra Judæis ſuggeſſit, ô dæmones, perverſitas. Ideò omnes nos tantùm livore illius ſanitatem adepti ſumus, veſtra verò infirmitas levaminis eſt expers: noluiſtis enim reverti: ideò peſſima fuit plaga veſtra: non eſt obducta cicatrix veſtra, nec pœnitentiæ oleô oblita, ſed obdurata fuit: idcirco inſanabilis in ſepiternum effecta eſt, & caro Chriſti non portabit illam, ſed DEUS ipſe, qui duros corde perdit, amodò diſperdet vos uſque in ſæculum. ✝ Et ego in virtute ejusdem Dei, & Domini noſtri JESU Chriſti Crucifixi iterum vos conjuro ✝ & per manuum illius plagas adjuro ✝ atque exorcizo ✝ per latus Chriſti, lanceâ duriſſimâ perforatum, vos urgeo, vos conſtringo, ut pareatis ✝, per ſanguinem, & aquam ex ejus plaga manantem, vos verbero ✝ per crucifixi pedes, clavîs ferreîs transfixos, conjuro vos ✝ per labores Chriſti in percurrendo, oppreſſósque ſanando, debilito vos ✝ per verbera corporis Crucifixi, dilacero vos ✝ per efficaciam ſanguinis Crucifixi, flagello vos ✝ per Cru-

Crucifixi merita, nobis ſalutem merentia, ejicio vos † extirpo vos † ſaucio vos † vósque in barathrum detrudo † ſempiternum: per virtutem & efficaciam Crucis ac Paſſionis Chriſti JESU. In nomine ejusdem DEI Patris † & Filii † Deíque Spiritûs ſancti † Amen.

Exorciſmus III.

In die Pentecoſtes, & per Octavam.

Præparatio ut ſuprà in primo Exorciſmo, præter ea, quæ hìc habentur propria.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem †

℟. Gloria tibi, Domine †.

IN illo tempore, dixit JESUS diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat; & ſermo, quem audiſtis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, Patris. Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur &c.

Litaniæ Sanctorum, ut ſuprà in primo Exorciſmo,

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus.

℟. Et fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.

℣. Deum, qui nos genuit, dereliquiſtis.

℟. Et obliti eſtis Creatoris veſtri.

℣. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.

℟. Pars ſit calicis veſtri in æternum.

℣. Decinate à me maligni ✝.

℟. Et ſcrutabor mandata Dei mei.

℣. Erubeſcant impii, & deducantur in infernum.

℟. Muta fiant labia doloſa.

℣. Disrumpe Domine, vincula eorum.

℟. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

℣. Laudate Dominum, de terra dracones, & omnes abyſſi.

℟. Et omnis ſpiritus laudet Dominum.

℣. Adonai, judica nocentes me, expugna impugnantes me.

℟. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.

℣. Fiant contra Dominum ſemper, & diſperde de terra memoriam eorum.

℟. Pro eo, quòd non recordati ſunt facere miſericordiam.

℣. Fac mecum ſignum in ✝ bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur ✝.

℟. Quoniam tu, Domine, adjuviſti me, & conſolatus es me.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiscum &c.

Ore-

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu firmitatem, & contra inferni ſpiritus de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum &c.

Lectio Actuum Apoſtoloruum.

CUm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Et factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Factâ autem hâc voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt; quoniam audiebat unusquisque linguâ ſuâ illos loquentes: Tu autem Domine miſerere nobis. Deo gratias.

Oremus.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & à dæmonum ſemper tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, ac regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, &c.

Hymnus.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,

Digitized by Google

Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creâſti pectora,
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei Altiſſimi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritualis unctio.
Tu ſeptiformis munere;
Dexteræ Dei tu digitus;
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus;
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti,
Hoſtem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino,
Natóque, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In ſæculorum ſæcula. Amen.

℣. Spiritus ſancti gratia, Allejuja.
℟. Illuminet ſenſus, & corda noſtra, Alleluja.
℣. Dominus vobiscum, &c.
✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam, †
℟. Gloria tibi Domine. †

In

IN illo tempore erat JEſus ejiciens dæmonium & illud erat mutum: & cùm ejeciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub, Principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. Et alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diviſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & ſatanas in ſe ipſum diviſus eſt; quomodo ſtabat regnum ejus, quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia? ſi autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia; filii veſtri in quo ejiciunt? Ideò ipſi Judices veſtri erunt. Porrò, ſi in digito DEI ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum DEI.

℟. Laus tibi, Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † &c.

Oremus.

COrda noſtra, quæſumus, Domine, Paracletus, qui â te procedit, illuminet, ac cœleſti virtute corroboret, ut contra ſatanæ incurſum, perfectam ſentiant libertatem. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus ſancti Deus &c.

Aſperſio, & exorcizatio dæmoniaci.

EXorcizo te N. creaturam DEI infirmam, & ſanguine Domini noſtri JEſu Chriſti redemptam; per DEUM vivum † exorcizo te per DEUM Crucifixum † exorcizo te per Spiritum ſanctum

Paracletum ✠ ut ſeparetur à te, & fugiat omnis ſpiritus immundus, & ſatanæ incurſus, & impleatur cor tuum ejusdem Spititûs ſancti gratiâ. Reaſſume ergo vires ſpirituales, creatura DEI exorcizata, ad effugandum phantaſma inimici, ipſumque inimicum à te extirpare valeas. In nomine Pa†tris, & Fi†lii & Spiritûs † ſancti, Amen.

Oremus.

OMnipotens, & mitiſſime DEUS, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera cor famuli tui N. de malignitate dæmonum, ut ſancti Spiritus fieri habitaculum mereatur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus ſancti Deus, &c.

Exorciſmus.

IN nomine ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis, Patris † & Filii † & Spiritus ſancti †, ac præcipuè in virtute, & per virtutem admirandam myſteriorum omnium, quæ ineffabili ejusdem Spiritus ſancti miſſione ſupra Deiparam Virginem, Apoſtolos omnes, atque diſcipulos, completa fuiſſe credimus; ego indignus Sacerdos, DEI Miniſter, & à Chriſti Eccleſia indigniſſimè initiatus, auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, per eundem DEI Spiritum ſuper vos, ô dæmones infernales, mihi traditâ, cum mihi quoque dictum fuerit: *Accipe Spiritum ſanctum*, cogito exorcizare, conjurare, compellere, atque fugare; ſicuti in actu exorcizo † conjuro † adjuro † cogo † atque expello ab hac creatura Dei N. ſanguine Filii ejus JEſu Chriſti redemptâ, omne phantaſma, omnem incurſum ſatanæ, omnem in-

inferni poteſtatem, omnémque ſpiritum immundum, illam occupantem, infeſtantem, atque in ea quomodolibet habitantem; ſive foris, ſive intus: ſive realiter, præſentialiter, vel virtualiter, ac poteſtativè: ſive inſit in ea cum maleficio; ſive ſit incantatio, ligamen, ſignum, opúſque à dæmone, vel ab homine effectum.

In nomine igitur prædictorum DEI myſteriorum, ac præſertim virtute ejusdem Spiritus ſancti, qui rerrarum replet orbem, ego Sacerdos DEI cunctas iſtas diaboli nequitias, atque machinamenta nunc & ſemper abſolvo † diſſolvo † extermino † & ad nihilum reduco † in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †; item præcipiò vobis præſcriptis ſpiritibus immundis, qui actu infeſtatis, & occupatis hanc Dei creaturam, cuncta mecum in DEI virtute diſſolvere (ſi adſint) & eruere, aliquo meliori modo vobis à DEO cenceſſo absque læſione hominis ad Dei imaginem effecti; non obſtante quocunque pacto, ſcriptura, charactere, inter vos, & magiſtros veſtros, vel quoscunque alios ſpiritus initis. Et hoc vobis, ac præfatis ſociis veſtris ego in virtute Omnipotentis efficaciter mando, & in nomine JEſu ſub pœna maledictionis divinæ, ſuper illam, quas actu ſuſtinetis, æternam, atque duriſſimam nec non & incrementi tormentorum veſtrorum terribilium, ſupra numerum cæterorum omnium damnatorum. Obedite igitur Miniſtro Chriſti, & Dei, parete, & cedite ô rebelles tartarei, in nomine, atque potentia Altiſſi-

mi DEI Jehovah † Tetragrammaton † Adonai † Homouſion † Agyos † Otheos † Iſchyros † Athanatos † Sabaoth † & Emanuel † quæ nomina vos inobedientes DEI rebelles ſingulis quibusque momentis indeſinenter crucient † vos fortiter verberent † vos acriter puniant † vos duriſſimè cædant † vos inceſſanter urgeant † vósque æterna maledictione percutiant †.

Verùm, ut vos efficaciùs DEI virtus compeſcat, & ipſius cæleſtis Spiritus potentia validiùs obedire, atque humiliari cogat; audite, ſpurciſſimi rebelles, verbum DEI: audite & contremiſcite: *Cùm complerentur*, inquit Apoſtolus, *dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco.* Primum quidem DEI munus, quod fidelibus ſuis in noſtra Chriſtiana republica reliquit unigenitus ejus JEſus Chriſtus, pax ſumma fuit, atque fratrum concordia, & proximorum unio; *Cohabitare faciens inſimul contra vos unius moris in domo*, ut ait Pſalmiſta, etenim paradiſus eſt deliciarum cœleſtium multitudo in DEI amore ferventium Chriſtianorum. Civitas multitudine ornata turrium, congregatio eſt id ipſum in Domino ſentientium. Pax verè ſancta, atque ſuavis, quæ copulatur Dei juſtitiæ; quæ illam oſculatur, & ab illa procedit, ut dicitur ore prophetico; *Et erit opus juſtitiæ pax:* Cujus hoc opus proprium & ſpeciale beneficium eſt, ut jungat DEO, quos ſecernit de mundo: quam etiam arctiſſima amicitiarum vincula, & indiſcretæ ſimilitudines animorum non veraciter ſibi vendicant: ſi non cum DEI voluntate concordant: illa, inquam, pax, quam

quam Dominus in juſtis ſuis, ac Sanctis operatur: quæque eſt ipſamet Deitas, faciens utraque unum: cùm ſcriptum ſit, & *factus eſt in pace locus ejus*: pax illa dulcis, quâ duntaxat bonæ voluntatis viri fruuntur in terris, cujus conſilia ineuntes, magnum ſequitur ejus gaudium: pax illa denique nobis à DEI Filio per Spiritus ſancti miſſionem tribuitur, quæ nunquam veſtrâ in regione, ô tenebrarum rectores, effecta fuit; cùm videlicet in vobis ipſis fallaciter confidentes, veſtriſque viribus vos inhærentes, inſuper & multitudine donorum veſtrorum tumide gloriantes, inſipientur dixiſtis: *Non eſt Deus* quinimò & vosmet ad Dei ſublimia erigentes, illicò divino obcæcati ſplendore, *viam pacis ampliùs non agnoviſtis*; *& Dominus pacis Pacem abſtulit* à populo veſtro tumido, atque elato; ita ut nunquam in pace ipſius fuerit, eritque pax veſtra, neque in cœlis, neque in terra, neque in inferno deorſum, nec immeritò: illam etenim, cùm vos accipere potuiſſetis, non tenuiſtis nec exquiſiviſtis: & ideò, cùm in eadem pace inventi non fueritis, à Patre abdicati, à Filio exhæreditati, & à Spiritu ſancto reprobati eſtis.

Per hanc igitur Dei pacem ſanctam, atque ſuavem, vos iterum dæmones exorcizo ✝ cunctóſque ſimul coadjutores, atque fautores veſtros peſſimos conjuro ✝ cogo ✝ compello ✝ ut meis obediatis verbis. Per eandem ſanctorum Diſcipulorum, atque Apoſtolorum in Spiritu ſancto unionem, vos adſtringo ✝ per virtutem illius pacis, quæ in cæleſtibus ſpiritibus & in terra in piis perfectiſque homi-

nibus inveniri dicitur, vobis mando † per eandem pacem, vobis impero † qua orbati fuiſtis, vos, ô rixarum, ac diſceptationum magiſtri, cùm in cœlis tranquillè degere nolentes, ad ima dejecti eſtis, ubi nunquam pacem, quietem, nullum ordinem, ſed ſempiternum horrorem inhabitare certiſſimum eſt.

Verùm attendite jam, ò belluæ tartarei regni habitatrices, quid ulteriùs de Paracleto iſto Spiritu Dei ſermo pronunciet. *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes.* Spiritus de cœlo deſcendes, & ſuaviter inſufflans ſonum, modulamina, & cantus in terris audire fecit cœleſtes, atque ſuaves: quinimò & ſimilia proferre facit ſuos, quos ipſe replet, gallus enim ſupernæ lucis nuncius Spiritus ſanctus eſt ait Hieronymus, cujus voce in Prophetis Apoſtolis excitamur de trina negatione ad amariſſimos flètus, qui malè de Deo cogitavimus, locuti ſumus ad proximos, fecimus ad noſmetipſos. Sed ſpiritus de tenebricoſa veſtrorum exiens abyſſo, ac de tartareis erumpens latebris, non niſi mugitus, luctus, gemituſque horribiles, atque feroces reſonat audientibus; ut jam vos audivimus, atque emittentes vidimus, geſtu, atque creaturæ hujus verbis, quam obſidetis & cruciatis. Suavis eſt enim Dei ſpiritus ſuavi proverens ſigna: amarus eſt, & durus ſpiritus veſter, ô peſſimi; idcircò ſimilia, atque horribilia indefeſſè profari, ad ſublimia hominum rapit corda; veſter autem ſtrepitus ſemper ad ima contrahit, acuit rixas, bella movet, jurgia parat, & iram accendit; illam,

in-

Digitized by Google

inquam, iram, quæ vos perdidit, cùm ob invidiam contra nos fremuiſtis, ob ſancti Spiritus donum emiſſum, atque in tyrannorum pectoribus acriter illam adversùs Sanctos, eodémque Spiritu plenos viros, accendiſtis. Attamen contra vos ipſos, ac ducem veſtrum Luciferum corruit ira veſtra;& vos ipſos glaudius veſter transverberavit; dum eos, quos temporali morte ſuſtuliſtis, perpetuò in cœlis vivere effeciſtis: cùm *pretioſa ſit in conſpectu Altiſſimi mors Sanctorum ejus*, & ipſi, dum vobis urgentibus torquentur, occiduntur, uruntur, interim pænis ipſis foventur, incendio refrigerantur,fame reficiuntur,inopiâ dilatantur; & id maximum lucrum deputant, ſi gravem de paſſione Domini ſarcinam portant: tantumque ſibi imminui timent de præmio, quantum ſibimet ipſis ſubtrahi conſpiciunt, de veſtrorum miniſtrorum tormento. Cùm certò ſciant, martyres, holocauſta eſſe ratione prædicta, victimáſque perfectas, oblationes Deo gratas & acceptas, veritatis præcones, falſæ doctrinæ veſtræ ſuggillatores, legis, quæ ſpirituali ſenſu intelligitur, exploratores, erroris oppreſſores, vitii inſectatores, peccati diluvium, mundi denique luſtrationem. Inſuper totam implet domum Spiritus divinus è cœlo deſcendens, & vacuum vitiorum abhorret: attamen ſpiritus veſter fœtidus, atque immundus, lupus eſt rapax, qui ſuperbè occupat DEI creaturas; diſcurrens, atque undique inquirens requiem, & non inveninens, animæ domum, virtutibus vacuam, Deique

que gratiâ deſtitutam invadere conſueſcit, ut perdat, ut diſſipet, ut torqueat, ut mactet dilectum Chriſti gregem, atque cuncta virtutum germina funditùs eradicet. Per iſtius igitur ſancti Spiritus ſonum, & per virtutem divini ac vehementis impetûs, inania veſtra conterentis navigia, ô inferni incolæ, vos iterum conjuro † eo modo ac mente, ut ſuprà; ne ampliùs DEI Miniſtro obſiſtere audeatis. Per ipſius Spiritûs ſuavitatem, atque dulcedinem, quæ cœlos ornâſſe legitur, vos exorcizo † per ejusdem Spiritûs ſancti plenitudinem, quâ creati cuncta dicuntur, vobis impero † per cuncta denique ipſius divini Spiritûs nomina, vos ad obediendum cogo † ipſe namque (ad veſtrum profero cruciatum) Paracletus dicitur † Candor lucis æternæ † ſpiritualis unctio † fons gratiæ † mentis noſtræ refectio † dexteræ DEI digitus † bonitas incomprehenſibilis † animarum piarum incendium † ſermo piorum ditans guttura † Spes viva pœnitentium † unguentum ſuaviſſimi odoris, in barbam, & oram veſtimenti Aaron deſcendens † vera cordis dulcedo † ſacrarium veræ lætitiæ † regenerationis lavacrum † mœtentium ſolamen † theſaurus fidelium † ignea columna, veſtra ſubvertens caſtra, ô infernorem incolæ † fidelium Remunerator animarum † Splendor mentium † ſuperna aſperſio, arida corda fœcundans † dulcis hoſpes animæ † dulce mœrentium refrigerium † vera dans gaudia † gloriæ jucunditas † Pater pauperum † Numen ſine quo nihil extat innoxium † largiſſimus dator munerum † à Patre, FIlióque deſuper pro-

procedens † Remiſſio omnium peccatorum † Imber matutinus, atque ſerotinus † collapſa reparans & reparata conſervans † Divinarum perſonarum nexus indiſſolubilis † ſacri Dictator eloquii † charitatis ſeminarium † electorum frumentum † ſpirituale merum † potio germinans virgines † vinum Chriſti fideles inebrians † ſanctarum refectio animarum † amoris divini ſuavitas † donum Dei omnem ſuperans plenitudinem † virtus nos ex alto corroborans † affluentia divinæ largitatis † oſculum ex ore altiſſimi † fervor proficientium † viſitator animarum, & mentium † charitas indeficiens † gaudium pleniſſimum † Aridorum irrigator cordium † Inſpirator optimarum voluntatum † piorum auctor operum † verum Angelorum gaudium † inſpirator Prophetarum † Magiſter Apoſtolorum † Doctor Evangeliſtarum † Fortitudo Martyrum † Lumen Confeſſorem † puritas Virginum † Juſtificator fidelium † curator infirmorum † cæcorum illuminator † Sacerdotúmque digniſſimus Conſecrator &c.

Cujus virtute ego etiam DEI Sacerdos, tanti muneris largitate per ejusdem Spiritûs S. gratiam ſpiritualiter munitus, atque indigniſſimè initiatus, iterùm † ac validiùs vos exorcizo † per dona, pérque iſtius altiſſimi, ac diviniſſimi, conſecratoris munera, urgeo vos † convenio vos † cogo vos † compello vos † coarcto vos † impero vobis † efficaciſſimè, ut, velitis, nolitis, pareatis præceptis Sacerdotis, Spiritûs ſancti oleo liti, ejusque virtute corroborati: in nomine & potentia

eius-

ejusdem DEI Spiritus, quem omnipotentem, excelſum, atque terribilem, unà cum DEO Patre, Deóque Filio in æternum permanere certiſſimum eſt.

Sed, præter venti ſpeciem etiam in linguarum ignitarum formis, excelſus hic Dei Spiritus electis ſuis dignatus eſt apparere, ut vos dæmones audiſtis: *Apparuerunt illis diviſæ linguæ tanquam ignis;* videlicet, qui ſacris præfiguratus fuit litteris, cùm dicitur deſcendiſſe de cœlo, & devorâſſe holocauſta, & victimas: Ille ignis, quem mittens Dominus de excelſo in fidelium oſſibus, eos in lege ſua eruditos effecit, & in eloquiis divinis; quæ etiam juxta David Prophetiam, ignita eſſe dicuntur vehementer: ille ignis, qui juxta Apoſtolum, fidelium intrans corda, eorum *emundat conſcientias ab operibus mortuis*: qui aurum probat virorum illorum, quos ærumnîs premit: qui *lux eſt vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: qui fervore fovet mentes: qui charitatis amore fidelium accendit pectora: qui ad cælorum iter currendum, deſides urgere dicitur; quíque dat verbum evangelizantibus virtute multa; ut de eodem afflatis Spiritu prædictum ſcitis: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sic igitur hujus ſancti ignis gratia lege non ſtringitur, neceſſitatis vinculo non tenetur: ſed ſicut ubi vult, ſpirat; ſic & quibus vult gratis ſua dona diſpenſat. Tantummodo, ubi à carnalibus cordis vaſa vacua non fuerint, oleum ſancti Spiritûs, ſtare ibi non habet. Et ideò ignis iſte, ô teterrimi inferni incolæ, non deſcendit ſuper vos, ne-

neque unquam opacas veſtras latebras occupabit: nequaquam obſcuras, atque tenebricoſas veſtras circumdat ipſe ſedes, ut illas illuſtret; ſed tantùm in domibus DEI calor ejus, & lux iſta ſublimis *cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eos*: In domibus ſanctis, in piorum domiciliis ac pectoribus, in congregationibus, conciliis juſtorum; non autem terris carceribus veſtrorum dæmonum impiorum morabitur; niſi tantùm ad vos cruciandum, atque inceſſanter comburendum, circumfundit námque gratiæ fons malos, ſed non infundit; lambit ejusdem ignis, non urit; quia ad corda eorum non pertingit. Sic vos peſſimi tentatores concluſiſtis, & vos, aditumque ipſius damnaviſtis, ſerris ferreis peccatorum veſtrorum, ne ad vos penetrare valeat lux divina. Idcircò conſolator hominum tortórque angelorum nequiſſimorum, ſanctus hic dicitur ignis: quia potens eſt DEI vox ejusdem fortiter intercidere flammam: item námque ignis in die furoris DEI ante faciem ejus præcedens, inflammabit in circuitu vos omnes, inimicos ejus, ac cœleſtium ſedium deſertores; juſtis autem lætitiam adducet ſempiternam.

In virtute igitur, & per virtutem ejusdem ſancti Spiritûs, qui ignis de cœlo deſcendens eſſe dicitur, vos tartareos dæmones iterum conjuro † eadem conditione, & ſub eisdem cruciatibus, ut ſuprà, exorcizo vos † per merita Apoſtolorum, cunctorúmque Diſcipulorum; ac præcipuè per Deiparæ ſemper Virginis Mariæ merita, quæ prima omnium, tanti ſpiritûs gratiam, & donum recipere digna fuit. Conſtringo vos, ut fugam pare-

paretis ✝ per innumeros iſtius cœleſtis ignis fructus, & efficaciam, quæ per totum diffuſa eſt terrarum orbem; Impero denique vobis conſtantiſſimè ✝ per contradictionem, & repugnantiam illam, quam cœleſtis hæc flamma cum lucifero, vobiſque omnibus luciferinis ſpiritus habere certum eſt: ſed quemadmodom fluit cera à facie ignis; ſic pereatis & vos à facie excelſi iſtius Spiritûs, qui *ignis conſumens eſt.* Tandem, attendite miſeri, quantum ejusdem Spiritûs ſolamen cordibus in pace ſedentium fuerit infuſum: quod cùm illius ſe ſenſerint calore ferventes, illicò exeuntes vultu hilari, lætantes corde, atque gaudentes, voce magna DEI magnalia eructare non ceſſabant, ut audiſtis: *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, variiſque linguis ſermonem facere cœperunt, prout cœleſtis hic DEI Spiritus dabat eloqui illis.* O miram ſancti Spiritûs ſapientiam! varia linguarum genera, non, variam, ſed ſimplicem DEI veritatem eructant; quæ os reſerat, & invitam linguam conſcium ad eloquendum pectus impellit. Deique magnalia: illius, inquam, DEI, qui unus, & verus eſſentialiſſimè dicitur; contra tuum præcipuè, qui in lingua perſiſtis, peſſimum inſtitutum, ô N. fallaciæ, & nequitiæ ſpiritus, qui unico tantùm organico linguæ inſtrumento in hac creatura, quam obſides, inceſſanter falſa, ac ſemper mendaciſſima, atque à vero valdè remota obſtinatè proferre ſoles; pacem cum proximo loquitur Spiritus ſancti ignita lingua; ſed jurgia, lites, contentiones, rixas, atque blaſphemias ſuggeris. Docet illa DEI juſtificationes, hæc autem lin-

lingua, quem tu doloſe ſerpens vaniſſimè vibras, mala inſtruit aſſiduè, ſuggeritque culpas. Amatur DEUS in concilio Sanctorum, non niſi divina hac, igneáque impellente lingua, & calefaciente: Spiritus ipſe amor eſt; non enim quiſquam poſſet DEUM diligere, ſi eum, quem diligit, non haberet. Hac ductrice lingua DEI mandata ſervantur, dum monſtrat ipſa per flammarum incendium ſurſum tendens, DEUM videlicet ſolum, qui eſt in cœlis, eſſe ſuper omnia diligendum; eique obtemperandum. Sanat illa, linitque vulnera: pungit iſta, transverberat, occidit. Congregat illa, & in unum DEUM nos Chriſtianam profitentes religionem copulat: ſed iſta diſperdit & ſegregat. Loquens illa fideliter corripit, & ad viam veritatis inducit, quæ eſt Chriſtus: hæc autem infernalis lingua fallaciter ſibilans, paulatim venena effundit, & mala undique diſſeminat. Illa tandem DEUM laudat, DEUM exaltat, DEUM glorificat; dum iſta maledictionibus ſe ingerit, jaculatúrque blaſphemias contra Omnipotentis creaturas, ipſúmque omnium effectorem, irradiat fidelium mentes hæc ſancti Spiritus ignea lingua; obtenebrat caligine tetra lingua veſtra infernalis omnes, qui poſt ejus abeunt fallacias: contra quas & nos firmiſſimum ejus imploremus auxilium, ne in præſenti cauſa ipſius fallamur mendaciis, neque in hoc inviſibili bello ejuſdem caligine penitus obruamur.

Veni ergo, ſancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni, Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Digitized by Google

Conſolator optime, dulce refrigerium. In labore dæmonum requies, in æſtu diabolicarum tentationum temperies, in fletu ſolatium.

O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium, à DEI hoſtibus oppreſſorum.

Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Lava, quod eſt ſordidum, riga, quod eſt aridum, ſana, quod inferni manibus eſt ſaucium.

Flecte, quod eſt rigidum, fove, quod eſt frigidum, rege, quod eſt devium.

Da tuis fidelibus, in te confitentibus, ſacrum ſeptenarium. Da virtutis meritum, da *dæmonis exitum*, da perenne gaudium, Amen.

Contrà verò maledictus ſis tu ſpiritus tartarorum ſpiritus doloſe, ſpiritus ſuperbiæ, ſpiritus vanitatis, ſpiritus ſordium, ſpiritus libidinum, ſpiritus maledictionis; ſpiritus contradictionis, confuſionis, & nequitiæ; ſpiritus perverſitatis, & inobedientiæ; ſpiritus defectionis, obdurationis, & proterviæ; ſpiritus inſatiabilitatis, gulæ, & inordinati appetitûs; ſpiritus ignominiæ, dedecoris, & infamiæ; ſpiritus dolorum, invidiæ & diſcrepantiæ; ſpiritus contumeliæ, jurgiorum & litium; ſpiritus avaritiæ, inconſtantiæ, imprudentiæ; ſpiritus deſperationis, mœroris, & luctûs; ſpiritus deſolationis, turpitudinis & monſtruoſitatis; ſpiritus odii, vindictæ & diſſenſionis, ac tandem ſpiritus malorum omnium & vitiorum. Maledicta ſit lingua tua tartarea & peſtifera: maledicta ac milliès maledicenda ſingulis momentis ſit colloquutio tua, ô ſerpens infernalis,

ſis, qui tantas adverſus DEI facturas audes perpetrare nequitias, contra fideles, Chriſti ſanguine redemptos, Chriſti ſanguine lotos, ad Chriſti imaginem effectos, Chriſtíque ſpiritu imbutos, &c.

Qui quidem ſpiritus non ſolùm per Prophetarum ora incarnandi verbi prædixit myſteria, poſt futura tempora complenda; ſicut jam ſcitis fuiſſe impleta, quæ per ſanctum Job, per David Prophetam, Salomonem, per Oſeam, per Joëlem, per Amos, per Abdiam, per Jonam, per Michæam, per Nahum, per Habacuc, per Sophoniam, per Aggæum, per Zachariam, per Malachiam, cæteróſque Prophetas pronunciata fuêre; verùm etiam, quæ Evangeliſtæ notârunt, ipſemet ſanctus Spiritus veraciſſimâ dictavit, ipſe DEI Spiritus Martyribus vires ſuppeditavit, vigorem illis indidit, robore eorum pectora firmavit, ut ſcriptum eſt: *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Ipſe Spiritus conſilii, & fortitudinis etiam vili fragilique ſexui victoriam martyrii contulit; nullum timere permittens mulierculas armorum incurſum, nullúmque tyrannorum cruciatum trepidare, non ferrum, non ignem, non aquam, non præcipitia, non lapides, non ferreas ungulas, non immiſſas feras ad eas dilaniandas accinctas, non verbera, non laniatus, non rotas fugere, non enim vident pericula Martyres, ſed coronas? non horrent ob plagas, ſed numerant bravia; non vident inferni flagris cædentes lictores, ſed Angelos ſupernè benedicentes imaginantur; non conſiderant periculorum brevitatem, ſed præmimorum ſanct-

hujus Spiritûs æternitatem. Ideò & nos ob eorum obitus nunc exultamus: triſtium enim natura poſt crucem transmutata eſt. Non ampliùs lachrymis Sanctorum mortes proſequimur, ſed tripudiis divinitûs inſpiratis ſuper ſepulchra choreas ducimus. Somnus autem eſt juſtis mors ipſa: imò potiùs ad meliorem vitam profectio.

Hinc exultant Martyres, dum mactantur. Inſuper dictante ipſo divino Spiritu, verbi DEI propagatores zelantiſſimi, virtute multa, in cunctas orbis terræ partes divina divulgavêre mandata; perſuaſerunt bona, diſſuaſerunt mala; amorem verum, amorem ſanctum docuêre gentes; virtutes hominum animis inſeruêre, vitia præcidêre, ſicut enim canum lingua vulnus, dum lingit, curat; ſic & ſancti Spiritûs præcones iſti, dum in confeſſione peccati noſtri nos inſtruunt, quaſi vulnus mentis per linguam tangunt. Prædicandi quidem ſcientia eſt quodammodo, ut ſcitis, angelica, utrovis modo juvans, ſeu per manum, ſeu per linguam operetur. Piis etiam invigilantibus precibus Spititus iſte divinus adeſſe nunquam deſtitit: cunctos enim orare edocet, magnisque poſtulare facit gemitibus; Deus namque ſolus edocere potuit, ut ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ipſius jam nunc ex ore divino fertur animata, ſuo privilegio aſcendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit: contemplantibus lucem elargitur inviſibilem: cognitionem ſui, agnitionem DEI largiter ſuggerit. Humilitatis fundamenta juſtorum cordibus firmiter ipſe jacit; ne veſtræ

ſu-

Digitized by Google

ſuperbiæ, ô damnati ſpiritus, perculſi vento, penitùs moveantur, ſed ſemper ſtabiles in DEI ſoliditate permaneant; quemadmodum & mitiſſimum David poſtulare ſcitis, dicentem: *Et ſpiritu principali confirma me.* Pias DEI inſpirationes quisnam etiam pectoribus ingerit, niſi Spiritus hic digniſſimus, & principalis? quotquot ad primam gratiæ lucem, hoc duce, atque motore primo, devenêre? implet Eccleſiam, replet & univerſum terrarum orbem ſanctiſſimus inſpirator animarum, qui eſt DEUS ipſe immenſus, & infinitus. Deique Spiritus. Vera pœnitentiæ virtus abeſt, niſi ductore hoc Spiritu fieri incipiat, dirigatur, atque ad finem usque perducatur: quoniam *DEI ſpiritûs perfecta ſunt opera*, nec quidquam extra ipſum bonum eſſe poteſt; ſcriptum eſt enim per Prophetam: *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Ideóque vos miſeri, vos infelices, qui extra ejus gratiam eſtis, ac ſi non fuiſſetis, permanebitis ante illum cruciatibus veſtris undique circumſepti. Converſio iniquorum ab hoc eodem Spiritu ortum ſumit; ùt ſcriptum ſcitis: *Nemo poteſt dicere, Dominus JESUS*, niſi hoc dictante Patrono. Omnes, qui à faucibus veſtris tartareis fuerunt erepti, hoc duce, perfectam habuerunt libertatem per Sacramentorum medelam, aut per cordium dolorem vehementem, qui contritio nuncupatur. Quoties de iniquorum præda veſtra fremuit abyſſus, qui ad Deum ſeſe verterunt, & ab hoc divino Spiritu potentiſſimè (licèt ſuaviſſimè) fuerunt erepti; Millies ſuper centena millia experti eſtis raptum iſtum di-

Digitized by Google

vini Spiritûs, & abſque ullo ſolamine ejulaſtis cum lucifero malum veſtrum; ſic & David amiſiſtis adulterum; ſic & Petrum, jam in fide labentem; ſic Magdalenam quondam libidibus involutam; ſic latronem nequitiis plenum; ſic Thomam infindelitatis hamo jam captum; ſic Paulum falsô religionis alligatum zelô, ſic Matthæum, negotiorum vinculis irretitum; ſic Dionyſium Areopagitam, ſtudiorum fallaciis obnubilatum; ſic Cyprianum veſtris magicis artibus â vobis allaciſſimè conſopitum; ſic Auguſtinum, ſic Guilielmum, ſic Mariam Ægyptiacam, ſic Irenem, ſic Taidem, ſic pelagiam, ſic cæteros, quorum non eſt numerus: quia repentè Spiritus hic Dei ſublimis, atque excelſus, de cœlorum ſedibus veniens, in eorum duritiem ſuaviſſimè intrans, dulciter erudivit eos in ſpe, illoſque ad miſericordiarum DEI fontem quàm benignè perduxit, vobis dæmonibus veſtriſque pompis nuncium remittentes.

Ite igitur confuſi ✝ ite maledicti ✝ ite perverſi dæmones ✝ cedite, ac ſub altiſſimi cadite pedibus: obedite præceptis meis ✝ miniſtri ejus, ejúſque ſacro muniti ſpiritu, qui jam vos iterum exorcizo ✝ vos adjuro ✝ ac potentiſſimè vobis mando ✝ per altiſſimum DEI ſpiritum coarctô vos fortiùs ✝ per potentiam efficaciſſimam verbi DEI in cunctis Prophetis, Evangeliſtis, Apoſtolis, Concionatoribus, ſacríſque Eccleſiæ Scriptoribus, atque Doctoribus, qui fuerunt, qui ſunt, quíque in ſequentibus ſæculis in ea futuri ſunt. Compello vos ✝ per ſanctarum munera linguarum, quæ quotidie ab hoc DEI ſpi-

ſpiritu in cœlo, & in terra diſtribuuntur. Cogo vos † ut mea juſſa exequamini, per cuncta ejusdem Spiritus ſancti nomina, myſteriis referta divinis, ac litterarum diſperſa paginis. Urgeo vos † per ejusdem Spiritus ſancti fructus ſublimes, atque mirabiles, qui in DEI Eccleſia operari videntur ab ipſo in fortitudine Martyrum, in potentia Confeſſorum, in continentia Virginum. Urgeo vos † per omnes cruciatus vobis cunctisque malignis ſpiritibus, cujuscunque generis, ab Altiſſimo inflictos Spiritu, ob veſtra prava opera, tentationes atque ſuggeſtiones, adverſus nos, & DEUM ipſum audaciſſime à vobis intentas. Recedite ergo tentatores † recedite ſeductores † recedite maligni ab hac creatura † atque ad deſertas terrarum plagas ite veloces, ubi nulla ſit vobis cum DEI creaturis, ejusque facturis communicatio. Te verò, nefandiſſime iſtorum dæmonum dux, te præcipuè verbis Omnipotentis, & nomine altiſſimi Spiritus alloquor: rede ocyus † vade fœtidiſſime lupe † vade bellua terribilis viſu † cum omnibus ſatellitibus, atque ſordibus tuis. Vade coluber ſinuoſe † præceps abeas onager tartaree † fuge corve nigerrime † fuge vultur cornivorax † fuge Leo rugiens † fuge à facie ignis Dei admirabilis ut fulgur contra te deſuper cadentis: ſed veluti ros & pluvia cœleſtis ſuper nos voluntaria, à ſummo omnium conditore hæreditati ſuæ benigniſſime ſegregata, ut à calore nequitiæ veſtræ in dies ſingulos protegamur; utque obſtinatiſſimum luciferum, vósque ſequaces ſuos peſſimos, vi, efficaciâ, atque potentiâ ignis divini, Spiritûs expellamus; ut jam expellimus † fugamus †

 cædi-

Digitized by Google

cœdimus † cogimus † exorcizamus † adjuramus † ac tandem validiſſimè vobis præcipimus, ut omni morâ ſeclusâ pareatis, atque ex hoc corpore egrediamini. In nomine DEI Patris †, & DEI Filii † ejusdémque Spiritûs ſancti † Amen.

Exorciſmus IV.

In Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam, nec non quotiescunque exponi illud contigerit.

Præparatio ut in primo Exorciſmo; præter ea, quæ hic habes propria.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem †
℞. Gloria tibi, Domine †.

IN illo tempore, dixit JESUS turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit: non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.
℞. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur in te † omnis &c.

Dicantur Litaniæ Sanctorum, ut ſuprà in primo Exorciſmo.

Pa-

Digitized by Google

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis, Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimicorum iſtorum.
℣. Sicut deficit fumus, ſicut fluit cera à facie ignis.
℟. Sic pereant dæmones iſti à facie Dei.
℣. Ad nihilum deducti ſunt in conſpectu ejus maligni.
℟. Timentes autem Dominum glorificati.
℣. Bene omnia fecit.
℟. Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui.
℣. A facie Domini mota eſt terra.
℟. A facie Dei Jacob.
℣. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?
℟. Ex tunc ira tua.
℣. In Deo faciemus virtutem.
℟. Et ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti; tribue quæſumus, ita nos per corporis & ſanguinis tua ſacra myſteria à dæmonibus liberari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate, &c.
℟. Amen.

Pſalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtu-

tum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini &c. ex Matut. fer. ſextæ.

Vel Pſalmus 147.

LAuda Jeruſalem Dominum: lauda Deum tuum Sion &c. ex Veſp. diei Sabb.

Lectio actuum Apoſtolorum.

IN diebus illis, Philippus deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his, quæ dicebantur à Philippo, unanimiter audientes, & videntes ſigna, quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habeant ſpiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati ſunt. Factum eſt ergò gaudium magnum in illa civitate. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo Gratias.

Oremus.

COncede quæſumus, Omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus; liberati à malignis ſpiritibus, ſecura tibi mente ſerviamus. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Hymnus.

PAnge lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguiniſque pretioſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine:
Et in mundo converſatus,

Spar-

Digitized by Google

Sparſo verbi ſemine:
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.
In ſupremæ noctе cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem efficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum:
Etſi ſenſus deficit;
Ad firmandum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.
Tantum ergò Sacramentum,
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,
Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.
Genitori, Genitóque
Laus, & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, & benedictio:
Procedenti ab utroque,
Compar ſit laudatio, Amen.

℣. Poſuiſti in conſpectu noſtro menſam.
℟. Adverſùs dæmones, qui tribulant nos.
℣. Dominus vobiſcum &c.
✝ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. ✝ ℟. Gloria tibi Domine. ✝

In

Digitized by Google

IN illo tempore: ductus eſt JEſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm jejunâſſet quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, poſteà eſuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi JEſus: Rurſus ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Tunc dicit ei JEſus; Vade ſatana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. ℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur ✠ & deſtruatur † in te omnis dæmonum virtus. In nomine Patris ✠ & Filii †,&Spiritus ſancti ✠ Amen.

Oremus.

INeffabilem miſericordiam tuam, Domine, clementer oſtende, & hunc famulum tuum N. à peccatis omnibus exuas, & à dæmone, qui eum torquet, potenter eripias. Per Dominum noſtrum JE-

JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate &c.

Aſpergens obſeſſum dicat:

Aqua benedicta extinguat,& ſeparet à te N.omnia dæmonum maledicta. In nonine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Exorcizatio dæmoniaci manu ſuper eum impoſitâ.

EXtinguatur in te N. creatura Dei,omnis virtus diaboli,per impoſitionem manuum noſtrarum; nec non per invocationem ſuper te omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, cunctorúmque ſimul Sanctorum & Sanctarum Dei. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Oremus.

PRotector noſter, aſpice nos, & hunc famulum tuum N. à malignorum ſpirituum defende periculis, ut omnî dæmonum perturbatione remotâ, liberâ tibi mente deſerviat. Per Dominum noſtrum &c.

Exorciſmus.

QUò ibitis vos tartarorum dæmones? quò pergetis? amodò enim deficietis, & absque fine peribitis. Menſa vobis quondam præparata ſublimis, jam cibo caret, & vinum non habet; & vos omnes *famem patiemini veluti canes, & circuibitis civitatem* noſtram Jeruſalem, Eccleſiam videlicet ſanctam, quam cæleſti tritico abundare, ac ſuaviſſimo torcularia noſtra vino deſuper redundare conſpi-

ſpicitis. Sapientia enim Dei miſcuit in ea potum, & poſuit nobis menſam ſuam. Verumtamen, quod vos miſeros validiùs cruciare non deſinit, hoc inprimis eſſe videtur, quòd ob veſtram ſuperbiam indigni cæleſti convivio exiſtimati eſtis, ac vices veſtras mutavit Altiſſimus, panem Angelorum largiens, & cibaria mittens nobis affluenter. Ecce igitur, ô Dei defectores, ecce appropinquavit jam exitus veſter. Quid ergò inter nos commorati quæritis? cur ergò à nobis declinare non feſtinatis, ô maligni ſpiritus, & præcipuè ab hac Dei creatura N. omnes vos cur longè abire cunctamini, qui temerariè illam occupare, veſtráque obſtinatâ nequitiâ continuò torquere, atque infeſtare auſi eſtis? Nónne quod Altiſſimi ore pronunciatum eſt, percipitis: *Qui acceſſit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino?* Jam iſtius anima ad imaginem Dei effecta, multoties Angelorum eſcâ nutrita fuit: jam ſæpiſſimè de cœlo Dominus in terram deſcendens, domum ipſius, ac pectoris tectum dignatus eſt habitare: tu verò, ſociique tui peſſimi, ac maledicti, ejecti de paradiſo, & ab hominum, Angelorúmque conſortio perpetuò disjuncti nobiſcum commiſcere vos ipſos non erubeſcitis, ac ſanctum, Deóque ſacrum, & benedictum, veſtra fœtidiſſima præſentia, vel imbecilli virtute profanare? Quomodo ergò huc intrâſtis non habentes veſtem nuptialem? Maledico igitur vos omnes ſacrilegos † nomine ejuſdem DEI Omnipotentis, Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti †, qui hanc creaturam ſibi in juſtorum ſegregavit partem. Exorcizo vos † conjuro vos † flagello † & alligo

ligo vos † per potentiam Omnipotentis, qui vos exterminavit, atque juſtiſſimè à Sanctorum communione ſejunxit. Ejicio vos † Dei, & Chriſti potentiâ, & præcipites detrudo in tenebras exteriores; ac per eandem potentiam vobis firmiſſimè mando obſequi mihi miniſtro ejus in omnibus, quæ vobis, nomine ipſius, injunxero † & ſub hoc præcepto, non tamtùm vos ligare cogito, verùm & cunctas illas potentias, quæ adverſantur, aut repugnaturæ ſint mandatis Altiſſimi, per me Sacerdotem ſuum, atque miniſtrum indignum, vobis indictis, atque indicendis; ſive ſi poteſtas hominis, ſive mali angeli, quomodolibet hoc facinus perpetrantis. Inſuper, eâdem mente, nunc & ſemper ego ipſe, eâdem DEI potentiâ, atque virtute, diſſolvo † omne maleficium (ſi interſit) omne ligamen, omne pactum, atque nequitiam, quomodocunque conſtructam: & hoc eodem præcepto vos connecto, ſi pertinaciter agatis, ſub pœna graviſſima incrementi veſtrorum cruciatuum, omniúmque repugnantium, uſque in infinitum, de momento in momentum ad mei nutum. Præcipio † igitur tibi, qui es caput ſpirituum nefandorum, hoc in corpore commorantium, ut tuo nomine, ac cæterorum omnium, debitam præſtes Sacerdoti obſequentiam, ob DEI gloriam, proximi hujus levamen, veſtrorumque infernalium æternam confuſionem. Impero vobis in virtute cœleſtis hujus, & Angelorum panis † ut cedatis. Mando vobis † per potentiam Corporis Chriſt. Adſtringo vos † ad obediendum per ſubſtantiam cœleſtis hujus, ac Divini pabuli; & in nomine admi-

mirabilis, ac venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti, quam adorant Angeli, venerantur Archangeli, & abſque fine collaudare non deſinunt. Verùm, attendite jam, tartarorum belluæ, quid Apoſtolus Paulus, divino dictante Spiritu, de auguſtiſſimo hoc cibo enarrarè aggreditur, attendite, & contremiſcite potentiam Salvatoris. *Ego enim accepi à Domino, quod & traditi vobis: quoniam Dominus JEſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, Dominus JEſus inquit. O admirabile nomen! ô nomen ſuper omne nomen! poteſtas igitur Altiſſimi hæc eſt: manus DEI, & virtus eſt, quæ tangit, omnipotentis. Quod opus igitur producturam putatis illius dexteram? Is enim, qui tangit, JEſus eſt, Deus admirabilis eſt, atque terribilis valde; qui inſimul & homo eſt verus, in unius ſingularitate perſonæ; à quo admirabilia ſolùm effici poſſunt in cœlo, & in terra. Hic eſt JEſus, Altiſſimus ſuper omnes deos: Judex à Deo Patre conſtitutus vivorum, ac mortuorum: Hic eſt JEſus, cujus nomen eſt admirabile in univerſo terrarum orbe. Hic eſt JEſus, qui regnare dicitur in æternum, & in ſæculum ſæculi. Hic eſt JEſus, cujus imperio ſuper vos duriſſimos peccatores, ignis, laquei, ſulphur, & procellarum ſpiritus indeficienter pluit. Hic eſt JEſus, qui iræ ſuæ ſagittas potenter emittens, diſſipabit vos. Hic eſt JEſus, nobis vindictas tribuens, ac tartareos populos veſtros potentiſſimè nobis ſubdens. Hic eſt JESUS, qui exultavit veluti gigas, ad currendam viam à ſummo cœlorum habitaculo. Hic eſt JESUS, ſcutum veſtrum, ô dæmones, gla-

gladium, ac bellum fortiter confringens, quod contra eum Lucifer Princeps veſter tentare auſus fuit. Hic eſt JEſus, refugium noſtrum in tribulationibus, quibus vos dæmones nos torquetis undique. Hic eſt JEſus, Unigenitus DEI Filius, cujus verbo cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum ſtabilis eſt effecta. Hic eſt JEſus, peſſima veſtra diſſipans conſilia, contra ipſum, ejúsque fideles ad ſui Conditoris imaginem, & reprobans cogitationes veſtras perverſas. Hic eſt JEſus immittens Angelum ſuum ſanctum, atque perfectum, in circuitu eorum, qui eum formidant & eripiens eos de manu veſtra duriſſima. Hic eſt JEſus, cujus oculi ſuper juſtos, aurésque ipſius ad eorum ſunt preces intentæ, Hic eſt JEſus, cujus vultus terribilis eſt valdè contra vos ſuperbos, ac ſemper nequitiam efficientes; ut perdat de terra memoriam veſtram. Hic eſt JEſus, ſervorum ſuorum animas de manu inferni potenter redimens. Hic eſt JEſus, apprehendens arma, & ſcutum, atque in adjutorium noſtrum contra vos dæmones exurgens. Hic eſt JEſus, apud quem indeficiens vitæ fons manare dicitur; & cujus lumine videmus lumen, quô vos orbati fuiſtis in æternum. Hic eſt JEſus, ſedens ſuper altitudinem Cherubim. Hic eſt JEſus, quaſi vir pugnator adversùs vos; quoniam omnipotens nomen ejus. Hic eſt JEſus, magnificus in Sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciénsque admiranda prodigia in cœlo, & in terra. Hic eſt JEſus, cujus nomen, Dominus, Altiſſimus in toto terrarum orbe. Hic eſt JEſus,

Digitized by Google

ſuavis, & mitis ac multæ miſericordiæ omnibus, qui invocant illum. Hic eſt JEſus, ac DEus virtutum, qui facit ſuper nos ſignum † in bonum, ut vos invidi aſpicientes, confundamini. Hic eſt JEſus, qui deprimit ad ima, ſicuti vulneratum, Principem veſtrum Luciferum, ſuperbiâ tumidum. Hic eſt JEſus, cunctas numerans cogitationes veſtras, ac ſciens vanas eſſe. Hic eſt JEſus, ante cujus conſpectum præcedit ignis, inflammans in circuitu omnes vos adverſarios noſtros. Hic eſt JEſus, DEus, & Dominus, fortitudo noſtra. Hic tandem eſt JEſus, cujus virtute, nomine, atque potentiâ ego indignus Sacerdos, atque miniſter, iterum vos aſpides ſurdos conjuro † ut omni fallaciâ, atque obduratione remotâ, mihi JEſu miniſtro cedatis, obediatis, atque in omnibus obtemperetis, hinc recedentes, nec amplius reverſuri, &c. Exorcizo igitur vos † per tot nomina, tantâſque Chriſti JEſu Salvatoris, ac Redemptoris humani generis, potentias, & virtutes, quas inter innumeras alias recitavi. Urgeo vos ad obediendum, eâdem mente, formâ, conditione, atque ſub eiſdem pœnis ut ſuprà. Coarcto vos † millies, verbis JEſu, DEI filii Omnipotentis; & in virtute ejuſdem accipientis in manus ſuas panem *admirabilia* pro nobis de ſua diviniſſima carne operandum; ut omnes moras præcipitetis, ô rebelles, ô peſſimi, ô ſceleſtiſſimi! & mea exequamini mandata, nomine Omnipotentis vobis injuncta. Iſte denique JEſus Adonai vos liget †. Iſte JEſus Otheos vos proſternat †. Iſte JEſus Athanatos vos acriter cædat †. Iſte JEſus Iſchyros

vos debilitet ✝ Iſte JEſus Homouſion vos condemnet ✝ Iſte JEſus Tetragrammaton vos comprimat ✝ Iſte JEſus Agla vos fuget ✝ Iſte JEſus El vos compurat ✝ Iſte JEſus Eloim vos conveniat ✝ Iſte JEſus Eloa vos confundat ✝ Iſte JEſus Agyos vos diſſipet ✝ Iſte JEſus Jehova vos terreat ✝ Iſte JEſus Emmanuel vos dilaceret ✝ Iſte JEſus Symandolum vos exorcizet ✝ Iſte JEſus Alpha & Omega vos comprimat ✝ Iſte JEſus Nazarenus vos peſſundet ✝ Iſte JEſus ex Maria Virgine mirabiliter genitus, vos conterat ✝ Iſte JEſus, DEI verbum, vos premat ✝ Iſte JEſus Sacramentorum auctor, fidei Pater, ſalutis diſpenſator, gratiarum elargitor, DEus verus, DEus unus, DEus caro, DEus Omnipotens, vos ad fugiendum potenter inducat.

Verùm, ô ſpurciſſimi, ô invidi, immenſam & præſtantiſſimam JEſu charitatem animadvertite: dum in illâmet noctis hora, in qua à nequiſſimo Juda tradi ſe agnoſcebat, accepiſſe dicitur panem: & gratias DEO Patri agens, fregiſſe, dediſſéque diſcipulis: cùm videlicet vos maledicti, cor proditoris inſtigabatis, ut DEI filium, Altiſſimi verbum, Agnum innocentiſſimum impiis venderet Judæis, útque Sanctus Sanctorum morti daretur; tunc, tunc potiſſimùm ipſemet ſe nobis ſub panis, & vini ſpeciebus ſemetipſum tradere feſtinabat. O ſumma DEI benignitas! ô liberalitas Redemptoris! ad omnia ſe nobis præſtat, cùm nos ipſi inſtigatione veſtrâ peſſimâ, ô dæmones, præſtemus ei mortem. Sive igitur ornari velitis (ait ipſe) ornatum meum accipite;

Digitized by Google

ſive armari, arma mea, ſive indui, veſtimenta mea, ſive ambulare, viam meam; ſive hæreditatem poſſidere, hæreditatem meam, ſive patriam ingredi, civitatem, cujus ego ſum artifex, & Creator, ſive domum ædificare, in tabernaculis meis; ſive veſci, menſam meam, imò & meipſum vivum: eorumque, quæ ipſe præbeo, mercedem non exigo. Quid huic æquale ſit largitati? Ego Pater, ego frater, ego ſponſus, ego domus, ego veſtimentum, ego radix, ego fundamentum, ego altor, & cibus. Quidquid vis, ego; nullius indigeas, ego quoque ſerviam: non enim veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Imò & tunc ipſe vitam propriam miniſtrabat, cùm vos dæmones, illi mortem per manus iniquorum veſtrorum parare non ceſſabatis. Referri cogebàtis ei per proditorem mala pro bonis, odium pro dilectione, maledictionem pro benedictione, vulnera pro ſalute, ac tandem pro vita, morte turpiſſimâ, ut ille damnaretur, ſuaſiſtis Judæis. Nox iſta, nox perennis, perpetuis perfuſa tenebris fuit vobis infeliciſſimis: ſed lucidiſſimis circumornata ſplendoribus perpetuò luceſcet nobis; dum juxta Sophoniæ Prophetiam, fidelibus ſuis Dominus præparavit hoſtiam ſempiternam, illóſque ſanctificavit: dum Angelorum Dominus, & Creator carnem ſuam, panem de cælo verum largitur nobis: dum non ampliùs in fermento veteri, nequi in tritico malitiæ, ac nequitiæ veſtræ nos epulari permittit, ſed azymis ſinceritatis, & veritatis veſci, atque nutriri decrevit, ut figurate dicitur: *Impoſuerunt arcam DEI ſuper plauſtrum novum,*

vum, dum nos, dæmonum calicem bibere, aut veſtras ſpurciſſimas participare menſas, non ſinit Chriſtus; cùm jam *vidimus manipulos veſtros*, ô impii dæmones, *adorare manipulum noſtrum;* dum, ſub diverſis ſpeciebus, mirô modô, ſeipſum totum nobis largiſſimè DEI Genitus impertitur: dum panis Angelorum ſit pro nobis cibus viatorum in cœleſtem patriam: dum ipſemet novum præbet dogma fidelibus in DEI ſubſtantiam veraciter tranſilire panem, ac vinum in ejus ſanguinem converti: dum denique manducantes DEI vivaciſſimam carnem, nosmetipſos in DEO, ac DEUM ipſum in nobis manere jubet: quapropter etiam nobis vitam policetur æternam, quoniam dum manducatur ipſe, reficit, ſed non deficit, vivitque manducatus, quia ſurrexit occiſus. O felix ergò traditio, ex qua talis, ac tanta hominibus emanavit largitio! ô qualis refectio, ubi dapifer eſt Chriſtus, pincerna Spiritus ſanctus! ô beata nox, in qua credentium animæ, vera DEI tabernacula, carne, & ſanguine Altiſſimi Filii conſecrantur: nox, in qua figurarum tenebras novo Euchariſtiæ Sacramento fugavit Dominus. Nox, quæ in Chriſto credentes, Chriſtúmque ſumentes, cum ipſomet Chriſto jungit, ac nectit, ut prædixit figuratim ſponſa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Nox, in qua homo vitalem ſumens cibum, ac potum, *jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Vox, in qua immortale commiſcetur mortali, ut ad vitam ducat ſempiternam. Nox, in qua altitudo humilitati, fortitudo imbecillitati,

dulcedo amaritudini, lux tenebris, atque caligini mirabiliter copulatur. O verè beata nox, de qua dici poteſt. *Nox ùt dies illuminabitur*, *& nox illuminatio noſtra in epulis noſtris*: quia præparatur nobis menſa Domini exercituum, & panis fortium Chriſti fidelibus diſpenſatur; ut & nos tanquam leones robuſtiſſimi, ignem ſpirantes, inde ſurgamus vobis diabolis terribiles, horribiles, ac valde feroces, & tu occultus hoſtis, videns labia noſtra, Chriſti cruore rubentia, territus perhorreſcas, & mox in tenebrarum tuarum latibula paveſcendo diffugias. Quod enim nos per viſibilem panis & vini ſpeciem ſuſcipimus, tu, velis, nolis, dominici corporis ac ſanguinis intelligis veritatem.

Per hujus igitur ſanctiſſimæ noctis virtutem, contra vos, ô dæmones, iterum inſurgo ☩ per ſacratiſſimam hanc menſam, vos ab integro conjuro ☩ per potentiam ſacratiſſimi Chriſti ſanguinis, per ejusdémque carnem ſuaviſſimam, atque divinam in hac feliciſſima nocte, & in hac cœna nobis traditam, vos exorcizo † per tanti, támque venerandi myſterii efficaciam pro nobis effecti vos adjuro ☩ per gratiam, quæ in hoc venerabili Euchariſtiæ Sacramento Eccleſiæ fidelium diſpenſatur, vobis efficaciſſimè impero, ut meis, Deique præceptis, jam vobis injunctis, pareatis. Per immenſam charitatem, quâ Chriſtus adeò dilexit nos, ut traderet ſeipſum nobis ad manducandum, ac bibendum, compello vos, ut cedatis miniſtro Chriſto † per virtutem, quam omnes Sancti adepti ſunt ob digniſſimam tanti Sacramen-

menti ſumptionem, vos ligo ✝ vos compello † vos cogo ✝ vos ad obediendum, & molleſcendum urgeo † in nomine JEſu, qui etiam ſe ipſum obtulit nobis, ut contra vos infernales belluas fortiter pugnaremus.

Verùm attendite vos nequiſſimi, quid ampliùs Dei ſapientia in hac venerabilis refectione myſterii operetur. *Cùm gratias egiſſet*, ait Apoſtolus: *fregit panem, & dixit: Accipite, & comedite.* O immenſa DEI liberalitas! ô mare, ô pelagus, ô altiſſima miſericordiarum abyſſe! *Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes ejus?* Animam námque, corpus, divinámque ipſius eſſentiam tradidit ad vitam nobis æternam communicandam. Accipit, ut tribuet: modicum ſumit à nobis, ut maxima nobis largiatur: recipit materiale, ut ſpirituali diſpenſet: temporaneum acceptum habet univerſorum Dominus, ut concedat ſine fine duratura: recipit tandem à nobis fructum panis, ut ſe ipſum, Deum, & hominem, in quo, & per quem exiſtere dicuntur omnia, nobis ipſe communicet.

Sed ecce jam divinæ Majeſtatis intonat verbum, & *Altiſſimus dat vocem ſuam*, dicens: *Hoc eſt corpus meum.* Expaveſcite, contremiſcite poteſtates tenebrarum: etenim vox DEI terribilis, per Sacerdotum ora tonantis, contra vos rotat, ut vos percutiat † ut vos conſternat ✝ ut vos viriliter mactet ✝ quia jam tam validîs verbîs adhibitîs, panis factus eſt Chriſti caro; mirum in modum de ſubſtantia in ſubſtantiam tranſiens, ut Chriſti fideles tali eſcâ nutriti, per gratiam ipſius in DEO,

& DEUS in eis ſemper maneat; attamen ut ſemper adverſum vos tartarorum ſpiritus, & contra veſtram ſuperbiam, atque obſtinatam perfidiam efficaciùs pugnaremus. Terrore enim concuteris tu, & omnes adverſarii noſtri, cùm Chriſtiani labia, ac Sacerdotum verba hoc divinum conficientia Sacramentum, aſpicitis Chriſti Domini cruore rubentia. Agnoſcitis enim jam præſtò eſſe perditionis veſtræ judicium, & divinæ victoriæ, quâ captivati eſtis & obtriti, non toleratis inſtrumentum. Hoc námque eſt corpus illius, qui fuit, & cum DEO Patre eſt coæternus, & incomprehenſibilis, immortalis, & indiviſibilis, ſapientiſſimus, atque omnipotens, Creator excelſus, ac Dominus Dominantium; unus DEUS in ſubſtantia, Trinúsque in Perſonis, paternæ Deitatis gloriæ indeficiens ſplendor, atque ad dexteram illius immobiliter ſedens: Verbum DEI Patris inſeparabile, illique ſemper coæquale; Filius, qui dicitur Patris in Patre & ex Patre, non profluens foras, ſed aut quaſi à ſole ſplendor, aut quaſi ab igne inſita ſibi caliditas. Hoc eſt corpus illius, qui poſt temporum curricula, cùm eſſet DEUS, *deſcendens de Patre luminum*, in Mariæ Virgineo thalamo noſtram ſibi aſſociavit carnem, duas in ſola copulans perſona naturas; ut hominem peccatis obnoxium DEUS homo liberum redderet: ex quo propterea Patre minor ipſe dicitur; quia pro nobis hominibus factus eſt homo & mortuus eſt, ut nos à mortalitate liberaret, & cœleſtis vitæ participes faceret, quam vos impii perdidiſtis. Hoc eſt corpus illius, cujus adven-

Digitized by Google

adventus in utero Matris ab Angelo fuit prænunciatus. Hoc eſt corpus illius, qui abſque viri ſemine ex intacta Virgine naſci voluit. Hoc eſt corpus illius, cujus nativitas pacem, & gaudium cuncto annunciavit terrarum orbi; dicente Angelorum cœtu: *Gloria in altiſſimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc eſt corpus illius, qui, cùm eſſet dives in omnibus, ac ſuper omnes Reges terræ; in ſtabulo naſci, cum jumentis reponi, atque inopem traducere vitam non recuſavit. Hoc eſt corpus illius, qui octavo Natalis ſui die etſi legis effector, legi ſe ſubmiſit, ut circumciſionis legem humiliter impleret. Hoc eſt corpus illius, qui jam mundo manifeſtus JESUS appellari voluit, id eſt Servator; ſicuti jam priusquam conceptus eſſet, ab Angelo fuit divinitùs appellatus. Hoc eſt corpus illius, cujus apparitio à cœli ſydere adnotari, cujúsque occulta Majeſtas à Regibus humiliter adorari decrevit. Hoc eſt corpus illius, qui in templo præſentatus, & piiſſimi Simeonis ulnis arctiſſimè complexatus fuit. Hoc eſt corpus illius, qui vix natus, paſſus eſt impii Regis perſecutionem, atque unà cum Matre fugam arripuit. Hoc eſt corpus illius, qui cùm eſſet DEI ſapientia ſingularis, ſapientes docere voluit, & ſcribas interrogare. Hoc eſt corpus illius, cujus innumeras virtutes, & vitam per diuturna annorum curricula mortalibus occultavit Omnipotens; ut vobis diabolis DEI filius jam mundo ortus abderetur. Hoc eſt corpus illius, qui à Joanne, ſuo præcurſore dgniſſimo, in peccatoris morem ſe ab-

lui voluit, atque in Jordanis flumine humiliter baptizari. Hoc eſt corpus illius, qui ob pœnitentiæ nobis proponendæ ſpecimen, prius ipſe in deſertum ſecedens, jejunavit, ſéque quadraginta dierum ſpatio varie afflixit, ibíque, à ſatana conſocio veſtro peſſimo, atque fallace tripliciter ſe tentari paſſus fuit, illiúmque fortiter debellavit. Hoc eſt corpus illius, qui ob mundi converſionem & inferni everſionem milites ſuos convocare voluit, piſcatores, pauperes ſapientiæ expertes, atque invalidos, ut fortes, ac ſapientiâ præditos glorioſius vinceret, conſterneret, confunderet, ac penitus ſuperaret. Hoc eſt corpus illius, qui aquam in vini ſubſtantiam ſolo nutu mutavit. Hoc eſt corpus illius, qui cœcorum oculos ſputo liniens, incunctanter aperuit claudos erexit, ſurdis præbuit auditum, mutis loquelam reſtituit, ægros reddidit ſanitati, roboravit imbecilles, obſeſſos à vobis dæmonibus, imperio ſuæ potentiſſimæ vocis, illicò liberavit; vitâ functos ad vitam revocavit; tandem duros, & pertinaces peccatores ad ſe, ſolo verbo, exemplóque convertit. Hoc eſt corpus illius, qui mirum in modum cibos multiplicans, innumeras replevit turbas. Hoc eſt corpus illius, cui venti, & mare obediunt feſtinanter. Hoc eſt corpus illius, quem fugam in montem arripuiſſe ſcitis, ne à mundi gloria fallaciter caperetur. Hoc eſt corpus illius, qui verbo tantum, panem ac vinum, in carnem & ſanguinem mutavit; tradens poteſtatem ſimiliter faciendi nobis Sacerdotibus, ut ipſemet nobiſcum in cibum; & ſpiritualem potum perpetuo remaneret. Hoc eſt

cor-

Digitized by Google

corpus illius, qui prodi à diſcipulo, & ab inimicis ſe emi viliſſimô permiſit pretio. Hoc eſt corpus illius, qui cùm eſſet Deus ac Dominus omnium, excelſusque ſuper omnes terræ Reges, piſcatorum viliumque mortalium pedes proſtratus lavare voluit, & humiliter tergere. Hoc eſt corpus illius, qui in horto attentiùs orans, ob mortis agoniam, ſanguinis guttas in terram uſque miſit. Hoc eſt corpus illius, qui ſe comprehendi, ligari, atque à Judæis inferni miniſtris, trahi voluit. Hoc eſt corpus illius, qui ante judices falsò affectus infamiâ, alapâ percuſſus, iniquorum numero aſſociatus, ſputis ſatellitum fœdatus, illuſus, atque deſpectus fuit. Hoc eſt corpus illius, qui ſpineâ coronâ eſt coronatus, acriter cæſus, aceto potaſus, ac felle, útque reus injuſtiſſimè condemnatus. Hoc eſt corpus illius, qui cruci affixus fuit, & unà cum latronibus appenſus. Hoc eſt corpus illius, qui pro crucifixoribus fervidas ad Patrem preces effudit. Hoc eſt corpus illius, qui virginem matrem ſuam Virgini Diſcipulo in cruce moriens commendavit. Hoc eſt corpus illius, qui pro iniquis patiens, in cruce moriens, magnâ voce clamans, ſpiritum Deo Patri reddent, expirâſſe creditur. Hoc eſt corpus illius, in cujus obitu ſolem obſcurari, terram contremiſcere, montes ſcindi, ſacrumque templi velum dividi firmiter confitemur. Hoc eſt corpus illius, cujus carnem, licèt vitali aurâ viduam, nunquam tamen à divinitate ſejunctam, trium dierum ſpatiô in alieno voluit humari tumulo. Hoc eſt corpus illius, cujus animam námque ſeparatam, ad inferos

feros deſcendiſſe, pióſque viros ibi detentos eripuiſſe teſtamur. Hoc eſt corpus illius, qui propria virtute, tertio poſt obitum die à mortuis reſurrexit. Hoc eſt corpus illius, qui primùm poſt reſurrectionem ſuam quadraginta dierum ſpatio, Matri ejus ſanctiſſimæ, ac poſtmodum Diſcipulis in terris apparere voluit, unà cum illis cibum capere, & cum eiſdem de cælorum Regno ſuaviter alloqui. Hoc eſt corpus illius, qui abſque alieno adjutorio, ſed propriâ adjutus potentiâ, ad cœlorum veſtigia aſcendere viſus eſt, poſt Sacramentorum omnium completam inſtitutionem, Diſcipulorúmque ſuorum ordinationem. Hoc eſt corpus illius, quem ad excelſi DEI Patris dexteram, unde venerat, glorioſiſſimè poſt tartarorum veſtrorum victoriam, ſedere pro certo credimus. Hoc eſt corpus illius, qui ad cœlos reverſus, ſpiritum ſanctum, Spiritum Divinitatis unum cum Patre, & Filio ſubſtantialiter exiſtentem, ſuper Diſcipulos, ſuámque Matrem, in linguarum ignearum forma, atque in Eccleſia ſua perpetuò permanſurum, emiſit. Hoc eſt corpus illius, quem poſt peracta ſæcula (quorum finem non eſt noſtrum ſcire, poſitum à Patre in ſua poteſtate) venturum eſſe ſcimus, ad judicandum terrarum orbem, cum virtute magnâ, ac Majeſtate.

Tandem attende, ô diabole, magnum Sacramentum: Filius Dei totus & integer eructatus eſt de corde Patris in uterum Virginis; de ventre Matris in gremium Eccleſiæ. Quantus in Patre, tantus in Virgine; quantus in virgine, tantus in Eccle-
ſiæ

ſiæ unitate. In Patre ineffabiliter, in Matre mirabiliter; ſingulari in Eccleſia. Cum Patre ejusdem & æqualis ſubſtantiæ: cum Matre ejusdem & diviſæ: cum Eccleſia ejusdem & occultæ, ſub ſpeciebus nimirum Euchariſticis. Sic, ſic, ô damnati diſtillaverunt cœli miſericordiam ſuper nos: ſic & verbum DEI transfuſum eſt, & effuſum ubique totum, ſine quo nihil totum.

Et vos, ô defectores, ô pertinaces, ô infortunatiſſimi dæmones, hoc cœleſti orbati Sacramentô, à talique menſa in æternum ſecluſi, tantæ audetis obſiſtere Majeſtati? tot potentias, tot virtutes, tótque cœleſtia dona vos non paveſcitis? fiat igitur menſa iſta divina coram vobis in laqueum, in amaram retributionem, in ruinam & in ſcandalum ſempiternum: quia cibus, qui in ea nobis apponitur, Deus eſt, caro divina eſt, caro Chriſti eſt, JEſus ipſe eſt, Deique Unigenitus, qui totus ab omnibus ſumitur, totúsque à ſingulis comeditur; qui virtutum pinguedine animas dignè ſumentium ſaginat; qui fidelibus ſuis in ſpiritualium tentationum luctamine contra vos, & Luciferum Principem veſtrum peſſimum, vires ſuppeditat; qui comedentium cordibus cœleſtem auget gratiam: qui virorum calamitoſorum vulnera mirificè curat; qui debilium munit pectora, ne in malis labantur; qui viatores comitatur in cœlorum ſemita, quò cuncti tendimus: per cibum námque à paradiſi ſumus amœnitate dejecti; per cibum quoque ad paradiſi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quem

nos

nos æterni jejunii ſama mulctavit; cibum Maria edidit Eccleſiæ, qui nobis cæleſtis convivii aditum patefecit. Hic cibus credentium illuminat mentes ad cœleſtia, veraque noſcenda, hic pio calore noſtra imbuit pectora; hic ut terrena fugiamus, ſublimiaque appetamus, nos monet; hic cuncta bona ſumentibus parat. Hæc denique cæleſtis menſa ſublimis, atque mirabilis, contra vos poſita eſt ſemper, ô dæmones, ut vos tereat: in ejus námque circuitu nunquam adeſſe ceſſant angelicæ poteſtates, venerantes, colentes, utque coram tanta Dei Majeſtate humiliter ſe proſternentes, cum canticis, ac laudibus Deum ſuum, factorem ſuum, ſuumque Creatorem ſub hominis ſpecie indutum extollunt, atque inceſſantur canunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Deus fortis, Deus exercitum, Deus admirabilis, Deus magnus, atque terribilis.

Cujus virtute ego ipſe ejus Miniſter, ex officio vos denuò ſpiritus tenebrarum exorcizo † per cunctas jam numeratas myſteriorum potentias † vos adjuro † vos inferni cives conjuro † Imò conjuret vos † validiſſimè corpus iſtud ſacratiſſimum, ac diviniſſimum Redemptoris. Conjuret vos † corpus JEſu Chriſti Filii Dei vivi: cogat vos Sacramentum Altaris: adſtringat vos † mecum memoria Paſſionis Chriſti; quæ in hoc ipſo recolitur Sacramento. Urgeat vos ad recedendum admirabile Euchariſtiæ myſterium. Conſternat vos † quotidiana Sacerdotum conſecratio, in Dei Eccleſia celebrantium. Compellat vos fugere † communicatio fidelium, tam ſacra-

cramentalis, quàm ſpiritualis hujus divini corporis. Expellat vos† poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, ab ipſomet Domino ſuis primùm Apoſtolis, ac per ipſos omnibus Eccleſiæ elargita Sacerdotibus. Cædant vos ✝ adepta fidelibus merita per ſacroſanctum hujus conſecrationem myſterii. Coarctent vos obedire, miteſcere, cedere, ac deprimi ſub manu, & voluntate Sacerdotis Deique miniſtri, omnis Chriſti operatio, omnis Chriſti nutus, cuncta Chriſti cogitatio, omnis Chriſti motus, omne Chriſti verbum, omne vitæ mortisque Chriſti JEſu myſterium, cunctaque Chriſti JEſu Redemptoris noſtri, & veſtrorum deſtructoris acerrimi excelſa merita: Qui JEſus, in pœnam tantæ protervìæ, defectionis, atque obſtinatiſſimæ conditionis veſtræ in virtute eorundem exorciſmatum, & myſteriorum, quæ audiſtis, augeat de momento in momentum veſtros cruciatus, dolores veſtros, ærumnas veſtras, omniumque vobiſcum participantium; ita ut nullus ſpirituum damnatorum vos ſuperet in tormentis. In nomine Dei Patris ✝ Dei Filii ✝ Deique Spiritûs ſancti ✝ Amen.

Exor-

Digitized by Google

Exorciſmus V.

In Feſto Annuntiationis B. Mariæ Virginis. Item in Sabbatis, ejusdémque Deiparæ feſtivitatibus, cum earumdem Octavis.

Præparatio ùt in primo Exorciſmo præterea, quæ hic ſunt propria.

✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. ✠ ℟. Gloria tibi Domine. ✝

In illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ, cùm audiſſet, turbata eſt in ſermones ejus, & cogitabat, quàlis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JEſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in

in ſenectue ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur † in te omnis dæmonum virtus. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Recitentur Litaniæ Beatæ Virginis.

Antiphona.

SUb tuum præſidium confugimus, ſancta Dei Genitrix; noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à ſpiritibus immundis libera nos ſemper, Virgo glorioſa, & benedicta.

℣. Miſerere noſtri, Domina, miſerere noſtri.

℟. Quoniam in te confidit anima noſtra.

℣. Miſerere noſtri, Domina, miſerere noſtri.

℟. Quia multum repleti ſumus deſpectione.

℣. Miſerere noſtri Domina.

℟. Quoniam conculcavit nos ſatanas,

℣. Præcinge nos, Domina, virtute ad bellum.

℟. Et ſupplanta inſurgentes in nos ſubtus nos.

℣. In te inimicorum noſtrorum ventilabimus cornu.

℟. Et in nomine ſancto tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.

℣. Eſto nobis, Virgo, turris fortitudinis.

℟. A facie inimicorum omnium.

℣. Nihil proficiant inimici in nobis.

℟. Et filii iniquitatis non apponant nocere nobis.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Digitized by Google

℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DEfende, quæſumus Domine, beatâ Mariâ ſemper Virgine intercedente, iſtam, ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuêre clementer inſidiis: qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Canticum beatæ Virginis.

MAgnificat anima mea Dominum: Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Gloria Patri &c.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

IN diebus illis, loquutus eſt Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.

num. Et dixit: Audite ergò domus David: Numquid parùm vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum; & eligere bonum. ℟. Deo gratias.

Oremus.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, verbum tuum, Angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te contra inferni nequitias interceſſione juvemur. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Hymnus.

AVe Maris ſtella,
DEI mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Hoſtes noſtros pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,

Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes JEſum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui ſancto,
Tribus honor unus, Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.
℣. Dominus vobiſcum &c.
✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. ✠
℟. Gloria tibi Domine. ✠

IN illo tempore, dixit JESUS turbis Judæorum: cùm immundus ſpiritus exierit *de homine perambulans* per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Factum eſt autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. At ille dixit: quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

℟. Laus tibi Chriſte.

Per

Digitized by Google

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur in te ✠ omnis &c.

Oremus.

PRæſta, quæſumus, omnipotens DEUS, ut qui beatæ Mariæ ſemper Virginis protectione confidimus, conctos nobis inferni adverſarios, te adjuvante, vincamus. Per Dominum noſtrum &c.

Aſperſio creaturæ.

Aqua benedicta extinguat, & ſejungat à te N. omnia dæmonum ficta. In nomine Patris, ✠ & Filii, † & Spiritûs ſancti ✠ Amen.

Exorcizatio dæmoniaci.

EXorcizo te N. creaturam DEI infirmam, & per iſtam ſanctam Crucem ✠ & benedictionem, reſtituat te Dominus in ſtatum priſtinum, ut permaneas in ſanctificatione: ac fortitudo DEI, veluti ſignum, ſuper te ſpiritum ſit; ut omne opus ſatanicum, ipſumque dæmonem opprimere, eradicare, ac fugare valeat. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs ſancti ✠ Amen.

Oremus.

DA, quæſumus Domine, ſervo tuo N. intercedente beata Virgine DEI Genitrice Maria, ut à malignis ſpiritibus miſericorditer liberetur, atque hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs ſancti DEUS &c.

Exorciſmus.

IN nomine puriſſimæ, ac præclariſſimæ Virginis DEI Genitricis Mariæ, ego indignus Chriſti

Digitized by Google

Sacerdos, ejusdemque Deiparæ famulus, auctoritate mihi conceſſa à ſancta Romana Eccleſia Catholica, in ſanguine JEſu Dei verbi, ac Matris ejus innixa meritis, ſupra inferni regnum, ejusque cultores audeo vos dæmones, qui hanc DEI creaturam (ſive mediatè, ſive immediatè) obſidetis, exorcizare † conjurare † & compeſcere † ſicuti jam vos exorcizo † conjuro † adjuro † in primis per potentiam Altiſſimi † qui Angelum ſuum Gabrielem de cœlorum miſiſſe dicitur habitaculo ad Mariam Virginem, deſponſatam viro juſtiſſimo, atque piiſſimo, Joſeph, de familia David, homini ſecundùm cor DEI; ut ſine ullo temproris intervallo, fraude, atque fallaciâ, vos ipſos voluntati, nutui, atque obedientiæ ſacerdotali prorſus ſubjiciatis, in omnibus, & per omnia, quæ vobis, prædictarum potentiarum nomine, ſum præcepturus; quæ ſint juxta DEI beneplacitum, honorem & gloriam; quæque in veſtram confuſionem, damnationem, & pœnam cedant; nec non ædificationem, atque proximorum ſalutem ſint ſpectantia. Impero igitur tibi † præcipuè, qui nefandiſſimum ac viliſſimum hujus infernalis cohortis ducatum obtines; ſimulque præcipio cunctis aliis ſociis tuis teterrimis, cujuscumque ordinis ſint; qui, ſive intus, ſive extra, huic DEI creaturæ moleſti eſtis: ſive ligati aliquo ſigno, verbo, nutu, pacto, incantatione, ac maleficio; ſive absque ulla retentione extrinſeca, ſed ſimplciter illam obſidetis; ut ſpondeatis, vel ſimul omnes, vel ut unus, omnium nomine, vos præſtaturos mihi DEI miniſtro, & Chriſti inſtrumento omnimodam obſequentiam, in nomine Omni-

Omnipotentis dandam, juxta idem Sacerdotis arbitrium. Præcipio fortiùs † vobis ſpurciſſimis ſpiritibus ſub eadem intentione, ac per eandem potentiam ſummi DEI, ut præcepta vobis injungenda etiam ligare, atque obſtringere valeant cunctas inferni, humanáſque potentias vobis faventes, vos juvantes, vóſque mediatè, vel immediatè detinentes. Ideóque etiam ut Chriſti inſtrumentum, per eandem virtutem, ac poteſtatem, actualiter abſolvere † diſſolvere † delere † deſtruere cogito † omne veneficium, omne vinculum, pactum, ſignum, dictum, ſcriptum à quocumque, quandocumque, quomodocunque, ac ubicunque conſtructa exiſtant. Item in univerſo hoc charitatis opere obligare decerno quoſcumque contumaces ſpiritus; prout actu ſubjicio, atque condemno vos, cunctóſque DEI, ac voluntati meæ rebelles, ac cuncta ſuppliciorum infernalium genera, quæ mens Angelica excogitare valeat, ac numerare; augendaque uſque in diem judicii magnum, ſingulis quibuſque momentis: & propterea etiam dupplicare intendo eosdem Exorciſmos, eadémque præcepta, & pœnas; ita ut unumquodque mille valeat: quibus incunctanter obedire debeatis, illíſque omnes vos, ſemper & ad ſemper humiliter ſubjacere. In nomine Patris, † & Filii, † & ſpiritus ſancti, † Amen.

Iterùm conjuro vos, nefandiſſimos DEI rebelles † per potentiam illius Majeſtatis, quæ tales, ac tantos mittere valet ſpiritus, & nuncios conſtituere, ſive Angelos, atque cælicas poteſtates,

quæque contra vos validiſſimè in ſublimi bellantes ac DEI ſummi tuentes gloriam, extiterunt victores; ac Principem veſtrum ſuperbiſſimum, omni cum exercitu veſtro conculcantes, de beata illa Jeruſalem fortiter dejecêre; in qua eſt pax ſumma, atque ſempiterna tranquillitas: ligantes eum duris, & aſperis vinculis, atque in profundum abyſſi detrudentes, æternis afficiendum ſuppliciis. Conjuro vos, æthiopes, nigerimos ✝ per potentiam Gabrielis, qui tam ſublimis myſterii ſingularis nuncius fuit deſignatus, atque ineffabilis DEI pronubus incarnationis. Exorcizo vos teterrimos inferni ſpiritus per ejusdem Archangeli nomen digniſſimum: etenim ob Incarnationis DEI myſterii diſpenſationem, nominis iſtius nucupationem accepit. Gabriel námque interpretatur, *DEus homo;* quia, cùm immutabilis DEI Majeſtas, humana inter homines apparere voluiſſet forma prævertens tempus, in Angelico miniſterio glorioſum ſui ipſius adventum præſignavit, quo ab infidelibus quidem exiſtimaretur ùt homo, à fidelibus autem declararetur ùt DEUS. Hæc quondam ſe vidiſſe teſtatur Propheta Daniel, lineis veſtitum candidiſſimæ puritatis, ac veritatis (qua ſtolâ vos miſeri in æternum orbati eſtis ob veſtram ſuperbiam) & accinctum tenibus auro obryzo fortitudinis, atque decoris: Cujus corpus erat, quaſi chryſolitus, & vultus veluti ſpecies fulguris, oculique ejus ut lampades accenſæ; amoris videlicet in DEUM Conditorem ſuum: brachia autem, & quæ deorſum ſunt, usque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis:

&

Digitized by Google

& vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis; ob ejusdem ſcilicet ſapientiam, ac myſteriorum revelationem Altiſſimi. Exorcizo vos, canes rabidos † per Mariam, Virginem integerrimam, mundi Dominam, cœlorum Reginam, & Angelorum, ad quam miſſa dicitur Gabrielis poteſtas excolendam, utque DEI Matrem electam humiliter venerandam. Quantum igitur eſſe putas tantæ Majeſtatis, puritatis, ſanctitatisque celſitu•inem, cui unus de cœlorum principibus mitti, eique ſubjici non dedignatur? Hæc eſt enim lignum vitæ in medio Paradiſi Eccleſiæ conſitum, à quo vitalis vita Chriſtus, DEI filius, ac ſuaviſſimus uteri ſui fructus emanavit; mortalibus vitam præbens, in perpetuum duraturam; ut de eodem ait Joannes: In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Hinc namque meritò Beatiſſima virgo Maria dicitur pariens parientis, oriens orientis, fons fontis vivi, origo principii, & vitæ vita: quia illum ex ea produxit per carnis naturam, qui caput eſt & initium rerum omnium per eſſentiam Deitatis. Hæc eſt canticorum ſponſa, quam præparavit DEUS filio ſuo in puriſſimam genitricem, matrémque caſtiſſimam, quæ veterem exuit tunicam, & legales pedes lavit, ac ſacroſanctum ſponſum in ſuo ipſius thalamo venerabunda ſuſcepit. Hæc eſt, quam, ad veſtrorum dæmonum confuſionem, beatam dicunt omnes generationes, tùm terreſtres, tùm cœleſtes, tùm inferæ. Hæc eſt mulier, de qua prædictum fuiſſe ſcitis, Dominum dote bona, cunctarum ſcilicet gratiarum, illam ornâſſe: quâ

Digitized by Google

dote vos miſeri, vos infeliciſſimi orbati eſtis initio electionis, atque ſuperbiæ veſtræ. Hæc eſt arca illa, compacta de lignis Setim, extrinſecus deaurata, & intus: puritatis videlicet mentis, & corporis: quinimò ipſa eſt fiſcella figurali illita bitumine intrinſecus & extrinſecus; prudentiæ nimirum ac pietatis exornata virtutibus: in qua ſpiritualis Moyſes à myſtico ſervatur Pharaone, nempe diabolo; cujus filia (gentilis videlicet Eccleſia) in virgineis ulnis eum enutriens, promiſſionis accepit recipiendæ vitæ mercedem. Hæc eſt propitiatorium de auro mundiſſimo, in quo vos, Angeli tenebratum, oculos figere nequaquam valetis. Hæc eſt perlucida ſtella, orta ex Jacob. Hæc eſt adoleſcentula Virgo, regi Domino præparata, contra caput veſtrum, ô tartarei, veſtrúmque excidium. Hæc eſt domus Domini DEI, repleta gloriâ in ſublimi. Hæc eſt vas novum, in quod ſal DEI ſapientiæ juſſus eſt mitti: quam vos cæci & inſipientes amiſiſtis, cùm Luciferi verbis, ac ſententiæ firmiter acceſſiſtis. Hæc eſt tabernaculum, quod ſanctificavit Altiſſimus, divinitatis ſuæ ſpiritu; à quo vos, nefandi ſpiritus, procul ejecti eſtis. Hæc eſt ſol, in quo idem Dominus excelſum ſibi poſuit domicilium, quémque vos miſeri contemplari nequitis. Hæc eſt terra viventium, ex ſe fructum germinans ſuavitatis, & vitæ; valdè amaritudini veſtræ obnoxium. Hæc eſt Dei diverſorium electum, in quo ipſi habitare placuit: è cujus umbra ſaluberrima vos dæmones ipſe perpetuò ſecluſit. Hæc eſt ſoror, & amica dilecti pulſantis, ut aperiatur

ſibi

ſibi oſtium gratiarum, & gloriæ; à quibus vos longè diſtatis. Hæc eſt Virga, de radice Jeſſe, à qua flos aſcendere viſus eſt JESUS ſcilicet Nazarenus, terribilis, atque tremendus veſtrorum vindex. Hæc eſt nubes leviſſima, ſuper quam Domino, qui Angelorum aſcendit pennas, equitare complacuit, ut vos deſertores ſpiritus perpetuò condemnet. Hæc eſt oliva, quam vocavit Dominus uberrimam, pulchram, & fructibus gravidam. O Virginalem fœcunditatem, decoram ſanctitate, atque gratiarum copiâ, verùm in campis poſita; quia in planitie ſæculi præſentis; quia in latitudine ſanctæ Eccleſiæ ubique terrarum diffuſæ; ut peccatores ad ipſam liberè, & absque veſtrorum, ô inferni hoſtes, impedimento reſpiciant, ad ipſam confugiant, ab ipſa conſilium quærant, auxilium percipiant; per ipſam Deo reconciliati, veniâ lætificati, gratiâ locupletati, fide illuminati, ſpe confortati, charitati juſtificati, aliis virtutibus excitati, bonis operibus exornati, & tandem gloriâ beatificati. Hæc eſt mulier nova, à Deo creata ſuper terram, ut circumdaret ſine viro virum: quod myſterium vos ſtulti intelligere non valetis obtenebrato lumine mentis veſtræ. Hæc eſt janua clauſa, quæ nunquam aperietur, nec vir tranſibit per illam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, & erit clauſa infernorum principi. Hæc eſt aurora conſurgens: attamen veſtro tenebrarum regno perpetuam adducens noctem. Hæc eſt pulchra, ut luna. Hæc eſt veluti cœli jubar electum, & ſingulare. Virgo enim ipſa inter animas

mas Sanctorum, & Angelorum choros ſuperemi-nens, & evecta, merita Angelorum, & omnium titulos antecedit; ſicuti, quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant, luna tamen, & magnitudine præemi-net & ſplendore. Hæc eſt terribilis, ut caſtro-rum acies ordinata adverſus luciferum, vóſque tartarorum milites. Hæc eſt, quæ de carnis aſcen-dit deſerto, cœleſtim affluens deliciis gratiarum, à quibus vos infeliciſſimi perpetuò elongati fui-ſtis. Hæc eſt regis cellaria, in qua Chriſti fide-les intrantes, exultant, atque lætantur digniſſimæ vino perfuſi charitatis: de quo vobis impiis nun-quam ſaturari, aut refici datum eſt. Hæc eſt illa Jaël tam puſilla, quæ Siſarum contrivit, veſtro-rum nimirum inferni Principem, ô damnati ſpiri-tus, fortitudine mallei virtutis ſuæ contundens. Hæc de manu Pharaonis (luciferi videlicet) ſuum ſalvat maſculum: abſque peccati labe Deum mun-do pariens. Hæc eſt diverſorium: caput ſuper hanc inclinat non habens tugurium, Rex æternæ gloriæ. Hæc eſt palma, cujus ramos aſcendentes ſancti, piique viri, de fructu ipſius affatim appre-hendunt: cujus vos, ô damnati, veluti rabidi ca-nes, famem patimini ſempiternam. Hæc eſt ce-drus Libani, rurſum ramos ſuos potendens, & Cy-preſſus montis Syon, quæ prius profundiſſimas ra-dices immiſit humilitais, ut in excelſum erigi me-reretur: vos autem, cùm primùm exaltari conati fuiſtis, dicentes cum lucifero: Conſcendamus ad Aquilonem, ſuper montem teſtamenti oxtol-lamus ſolium noſtrum; Similes erimus Altiſſimo:

me-

Digitized by Google

meritò deſcendere, imò dejici, imò præcipites agi, atque in ima loca detrudi meruiſtis. Hæc eſt cœleſtium armorum officia, in qua loricam ſibi DEI verbum de noſtra fragilitate compoſuit; in qua exultans ùt gigas potens & fortis in prælio, veſtras poteſtates aëreas debellavit. Sicque de Infirmitate conſtantia, de captivitate victoria, deque ruina eſt aſcenſio procurata. Hæc eſt feneſtra, per quam oſtendebatur Dominus, qui cùm eſſet inviſibilis naturæ, per ipſiusmet carnis ſubſtantiam eſt manifeſtatus mundo, Angelis, & hominibus. Hæc eſt fons hortorum, rigans videlicet in DEI Eccleſia electorum plantas: ſed terræ veſtræ tribulos potenter exſiccans, Hæc eſt hortus deliciarum cæleſtium, cujus ingreſſus vobis beſtiis ſemper videtur occluſus. Hæc eſt cæleſtis ſcala, ad DEUM aditum ſemper nobis & iter muniens: vobis verò damnatis ſemper abdens. Hæc eſt mulier, ſolis contecta radiis: pro calceis lunam habens: atque ſydereo ornata diademate: quam cunctorum generationes, conſona voce laudantes, ſemper beatam, felicem, ac ſine fine inclytam clamant: quoniam omnipotens, & excelſus magnam effecit illam, eamque DEI ſponſam, Deique Genitricem ſemper ſervavit intactam. Hæc tandem impollutus eſt Virginitatis theſaurus; ſpiritualis ſecundi Adami paradiſus; unitionis naturarum opificina; celebre ſalutaris commercii emporium; thalamus, in quo verbum incomprehenſibile carnem ſibi deſponſatam habuit; animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non combuſſit; mun-

mundiſſimum vellus, ex quo paſtor induit ovem. Ancilla & Mater; unicus ipſa Dei pons: ſacroſanctæ œconomiæ textorium jugum, in quo ineffabili quodam modo unitionis illis tunica confecta eſt; cujus quidem textor extitit Spiritus ſanctus; nectrix virtus obumbrans ex alto; lana, vetuſta, villosáque Adami pellis; trama impolluta ex virgine caro; textorius radius immenſa geſtantis gratia; artifex verò verbum per auditum illabens.

Per omnia igitur digniſſima piæ hujus Virginis nomina; pérque cuncta eorumdem nominum ſignificata piiſſima ac per virtutem gratiarum, & munerum præcelſæ Virginis, Deíque Genitricis MARIÆ, vos tartareos iterum ùt ſuprà, exorcizo ✝ conjuro ✝ adjuro ✝ atque ut pareatis, vos cogo ✝ præceptis à me vobis indictis, atque indicendis, eadem mente, forma, & conditione, ut ſuprà. Item præcipio vobis obedientiam ✝ per cæleſtem illam ſalutandi formam, à Gabriele Deiparæ Virgini præſtitam, dicente illi: *Ave, gratiâ plena.* O dulciſſimum, ô ſuaviſſimum Ave! ſuaviſſimum Mariæ, ejusque famulis perjucundum: vobis autem dæmonibus ô quàm amarum! ô quàm terribile; hoc ipſum *Ave*: væ vobis miſeris extitit, atque tormentum; væ infeliciſſimum; væ æternum; væque interminabile, & ſine fine duraturum. Contremiſcat ergo abyſſus veſtra: expaveſcat dux lucifer veſter, cunctíque vos, ô tartarei, ad tam tremendum illud Gabrielis ore prolatum *Ave* retrorſum cadite: quod etſi dulciſonâ voce manârit; attamen illud cælorum,

An-

Angelorumque Domina reverenter percipiens, valde eam pertimuiſſe ſcimus, & conturbatis viſceribus illud audiiſſe; dum dicitur: *turbata eſt ſermone ejus*, excogitans qualis eſſe hæc ſalutatio: qualem terrorem incutiet vobis, qui omninò excluſi, ô invidi, atque ab hac præſtantiſſima ſalutandi dignitate orbati eſtis, & ipſius loco, maledictionis offició fungimini, ac peſtifero blaſphemandi miniſterio occupati perpetuô detinemini: dentes enim veſtri, leones tartarei, arma ſunt, & ſagittæ; & lingua veſtra, gladius peracutus, ſermonibus odii circumdare conamini viros juſtos, illósque perditionis, & interitûs præoccupare laqueis. Idcircò longè à ſalutatione ſancta ſublimi, angelica atque divinâ tendere audiuntur increpationum, & maledictionum veſtrarum peſſimarum verba. Fumus, ſulphur, ignis maleolentia à gutture veſtro tartareo manare videntur; diſſipantia, affligentia, piorumque ſaluti ſemper adverſantia. Veruntamen gladius oris veſtri veſtrum transverberat cor; & arcus linguæ veſtræ ab omnipotente confringitur. Angeli, id eſt, boni nuncii, vos quondam à Deo creati fuiſtis ob veſtram verò inſipientiam, ictu oculi, deficientes, ô damnati, à tam magna, támque ſublimi dignitate miſerè cecidiſtis; nunciantes ſemper vos mala pro nobis, odium pro dilectione, iniquitatem magis, quàm æquitatem. Cùm fuiſſetis ad ſalutem differendam deſignati, evaſiſtis inanis gloriæ uſurpatores, ac peſſimi mortalium ſeductores; nunquam ad conſolandum, ſed ſemper ad inſtigandum, atque nocendum acceditis. Deſcendere

dere audiiſtis ab alto, ad Dei Matrem cœleſtem nuncium, ut illam ſupplex ſalutaret, dicens: *Ave gratiarum pleniſſima: Dominus tecum*. Vos autem pariter ad Dei filium appropinquare non erubuiſtis, ut eum fallaciter decipere conaremini, ac quotidie ad nos Dei aſſeclas ſimiliter acceditis, ut nos a recta vivendi ratione avertere tentetis. Veruntamen ſuper vos veſtra cadat deceptio; & in foveam, quàm rationalibus creaturis parare conamini, ſemper, DEI juvante gratiâ, vos ipſi ruitis, atque devicti præcipites agimini: quoniam Virgo illa, quæ omnipotentis ſemper eſt plena muneribus, cuique Deum ipſum perpetuò adhærere jam ſcitis, fortiter pro nobis pugnans, nos tuetur, nos protegit, nos munit, de vobis ſuperbis referre nos victoriam edocet. Plena eſt enim ipſa cœleſti virtute, juxta Gabrielis vaticinium: imò, veluti fons uberrimus impertimur nobis munerum ſuorum, atque virtutum rivulos, quoniam, dum tantarum copia gratiarum per ſanctum illum Deique Spiritum, qui eſt largitor munerum, in ea ſuperſedit, ſupernorum bonorum abundantiam, eorúmque innumeram mulditutinem ipſamet nobis auget, ex quo itàque dignum quippe eſt, ut, quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obſequiis etiam frequentetur humanis: eique poſt Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam ſuſcepit ſalutis Authorem. Optima ſanè ſpes noſtra eſt apud eam habere confugium, quæ inter omnes cœleſtis curiæ ſenatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum. Accedit enim ipſa illud aureum humanæ reconciliationis

nis altare, non ſolùm rogans, ſed & imperans; Domina, non Ancilla. Ad veſtram confuſionem, ad noſtrum verò auxilium, ô livore pleniſſimi. Dicit ipſa filio: moveat te natura, potentia moveat: quia quantò potentior, tantò miſericordior eſſe debes. Poteſtati enim cedit ad gloriam, injurias ulciſci nolle, cùm poſſit. Dicit, & impetrat cuncta, quæ rogat: in manibus enim ſuis jam ſcitis theſauros eſſe miſerationum Domini, & ſolam electam fuiſſe ipſam, cui tanta concedantur.

Per Præfatam igitur Angelicam vocem, quæ tam ſuavis Mariæ fuit, quàm vobis, ô dæmones, formidabilis, iterum exorcizo † iterum urgeo † iterum veſtram cogo proterviam, ut meis pareatis ſermonibus † per vim mittentis Altiſſimi, vos ad cedendum coarcto † ſub pœna augendorum tormentorum veſtrorum, millies, † per efficaciam præcepti Dei Patris; talem demittentis nuncium, vos viriliter urgeo † per Evangelicæ obedientiæ robur, Dei, & conditoris mandatum adnutum exequentis, vos coarcto † per tam ſublimem Gabrielis prærogativam, vobis mando † per Mariæ plenitudinem gratiarum, vobis obſequentiam indico † per arctiſſimam ejusdem Virginis cum Deo copulam vos convenio † vos flagello † vos cito † vos conculco † vobis conſtantiſſimè præcipio † ut vos ipſos, absque mora, ſacerdotalibus verbis ſubjiciatis. In nomine JEſu Nazareni † Salvatoris noſtri, veſtrique deſtructoris potentiſſimi.

Digitized by Google

Sed, quid ulterius Gabriel ad Mariam loquatur, attende: ait enim: *Dominus tecum*: quoniam ſicut ipſamet ab initio, & ante ſæcula præelecta fuit, & ab æterno ex Altiſſimi ore prodivit, omnem culparum umbram procul excludens; ſic etiam luce clarior, atque ſplendidior in ævum ipſa permanſit: in cujus viſceribus omnipotens ille, qui lucem inhabitare dicitur inacceſſibilem, ſuum poſuit tabernaculum, & veluti ſponſus de ſuo proceſſit thalamo. Vere autem cum ea Dominus adeſſe dicitur: etenim, ante temporum conſtitutionem in ipſa eſt commoratus ipſe temporum conditor; communem in ea præveniens mortalium lapſum: in tempore verò intra illam ſuum dignatus eſt domicilium ponere, dum ipſamet eum, quem cœli capere non poterant, ſuo contuliſſe gremio, compertum eſt: ad tandem poſt temporum curricula ſecum contulit illam, ejusdem præparans in cœleſtibus habitaculum, ſupérque Angelorum choros ſublimiter illam exaltans. Habitat quidem & Deus in Angelis, ſed non cum Angelis; quia cum illis ejusdem non eſt ſubſtantiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat & cum Virgine, cum qua unius naturæ habet identitatem. Hoc eſt ergò aurum fulvum nimis, quo thronus Salomonis eſt veſtitus: quia tali modo Deus Matrem Virginem induit, & in Virgine indutus eſt, ut melior non poſſet. Benè etiam de vobis ſpiritibus tartareis in veſtra creatione dici poterat, Dominum extitiſſe vobiſcum? cum tam affatim veſtræ naturæ ſuam cumunicaverit eſſentiam, protenderit potentiam, ſpoponderit præſentiam, tantam Angelicæ ſubſtan-

tiæ gratiam diſtribuens, tot dona ſublimia, tótque cœleſtia munera largiendo. Veruntamen unde anſam vos capere debebatis gratiſſimæ ſervitutis, ut majora ſemper à largitore dona referretis, atque arctior amoris copula vos cum eo jungeret; inde ingratiſſimi altiùs ſuperbientes, pertinaces effecti, omnipotenti Deo ſimiles eſſe conati eſtis: quæ cauſa fuit, ut ab ipſo tam longè disjuncti ſitis. Acceſſiſtis, impii, ad cor altum, & à vobis exaltatus eſt Deus. Receſſiſtis, ô dæmones, ab eo, qui eſt Creator, & miſerandum in modum periiſtis, diſperſi eſtis, quia fornicati eſtis ab illo: acceſſiſtis vobis vanè, & ipſe meritò receſſit à vobis in ſempiternum. Eſtis, tamquam ſi non eſſetis, absque eo, qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt in æternum. Vacui ergò Dei bonitate, quid ampliùs vobis reliquum erat, quàm omni repleri malo, quod nihil eſt apud ipſum, qui cuncta operatus eſt bona? ô miſerrimi, inter creaturas vitam deſeruiſtis liberè, & vivaciſſima morte interituque perenni conſumimini. Vanè contra DEUM conditorem veſtrum loquuti fuiſtis: propterea omni bono privati, perennibus obpreſſi cruciatibus, remanſiſtis: &, quod deteriùs eſt ô infeliciſſimi, quòd Dominus nunquam erit vobiſcum. Maria ſemper Dominum ſecum habet: Maria tantummodo gratiarum plena dicitur: Maria duntaxat inter omnes mulieres, imò inter omnes creaturas beatiſſima ſemper; Reſpexit enim DEUS humilitatem ejus, ideòque magnalia effecit illi, qui potens eſt. Vos immundiſſimi, vos ſuperbiâ tumidi, vos arrogantes, à Deo

ſejuncti, atque in æternum ſegregati, vos cunctarum gratiarum munere orbati, vos ſpurciſſimi, vos nequiſſimi, vos diaboli damnati, atque damnandi, perpetuis maledictionibus inter omnia mundi hujus, cœlorumque figmenta repleti eſtis.

Per præfatam ergò Mariæ cum Deo ſuo piiſſimam unionem iterum vos dæmones exorcizo ✝ per mitiſſimam Mariæ diſpoſitionem ad tantam cum Deo unitatem, vos conjuro & augeo centies, ac millies pœnas veſtras † per ejusdem Virginis uterum, in quo, veluti thalamo, requieſcere dictus eſt DEI Filius, vos cogo † per cunctarum Mariæ cumulum gratiarum vobis fortiter mando † per merita Deiparæ Virginis, quibus ad tam ſublimem dignitatis gradum eſt provecta, vobis, ut obtemperetis, impero † per uberrimas Mariæ ſuper mulieres benedictiones, vos compello † vos urgeo † vos, ut cedatis, cogo † ô Deo ingrati, atque rebelles. Aliàs, ſi mea juſſa transgrediemini, ego indigniſſimum Chriſti inſtrumentum, & miniſter Altiſſimi, nomine ejusdem, unà cum Archangelo Gabriele, imò cum ipſa DEI Genitrice Maria, conſtantiſſimè vos maledictionibus repleo † vos acriter deteſtor † vos fortiter conculco † vos turpiter vitupero † vos nomine tantæ Virginis, toto cordis affectu blaſphemiæ jaculo perfodio † vos contemno † vos proſterno † vos peſſundo † vos ejicio † eradico † crucio † verbero † ac viriliter, centies, ac millies vos contundo. †

Verùm ad præfatas ipſas Angelicas voces, ac lau-

laudes humilem DEI Genitricem conturbatam legimus, ac mente per voluntatem, qualis hæc eſſet ſalutatio. Adeò namque incomprehenſibile hoc erat myſterium humano captui, & adeò mirabile hujus arcani partûs miraculum, ut ipſamet etiam Virgo, quæ DEUM verbum portare debebat, de Angeli ſermone penderet animo, de incarnando ex ipſa exultabat intrinſecus, etſi extrinſecus ipſam alloquenti repugnaverit. Theſaurum vitæ contineret, & ſalutationis vocem diſcutere non ceſſabat, atque dicebat, quomodo fiet iſtud? ſi non percipio tuorum verborum ſenſum, quomodo agnoſcam divinam myſterii hujus Majeſtatem; vos autem, ô arrogantiæ magiſtri, ad illas tam inauditas veſtri principis ſuggeſtiones, quibus adversùs DEUM veſtrum, veſtrúmque effectorem vos concitare nitebatur, non ſolùm econtrà conturbati nequaquam fuiſtis; verùm (quod perpetuis lugendum gemitibus) velociter aſſenſi eſtis, atque applauſiſtis: imò etiam poſt ejusdem nutum, veluti effrænes belluæ, præcipites cucurriſtis: unde, ò infelices, ô miſeri, damnati eſtis, atque in perpetuos cruciatus corruiſtis. O ingrati, plùs ponderis apud vos habuit inſana illa vox, inaniſque impulſus luciferi fallentis, quam tot, taliaque à conditore veſtro vobismetipſis mox exhibita beneficia? diaboli falentis ſermonem plurimi feciſtis, & omnipotentis munera impiè neglexiſtis?

Negligat igitur vos DEUS Pater Omnipotens ✠ negligat vos JEſus Dei Filius † negligat vos Deus Spiritus ſanctus † negligat, atque peſſundet vos

nomen DEI terribile, Agyos † augeat pœnas veſtras DEUS Otheos † Athanatos † Iſchyros † conſternat vos DEI Genitrix alma † fœdet vos ſanctus Gabriel DEI nuntius † totaque ſimul cœleſtium Angelorum turba vos impios conterat † vos infames ad nihilum redigat † vos obſtinatos comprimat † ac dilaceret, qui voci peſſimæ aſſenſiſtis, excelsíque Sacerdotis præceptis adverſari non erubeſcitis. Audite ergò vocem meam, imò DEI vocem in me, & per me, indigniſſimum ejus miniſtrum vobis fortiſſimè imperantis, vobis efficaciter præcipientis, vos cogentis, vos compellentis. Sit enim ſermo ejus duriſſimus contra vos, uti maleus, ſaxa obdurationis, & perfidiæ veſtræ conterens, veſtrámque repugnantiam miſcere jubeat, atque comminuat, augens ſingulis quibúsque momentis pœnas veſtras, donec veſtra deprimatur audacia. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti. †

Sed præterea, conſolatus eſt ſanctiſſimam DEI Matrem Angelus, dicens illi: *Ne timeas Maria: inveniſti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies in utero, & paries Filium & vocabis nomen ejus JEſum.* Pia Virgo pio timore fuit perculſa: illo, inquam, timore, qui, ſecundùm Prophetam: initium eſt ſapientiæ, taliter enim timere decebat illam, quæ DEI Filium, Deíque ſapientiam genitura erat, ac ſine pudoris macula divinitùs paritura: timore videlicet qui permanet in ſæculum ſæculi; quémque DEUS ipſe nos edocet. Edocta fuerat námque piiſſima Dei Virgo ſic pavere; quia inſtructa prius

prius fuerat deprimi; cùm ejus ore prolatum audiamus: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Hic namque Dei timor nunquam deſerere ſcitis mentem ſapientis, ſed tamquam pugil fortis, & vigilans ſemper ſtat ad latus principis: ita cuſtodit Dominam cordis. Fidelis eſt etiam ipſe janitor animæ, comminans mortem æternam intrare volentibus; latrans ùt canis contra eos: qui adeò ſolicitus eſt, ut etiam amicis oblatret, bonis ſcilicet operibus. Quæ igitur ſic timet, ſic digna eſt, ut Angeli eam conſolentur. At vos, ô dæmones, turbamini timore horribili, & pavetis in pœnis veſtris pavore deſperatæ ſalutis, unde non eſt, qui inter illas vos conſoletur, nec cœleſtis apparet ſpiritus vos confortans: imò ſimul dilaceramini, vos ipſos invicem mordetis, comeditis, conſumimini, atque alter alterius onere deprimimini, cùm nullus inter vos invidos ordo reperiatur, ſed ſempiternus inhabitet horror. Amiſiſtis, miſeri DEI charitatem & gratiam, ac in temporis momento ad tam horribilia pœnarum genera dilapſi eſtis. Non ſic igitur Angelorum Domina timore concutitur: quoniam magnam apud DEUM, & homines gratiam invenit, ob quam cœleſti fuit digna ſolamine, & ſancti Spiritus adjutorio; concipiens in utero absque virili copula, de puriſſimo ejus ſemine, DEI Filium, cui cœleſte imponitur nomen *JEſus*, quod mundi *Salvator* interpretatur: quinimo, & oppreſſor dæmonum, infernorum cruciator, confuſio tartarorum, inſectator obſtinatorum, ſuperborum conculcator, luciferi ac ſociorum ejus deſtructor; ut jam elata voce, juxta Evangelii teſti-

 mo-

Digitized by Google

monium, vos ipſi confeſſi eſtis, dicentes: *Quid tibi, & nobis, Fili David, veniſti ante tempus torquere nos!* per hoc igitur terribile, validum, atque tremendum nomen JESU, convenio vos iterum, obſtinatos † ut meis obtemperetis præceptis. Urgeo vos infames, ut pareatis † per dulciſſimum nomen JESU. Exorcizo vos † canes rabidos, & augeo pœnas veſtras ſemper, per corroborantiſſimum nomen JESu; conjuro vos † inferni ſues, ut meis ſub pedibus veſtram proſternatis ſuperbiam, per pretioſiſſimum nomen JESU; cogo vos obedire, per potentiſſimum nomen JESU. Impero vobis, ſerpentes peſtiferi, ut audaciam veſtram deprimatis † per nomen JESU myſteriis plenum. Mando vobis † defectoribus angelis, hinc velociter fugere, per admirabile nomen JESU. Compello vos beſtias, ut cedatis † ac ſacerdotalibus verbis veſtra feritas deleatur. JESUS ergò DEI Filius vos liget † JEſus fortis vos urgeat † JESUS Omnipotens vos flagellet † JESUS terribilis vos proſternat † JEſus magnus vos domet † JEſus excelſus vos humiliet † JEſus dulcis vos percutiat † JESUS ſanctus vos Jaculis confodiat † JESUS ſapiens vos transverberet † JEſus admirabilis vos feriat † JEſus humillimus vos comburat † JEſus honorabilis vos torqueat † JEſus amantiſſimus vos maledicat † JEſus obedientiſſimus vos condemnet † JEſus juſtiſſimus vos dilaceret † JEſus puriſſimus vos confundat † JEſus jucundiſſimus vos enervet † JEſus patientiſſimus vos pellat † atque ad parendum compellat † JEſus Chriſtus perfectiſſimus vos contundat † JESUS, qui eſt DEUS Iſchyros, vos comprimat †

JE-

JEſus, qui eſtDEUS Agyos, vos pungat ✝ JEſus, Deus Otheos, vos diſſipet ✝ JEſus, DEus Athanathos, vos verberet ✝ JEſus, Deus Homouſion, vos maledictionibus repleat ✝ JEſus, Deus Agla, vos perfundet ✝ JEſus, Deus Tetragrammaton, vos eliminet ✝ JEſus, DEus Adonay, vos dilaceret ✝ JEſus Alpha & Omega, vos meæ poteſtati ſubjiciat ✝ JEſus Nazarenus vos duriſſimè inperet ✝ vos increpet ✝ vos humiliet ✝ vos hinc procul abſcedere cogat, ampliùs non reverſuros.

Ipſe enim, juxta Gabrielis pronunciatum, excelſus, & Altiſſimi Genitus nuncupatur: Etenim dedit illi DEUS ſedem David Patris ejus; regnátque in domo Jacob in æternum: Inſuper & regni ejus non erit exitus. O altitudo igitur JESU! ô divitiæ, ô gloria, ô immenſitas, ô æternitas, ô cunctipotentia Chriſti JESU! eſt enim ſolus cuncta ſublimitate præcellens, juxta propheticum dictum: Magnus Dominus, & magna virtus ejus: magnus Dominus, laudabilis valde; magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis; propterea, juxta magnitudinem ſuam, ſuæ operatus eſt caſtiſſimæ Genitrici, qui potens eſt. Magnus verè JEſus: quoniam non eſt, nec fuit, qui, vel gratiâ, vel naturâ ſimilis ei eſſet. Magnus JESUS: quia, cùm Dominus eſſet, & virtutum Deus, nullus fuit inter cunctos viros, qui eum non niſi à longè in aliqua re imitari valeret. Magnus JEſus: quia magna, atque ſublimia mitibus aſſociavit, ac junxit, utraque unum efficiens, copulánſque carni divinita-

Digitized by Google

tem, impaſſibilitatem paſſibili, æternum temporibus, immenſum parvo, immortalitatem morti obnoxio, ac denique DEUM homini, nihil enim ibi vacâſſe ſcitis: tota eſt in Majeſtate humilitas, tota in humilitate majeſtas: nec refert unitas confuſionem, nec dirimit proprietas unitatem. Aliud eſt in eo paſſibile, aliud inviolabile; & tamen ejusdem eſt contumelia, cujus & gloria. In documentum namque utriusque in eo naturæ, ô dæmones, vidiſtis alibi Angelos miniſtrâſſe Chriſto, alibi verò eum confortâſſe. Magnus JEſus, qui magna operari, magna prædicare, magna denique pati viſus eſt, dum in terris vitam duxit, ac cum mortalibus eſt verſatus. Quorum omnium magnorum, ac JEſu mirabilium vos ò damnati dæmones, vos, vos ipſi, ob ejusdem gloriam, noſtrorum gratiam, ac veſtrorum omnium dedecus, teſtes fuiſtis, qui tam magno regi, ac Domino, ſupplicare, ac famulari dedignati eſtis. Meruit ipſe Altiſſimi Genitus appellari, cùm de Excelſi, atque Omnipotentis Spiritu ſit conceptus, Virginem fœcundando, Virginem Matrem efficiendo, atque in puriſſimis ejus viſceribus divinitùs ipſe deſcendens, carnem aſſumpſit ipſe DEUS; complens quod ante ſæculorum curricula Davidi promiſerat; de fructu ſeminis ſui in Mariæ reſervati renibus ſuper thronum illius exaltaturum, atque inter fideles Eccleſiæ populos, absque tempore, fine, aut ſæculorum termino, regnaturum. Ipſe namque DEI Filius ex illibata Virgine natus, tum triumphantis Eccleſiæ caput extitit: propterea juxta Joan-

Joannis promiſſum, ei nomen debetur æternum; Regis videlicet regum, Domini dominantium: cujus principatus, atque imperium ſuper humerum ejus effectum eſſe proferetur; portans ipſe crucem, in qua tandem pependit.

Per magnitudinem igitur Dei Geniti Jæſu, vos denuò conjuro † dæmones tartareos, ut obtemperetis præceptis Altiſſimi à me vobis apertis. Exorcizo vos iterum † per potentiam nominis JESU. Adſtringo vos † per ineffabilem dignitatem JESU DEI verbi. Compello vos, ut cedatis † per honorem JEſu, ſub hoc nomine DEI geniti exhibitum. Impero vobis conſtantiſſimè † per cunctarum virtutum JEſu ſuper Sanctos & Sanctas ſuas, excellentiam. Cogo vos pertinaces per † admiranda verba, per opera ineffabilia, per paſſiones, cunctos excellentes imitationis terminos; quæ dixit, quæ fecit, quæque pro nobis ipſe Dei Genitus paſſus eſt. Urgeo vos audaciter † ô ſpurciſſimi, ô viliſſimi, per elationem, atque dignitatem JEſu ſuper cunctos Sanctorum ordines. Mando vobis † per thronum JEſu, in ſanctorum Eccleſia ſublimiter erectum. Coarcto vos canes † nigros, per JEſu Chriſti imperium ſempiternum, ut ſub iisdem pænis, innitio à me promulgatis, ac millies vobis augendis, obedientiam exhibere teneamini mihi Dei miniſtro, Chriſtique inſtrumento, nomine ejusdem JEſu, per me vobis præcipientis, atque imperantis, fugam videlicet ab hoc corpore parandi. Audite tandem obdurati corde in ſapientia; audite, & ſi valetis, Angelicam attendite vocem, incarnationis my-

myſterium in utero Virginis abſque virili commercio enucleantem. *Spiritus Dei excelſi*, ait ipſe, *ſupervenietin te*, *& virtus Altiſſimi obumbrabit, tibi: ideóque ſanctum, quod ex te orietur*, O Maria, *vocabitur Dei Genitus: nihil enim impoſſibile eſt omnium effectori.* Itaque Spiritus Dei ſanctus, ſublimis, & excellens puellæ intrans in viſcera humilitatis plenæ, divinum conceptum efficit. Fugit verò ipſemet Dei Spiritus, & à vobis, ô arrogantiæ, ô pertinaciæ magiſtri, procul recedit. Obumbrat cœleſtis, divinaque virtus innocentium pectora, pura, munda, & ſynceritate decora: vos autem, ô fallaces, ô immundi ſpiritus, à cœleſti illo DEI ſpiritu longè acti eſtis, atque fugati: neque ante, neque poſt digniſſimum Virginis Deiparæ ortum aliquid in ea obſcuritatis, vel labis reperiſtis, ubi nequitiæ, ô infernorum corvi, pedem figere potuiſſent; cùm divinâ protectam potentiâ, atque virtute, ſubitáque præoccupatam gratiâ eam inveniſtis: ſcriptum eſt enim: adjuvabit eam Dominus manè diluculo. Fugat lux iſta virginea tenebras tartareas, ô peſſimi tenebrarum duces: eliminat immunditiam veſtram pudicitiæ norma: excutit conſortium malignorum virtutum omnium receptaculum: exemplar bonitatis ſcelerum veſtigia irrita reddit. Angelorum Domina Deíque Mater alma diabolorum abhorret duritiem, proſternit perfidiam, peſſundat audaciam, conculcat ſuperbiam. Sed, cùm illamet obumbratam auditis, nequaquam obſcuratam intelligitis: divina etenim obumbratio, illuminatio eſt, claritas eſt, ſplendórque cœleſtis. Et vos

vos, ô miſerrimi tenebrarum incolæ, tanti luminis gratiam quondam experti fuiſtis, perfuſi eſtis ab initio luce iſta matutina: ſed, cùm dilexeritis magis tenebras, quàm lucem, *obſcuratum eſt inſipiens cor veſtrum*, atque intelligentia veſtra perpetua remanſit obnubilata caligine.

Obſcuret vos igitur divini claritas Spiritus †, compellat vos mecum Dei fulgor. Ulciſcatur † vos mecum virtus Altiſſimi † exorcizet vos mecum efficacia ſancti Spiritus † imperet vobis Dei ſplendor † urgeant vos mecum Paraclyti munera † enervet vos mecum divinæ ultionis virtus † convincat vos mecum Angelica vox Gabrielis † ſicuti Mariæ ſuaſit, ut DEI pareret mandatis, dum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi juxta verbum tuum.* Ex cujus humili, ſingularique aſſenſu, Dei verbum illicò de æterni Patris ſinu deſcendens, & in virgineum uterum ſe recipiens, verè carnem factum eſſe credimus; incarnationis divinæ arcanum ineffabiliter complens; in unius ſimul ſingularitate perſonæ duas copulans, atque ſubſiſtere faciens, tam varias, támque remotas naturas. Sic itaque Matrem habere Deum ſecundùm carnem, non abſtulit ſine matre eum eſſe ſecundùm divinitatem: nec contaminatus eſt ipſe in ea carnem aſſumens, qui eam creando, non fuit contaminatus; nec ex ea ipſa genitus factus eſt coinquinatus; quin potiùs gloriam Regi obtulit noſtra humanitas. Si enim ignominiæ foret Deo, in utero, quem ipſe formaverat, illabi, probro eſſet etiam, & hominibus miniſtrare, neque pro nobis egenus factus eſſet, cùm dives foret.

Qui

Qui ergò, ô dæmones, ſecundùm propriam naturam impatibilis eſt, is propter miſericordiam plurimis perpeſſionibus devinctum ſe teneri voluit. O uterum in quo (ad inferni confuſionem) communis confectus eſt libertatis humanæ libellus! ô ventrem, in quo adverſus mortem fabréfacta ſunt arma! ô arvum, in quo ipſæ naturæ colonus, ſine ſemine germen genitus eſt, & ſpica! ô templum, in quo Deus factus eſt Sacerdos! naturam non demutans, ſed eum, qui eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, per miſericordiam induens. Verbum Caro factum eſt. O magnitudinem virtutis DEI! quæ nullas in anguſto ſentit anguſtias, uterum Virginalem non adventitiò, ſed indigena puerperio fœcundavit. O arcanorum arcanum! ô caro Deificata! ô tandem homo, non Angelus, ſed DEUS effectus! ob quam dignitatis ſublimitatem & excellentiam corporalis natura, terreſtris, ac infima, ſupra ſpirituales formas, atque ſubſtantias ſingulariter elevata reſplendet, intérque Sanctorum choros ſemper congaudens, ab ipſis cælorum ſpiritibus adoratur, & colitur, ad veſtram ô invidi dæmones, deſtructionem, cruciatum, & pœnam.

Per iſtius ergò divini verbi robur, vos denique conjuro ✠ Dei rebelles, ut cedatis verbo DEI, ore Sacerdotis prolato, ut cedatis miniſtro Chriſti hinc illicò recedendi. Exorcizo vos duriſſimos, per Mariæ obſequentiam, atque humilitatem ✠ quæ, verbis cedens Angelicis, Deipara effici meruit. Urgeo vos, ut obediatis ✠ per MARIÆ conſen-

ſenſum in Annuntiationis myſterio. Compello vos, ut ad veſtram duritiem vos proſternatis, per divini verbi incarnationem † cogo vos † per merita tanti myſterii. Impero vobis † fortiſſimè, per cauſam tanti Sacramenti. Urgeo vos acerrimè, per † ſanctiſſimæ Chriſti incarnationis congruentias ſingulares. Præcipio vobis † per tantorum arcanorum digniſſima merita. Conjuro vos † per inclytam incarnati verbi gloriam: ut tandem per cuncta illa, quæ de altiſſimo hujus incarnationis arcano dici, excogitarique poſſunt, vos iniquos, vos peſſimos, vos infames dæmones exorcizo † ut ab hoc corpore recedatis. Quapropter iterum & millies, vos ipſos inobſequentes condemno † vos pertinaces damno † ut cunctis ſubjaceatis blaſphemiis, atque execrationibus congeſtis, ac ſine fine contra contumaciam veſtram congerendis. In nomine, & potentia Dei Patris † Dei Filii † Deique Spiritûs ſancti † nec non & Deiparæ, ac præcelſæ ſemper Virginis Mariæ † Amen.

Exorciſmus VI.

In cunctis Feſtivitatibus ejusdem Deiparæ Virginis; videlicet Conceptione, Nativitate, Præſentatione, Viſitatione, Purificatione, Aſſumptione: ac per Octavas earundem; nec non & in Sabbathis per annum.

Præparatio ut in primo Exorciſmo; præter ea, quæ hic habentur propria.

℣. Do-

crudeliter: conquievit, & ſiluit omnis terra: gaviſa eſt, & exultavit: abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri libani, ex quo dormiſti, non aſcendit, qui ſuccidat nos.

Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventûs tui: ſuſcitabit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis: omnes principes nationum. Univerſi reſpondebunt, & dicent tibi: & tu vulneratus es ſicut & nos; noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea: & operimentum tuum erunt vermes.

℟. Deo gratias.

Oremus.

SUperveniat nobis, Domine, Dei Genitricis oratio: quam in hac dæmonum pugna efficaciter pro nobis intercedere ſentiamus, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.

Antiphona.

Ave Regina cœlorum:
Ave Domina Angelorum.
Salve radix, ſalve porta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude Virgo glorioſa,
Super omnes ſpecioſa:
Vale ô valdè decora,
Et pro nobis contra dæmones exora.

℣. Dignare nos laudare te, Virgo ſacrata.
℟. Da nobis virtutem contra hoſtes tuos.
℣. Domine, exaudi &c.
℟. Et cum Spiritu tuo.

† Se-

Digitized by Google

✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. ✠ ℞. Gloria tibi Domine †.

IN illo tempore, erat JEſus docens in Synagoga Sabbatis. Et ecce mulier, quæ habeat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere: Quam cùm videret JEſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum. Reſpondens autem Archiſynagogus, indignans, quia ſabbato curâſſet JEſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergò venite, & curamini, & non in die ſabbati. Reſpondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusque veſtrûm ſabbato non ſolvit bovem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam aligavit ſatanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die ſabbati? Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus: & omnis populus gaudebat in univerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo. ℞. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur † in te N. omnis diaboli virtus. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti. Amen.

Oremus.

DEfende, quæſumus Domine, beatâ Mariâ ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni dæmone creaturam † & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis † Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſperſio creaturæ.

Aqua benedicta extinguat, & ſejungat à te N. omnia dæmonum ficta. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Exorcizatio creaturæ.

EXorcizo te † N. creaturam Dei vexatam per omnipotentiam Dei Patris † per ſapientiam Dei Filii † per manſuetudinem ejusdem Dei Spiritûs † ſancti, ut efficiaris vas mundum, & purgatum ab omni labe iniquitatis; ad recipiendum ſupervenientem Dei virtutem: & ejicias â te omnem dæmonum nequitiam, ad invocationem Altiſſimi: per eum, qui cùm eſſet æternus in Virginis utero naſci voluit, Amen.

Oremus.

COncede, quæſumus omnipotens DEUS, ut hæc creatura tua N. quæ protectionis tuæ gratiam quærit, à malignis ſpiritibus eruta, ſecura tibi mente famuletur. † Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Exorciſmus.

† GAudeamus nos omnes in Deo, inclytam celebrantes gloriam Beatiſſimæ ſemperque Deiparæ Virginis Mariæ; de cujus honoris ſublimitate lætantur Angeli, exultant Archangeli, jubiliant Throni, Feſtum agunt Dominationes, hilareſcunt Virtutes, plaudunt Poteſtates, Cherubim atque Seraphim ſine fine concinunt, unâ voce dicentes: San-

Sancta, Sancta, Sancta DEI Mater alma, pulchra ut luna, electa ut ſol, ſed terribilis contra dæmones, ut caſtrorum acies ordinata. Pulchra atque decora fidélibus, cunctisque cœlorum ſpiritibus valdè ſpecioſa: infernorum autem principibus nimis formidabilis: Eja ergò, vos ſpiritus tenebrarum, ſpiritus nequitiæ, ac luctûs, ſpiritus horroris, & ſolitudinis, ſpiritus timoris, atque ærumnarum: quid vobiſcum commune? quale dæmonibus cum Dei famulis, Mariæque commercium, dum creaturam iſtam fidelem, ejúſque devotam, temerario auſu occupare non erubeſcitis? An neſcis, tu, dux nequiſſime hujus cohortis, vóſque omnes ſpiritus nefandiſſimi, an vos latet, ad hoc conceptam fuiſſe absque labe Mariam? ad hoc ortam, ad hoc in DEI Genitricem electam, ad hoc illibatam remanſiſſe poſt partum, ad hoc tandem ſupra Angelorum provectam fuiſſe choros ut videlicet benigniſſimè ex alto ipſa proſpiciens ſuper filios hominum, efficaciùs nos protegeret, fortiùs adjuvaret, validius contra vos peſſimos, invidos, ac tartareos hoſtes præmuniret? Exultet igitur, ad veſtram ignominiam, & cruciatum, fidelium chorus; Exultet tantæ Virginis ſublimitate & gloriâ. Vos autem, vos tartareæ belluæ rugite, ejulate, ac, quamtum in vobis eſt, ingemiſcite. Ego etenim Dei Sacerdos, Chriſti miniſter, & inſtrumentum, ac Mariæ famulus, auctoritate mihi traditâ à ſancta Romana Eccleſia, in ejusdem Dei, ejúſque Genitricis meritis conſtructa, nomine tantæ Majeſtatis, ex hoc vos totis cordis ac mentis meæ viribus aggredior, vóſque viriliter exorcizo ✠ vos adjuro † vos conjuro † vobis effica-

 citer

citer impero † ut omni fallacia ac decipiendi arte remota, ſimpliciter præſtetis mihi obedientiam in omnibus, quæcunque vobis injunxero, ad Dei gloriam, veſtrum dedecus, & creaturæ hujus à veſtrorum manibus perfectam ereptionem. Conjuro vos igitur dæmones † exorcizo † compello † urgeo † per Mariam ſemper Virginem, ut ad unguem obediatis mihi in cunctis verbis, eo modo. & forma, quæ injungetur vobis juxta meam ſententiam: declarando, illam talem eſſe; videlicet, ſi aliquo ligamine, factura, ſigno, ſcripturâ, pacto, dicto, materiâ, aut quacumque re, vel virtute, à quovis ſpiritu, vel homine conſtructo, compoſito, ſignatóve, quocumque in loco, ac tempore, hoc in corpore, vel circum, aut quomodolibet detineamini; eadem auctoritate, & potentia idcirco à me vobis præſtita, cuncta illa ſolvere, ad nihilum redigere, delere, deſtruere, atque confringere debeatis; ut ego ipſe nunc & ſemper abſolvo † reſolvo † deſtruo † ac penitus deleo † nec non ſi aliquâ virtute extrinſecâ vos juvamini, detineri nitimini, corroboramini, mihique adverſari, vel mea remorari mandata cogimini; ego ipſe eâdem auctoritate vos, ac præfatam contumacem, adjutricem, vel imperatricem potentiam enervo † debilito † ligo † conſtringo ſub pæna illicò incurrenda, cruciatuum veſtrorum, per mille gradus, ſingulis quibuſque momentis augendorum, usque in diem tremendi judicii: In nomine JESU Nazareni † ac per merita Deiparæ Virginis Mariæ † inſuper hanc eandem pœnam, & cauſam ſem-

ſemper me reiteraturum cogito; ita, ut quodlibet conjurationis hujus verbum, omnis ſyllaba, omnis littera, cunctusque vocis meæ accentus, divinâ ſuffulſus ope, atque virtute, ſint vobis, & contra vos, cunctiſque obſtantibus, reſiſtentibus, veluti ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis, & ut fulgura, tonitruaque coruſcantia, inflammantia, ac veſtri omnium proterviam, defectionem, obſtitionem, atque duritiem confringentia. Cogo igitur vos † per Deum Altiſſimum, ut illicò nullâ injectâ morâ, hinc fugiatis. Compello vos, ut cedatis † per Deum Omnipotentem. Exorcizo vos † ut recedatis, per DEUM magnum, atque terribilem. Præcipio tandem vobis † per virtutem DEI Genitricis, ac ſemper Virginis Mariæ, cujus peculiares prærogativæ vobis invidis ſunt exploratæ.

Sed, ad veſtrum dedecus veſtrumque ſupplicium, ipſas vobis ſtrictim objicere non deſinam. Ipſa namque eſt creatura illa benedicta, atque in æternum à DEO ſecundùm ſpiritum deſignata, ut dicitur: *ab initio, & ante temporum ſæcula creata ſum*: & alibi: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Elegit eam Excelſus in Filii ſui matrem: ideóque præſtantiſſimis ſuper omnes ſpiritus cœleſtes, terreſtres; atque infernorum eam muneribus decoravit. Dixit namque: *Gyrum cœli circuivi ſola: & in profundum abyſſi penetravi: in fluctibus maris ambulavi: in omni loco ſteti: in omni populo, & gente Ducatum habui.* Meritò namque virtutum omnium, atque gratiarum eam plenam eſſe decebat, cunctiſque perfectionibus decoratam,

tam, omnium creaturarum effectorem,&Dominum mox genituram. Verùm properante jam hora, in quâ tam ſingulare gratiarum prodigium mortalibus patefacere voluit DEI dextera, Deique ſapientia, ac, veluti conſurgentem auroram mundo oſtendere conſtituit illam; laqueos veſtros culparum ſcilicet & mortis, qui eam ut cæteros Adæ præoccupare filios tentabant, præcidit ipſe velociter; potentiam efficiens in brachio ſuo valdè robuſto, & vos ſuperbos fortiter acritérque diſperdens; læva enim Altiſſimi ſub capite illius illicò deſcendens, atque ejusdem dextera amplexata eſt eam, ne à vobis, ac nequitiæ veſtræ compedibus teneretur in via, ſicut, & cœteros homines poſt miſerrimum primi parentis lapſum impiè detinetis: Unde & ipſamet ajebat: *omnium excellentium, atque ſublimium corda propria virtute calcavi*: Scimus námque, quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum, concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: ex quo potuit ſolus hujus puerperæ filius pro hac parte cantare canticum novum: ſine iniquitatibus conceptus ſum, & ſine peccatis concepit me mater mea. Mentes veſtræ, ô ſtulti & elati corde, ad malum ſemper propenſæ, ut nimirum de manu Domini pretioſam ipſius animam impiè raperetis, atque originali labe pollueretis, anxiè quærebatis, ne illam hujusmodi dignam encomio creator afficere potuiſſet; videlicet: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es & macula non eſt in te.* Sed eluſi fuiſtis, ô teterrimi hoſtes quoniam

Deus

Deus manè diliculo adjuvit eam, gratiarum imbre illam præveniens: unde mirati cœlorum incolæ, invicem quærere cœperunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de mundi deſerto, de terræ miſeriæ, & tenebrarum, deliciis affluens, innixáque ſuper dilectum ſuum?* quoniam verè magna, atque admirabilis ipſius effecta eſt gloria in ſalutari ſuo: etenim gloriam, & magnum decorem impoſuit ſuper eam DEUS, fecitque illi magna, qui potens eſt. Hanc igitur illam eſſe mulierem diſcite, ô tartarei, quæ de turba ſola extuliſſe dicitur vocem; ſuper omnes videlicet Sanctorum cuneos, & Angelorum, altiſonas DEO reſonantem laudes; pro meritis, ſuper cunctorum merita excellentioribus.

Per tot igitur Deiparæ Virginis munera præclariſſima, ac peculiaria, quibus à luciferi unguibus præſervatam fuiſſe ſcitis, ne ab originalis peccati fomite contaminaretur, vos dæmones iterùm, eadémque forma, conditione, & mente, quâ ſuprà exorcizo † conjuro † adjuro † ut veſtram ſuperbiam deprimatis, vóſque Sacerdotalibus mandatis ſubjiciatis. Convenio vos † nequiſſimos ſpiritus tenebrarum, per Mariæ gratiam, quâ ab eodem Omnipotente præ omnibus diligi, atque ex omnibus diligi meruit creaturis. Cogo vos nefarios † per Mariæ animam digniſſimam. Impero vobis canibus rabidis † per Mariæ dilectionem, quâ Deum eſt proſecuta. Mando vobis pertinaciſſimis, ut † veſtram duritiem per Mariæ integerrimam conceptionem frangatis.

Digitized by Google

Cujus ſanctiſſimam animam, ut audiſtis, jam talibus munitam præſidiis, atque muneribus decoratam, complacuit Altiſſimo conſimili induere tunicâ, effingens illi ex ſtirpe regia Davidicæ prolis corpus ſuum integerrimum. Quod ſi claram proavorum titulis eam fuiſſe ſcitis, incomparabiliter clarior generoſitate extitit prolis, Filia ſiquidem Regum fuit ipſa, ſed inſuper & mater Regis regum à cunctis ſpiritibus prædicatur. Item & ſanctorum virorum genere ſuum conſtipavit ſanguinem: nec non & in civitate DEI illam oriri voluit; ut tantis antè ſæculis Prophetarum oraculis prædictam fuiſſe ſcitis: *Qui creavit me, dixit mihi: in Jacob inhabita; & in Iſrael hæreditare; & in electis meis mitte radices: & ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſancta ſimiliter requievi; & in Jeruſalem poteſtas mea: & radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas mea, atque in plenitudine Sanctorum mea fuit manſio.* Verùm perpendite vos interim, infeliciſſimi, tantæ Virginis commorationem, illamque detentioni veſtræ damnatiſſimæ æquiparate: imò & perantiquæ veſtræ creationi illammet jungite. Fuiſtis & vos quondam initium viarum DEI, & ſummo cœlorum faſtigio concreati. Super aſtra protendebatur regio veſtra ſublimis: imò, ante omnem ſyderum lucem, educti fuiſtis in lucem illam inacceſſibilem gratiæ Excelſi: adhuc etiam in populo, nedum honorificato radicati, verùm & inſuper vos ipſi, vos in Dei populum, gentem, & domum collocati fuiſtis, ut unà ſecum ſederetis in gloria, ac de menſa Altiſſimi ederetis. Sed quia ingrati fuiſtis, atque in tam vaſto munerum pelago humilitatis an-

anchoram projicere reluctâſtis; idcirco oblivionis Aquilo fortiter contra vos inſufflans, vosque propellens, ad duriſſimos ſuperbiæ impegit ſirtes, atque in portu ipſo fuiſtis miſeri naufragati, contrà verò, Beatiſſima DEI Virgo, quæ, cùm omnium mare percurreret gratiarum, ac Spiritûs ſancti vento flante ſuper illam, ſublimium meritorum ſinus feliciter peragraret, nequaquam culparum fuit illiſa ſcopulis; nec tentationum fluctibus obvoluta: DEUS enim ipſe in medio ejus potenter affuit; ideóque commotionis veſtræ ſpiritus, ô damnati, illam penitus compellere non valuit.

Per realem igitur Mariæ progeniem, vos infernorum mancipia iterum exorcizo † ut hinc fugam paretis: per virtutem puriſſimi corporis Mariæ, vos infames iterum adjuro † per Mariæ ortum digniſſimum vos nefarios conjuro † per cunctorum Patriarcharum virtutes, ſanctitates, & merita, à quibus Mariæ corpus, & ſanguinem ortum traxiſſe ſcimus, vos viliſſimos ad humilitatem compello & præcipuè impero vobis, ut cedatis, & veſtrum rigorem frangatis, per opera Abraham † per virtutes Iſaac † per virtutes Jacob † per virtutes Judæ † per virtutes David † omniúmque ſimul Patriarcharum: quinimò per virtutes Joſeph, Mariæ ſponſi digniſſimi † mando vobis † per præſtantiſſimam Annæ prærogativam, cujus in utero, DEUS ipſe, ejus matrem intactam concipi voluit, ac tandem vos ligo † vos enervo † vos condemno † vos concutio † vos verbero † in nomine JEſu, & ſemper pudiciſſimæ Genitricis ejus Mariæ † Amen.

Na-

Digitized by Google

Naſcitur igitur puella hæc regia, veluti roſa, aut lilium, licet alienorum reatuum aculeis undique ſepta, à labe tamen culparum ſemper aliena. Conſurgit quaſi oliva ſpecioſa in campis, DEI Mater digniſſima; oleum miſerationem DEI ſcaturiens miſeris. Adeò namque pietate repleta ſunt à Creatore ubera illius, ut alicujus miſeriæ notitiâ tacta, lac fundant miſericordiæ: nec poſſit miſerias ſcire, & non ſubvenire. Et ſicuti ubicunque fuerit corpus, congregantur, & aquilæ: ita ubicunque fuerit miſeria, ejusdem Virginis & currit & ſuccurrit protinus miſeratio. Veluti platanus frondibus ſemper pravis culpis obnoxios à divinæ juſtitiæ radiis protegens. Ut cypreſſus ipſa Virgo inſurgit, mentis ſuæ culmen ad Deum ſemper erigens. Uti cinamomum, & balſamum virtutum odore redolens. Quaſi myrrha electa carnis corruptionem procul agens. Tandem, ad inſtar fumi virga, ex aromatibus incenſi, ac thuris, pro nobis videlicet ad Deum preces effundens. O quàm ſpecioſa hæc Dei Virgo fidelium obtutibus apparuit! pulcherrima enim inter mulieres à cœleſti ſponſo vocari ipſa meruit: talem enim fore decebat eam, quæ conceptura erat ſpecioſum formâ præ filiis hominum; excelſum videlicet, Deique verbum, hominem effectum. Inceſſu gravis apparebat Virgo præclara, vultu decora, verecunda ſermone, abjecta oculorum obtutu, geſtu ſuavis, fructuoſa verbis, operibus fervida, atque undique dilectionis igne ſuccenſa: pede premebat terrena, & cordis affectu ſumma cælorum percurrebat domicillia: ſemper ad

Deum

Deum accedere cupiebat, quam Deus ipſe præcipuo proſequebatur amore; dum ejus carnem aſſumptam ejus viſceribus innocentiſſimè nutriebat. Miraculum factum fuit peculiare Virgo Dei Genitrix; unde legitur: novum feciſſe Dominum ſuper terram: mulierem ſcilicet circumdantem viram: illum videlicet, de quo prædictum jam ſcitis: ecce vir, oriens nomen ejus. Induit eam pro tunica, gratiarum ſole, creator: de quibus dictum fuit ei ab Angelo: *Ave gratia plena.* Lunam ſubdit ei pro calceis & ſtellæ firmamenti, ac cœlorum ſydera illi diadema regium texuère: ut videlicet, tùm terrarum, tùm cœleſtium creaturæ illius ſubdantur celſitudini, cujus uterum Deus ipſe ingredi non eſt dedignatus. Hæc enim eſt Genitrix illius, qui à Deo Patre ante omne principium fuit genitus, & quem Angeli confitentur, & homines cunctorum eſſe Deum, & Creatorem. O Virginem, ô matrem, ô uterum, ô pectus igitur cœlo latius! ô fœdus, ſalutis ſarcinam! O alvum, luti & figuli thalamum! O thronum, peccatorum mundi redemptionem! O Mariam mundi prodigium!

Hæc igitur vos mecum devincat ✠ tartarei; vos mecum debilitet † vos mecum debellet † hæc Virgo vos conſternat ✠ hæc vos execrationibus affligat † hæc vos torqueat † & ego in nomine præclariſſimæ Virginis, & tantæ Dei matris virtute, vos denuò exorcizo † per Mariæ pulchritudinem vos conjuro † per inclyta ſanctæ Mariæ encomia, vos ſupero † per Mariæ verba mitiſſima vobis fugam præcipio ✠ per Mariæ greſſus modeſtiſ-

ſtiſſimos, vobis mando † per Mariæ præclariſſima opera, vobis exire impero † per amictam ſole Mariam, vos cædo † per calceatam lunâ Mariam, vos flagello † per Mariam ſydereâ redimitam coronâ, vos ſuperbos obedire urgeo † ac ſacerdotalibus cedere vocibus, ejusdem pedibus ſubjici ſub pœna pœnarum veſtrarum, incrementi ſuper arenam maris.

An non, cæci corde, tantæ Virginis humilitatem aſpicitis? quæ creaturam omnium ex animo ſe greſſibus proſternebat: unde eam ceciniſſe jam ſcitis: *Reſpexit Deus humilitatem Ancillæ ſuæ.* Nonne percipitis ejusdem Virginis obſequentiam ſingularem? quæ Angelo ſibi magna, ac mirabilia nunciati, ſic fuit effata. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi juxta verbum tuum.* Nunquid obſcurus eſt vobis, tenebrarum cultores, ejus candor & puritas ſublimis? quapropter ſponſus ipſe cœleſtis ſummopere eam commendavit dicens: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* cùm ante partum, in partu, & poſt partum, mente & corpore in ſempiternum illibata permanſerit, etenim rectè nôſti, quòd animaret te diabolum præſumere in ea congreſſum partus fæmineus: veruntamen terrebat virginitas parientis: quoniam quamvis Chriſtum Maria, Evæ utique filia, peperiſſet; non tamen eum conceperat de Adam. Quapropter etſi audiſtis, illam divino fœcundatam ſpiritu; benè etiam vobis notum eſſe debet, quod non novit Spiritus ſanctus Virginem corrumpere, ſed ſanctificare. Neſcit Spiritus ſanctus munditiem Virginis minuere, ſed augere; neſcit

neſcit fœdare, ſed glorificare. Charitas MARIÆ nedum in terris, ſed in tartareis veſtris latibulis ſole clarior dignoſcitur. Interrogate vos nomine Altiſſimi infelices illorum animas damnatorum, quæ vobiſcum æternis torquentur incendiis, quoties, dum in hac lachrymarum valle corporeis vinculis detentæ, illamet adjutrice, gratiarum imbre fuerint perfuſæ: Quot inſpirationum piarum radiis, quótque cæleſti illa munera, illa media, à Dei miſericordia, dum hic degerent, ipſæ perceperint; quot pænarum æternalium per temporanea eis interjecta pericula evaſerint? quot pænitentiæ ſtimulis, ipſa pro illis efficaciter deprecante, deſuper pungi meruerint? quæ tandem animæ (ſic merente cordium earum duritia) in æternum ruerunt interitum, in quo vos etiam verſamini. Nec vobis ignota eſt ejusdem iṁenſa pietas atque clementia diſpenſans egenis auri copiam, Filio ejus Infantulo à Magis cultoribis erogatam; nobiſque pauperibus quotidie de ſupernis ſedibus largiter dona mittens: unde & mater pauperum à fidelibus nuncupari meruit. Manſuetudo ejus cunctis eluxit creaturis: de ea naṁque ſcriptum eſſe ſcitis: deſcendit ſicut pluvia in vellus: placidè nimirum in placidam Dei verbum illapſit; quietè in quietam; ſuaviter in ſuavem; benignè in benignam; jucundè in jucundam, Eſt inſuper prudentiſſima Virgo Maria, cunctis noſtris opportuna ſuppeditans remedia malis. Fidelis eſt ſuper omnes: cunctos enim fide, tum veteris, tum novi Teſtamenti antecelluit ipſa Sanctos: quæque & ipſum fidei noſtræ auctorem

ſtiſſimos, vobis mando † per Mariæ præclariſſima opera, vobis exire impero † per amictam ſole Mariam, vos cædo † per calceatam lunâ Mariam, vos flagello † per Mariam ſydereâ redimitam coronâ, vos ſuperbos obedire urgeo † ac ſacerdotalibus cedere vocibus, ejusdem pedibus ſubjici ſub pœna pœnarum veſtrarum, incrementi ſuper arenam maris.

An non, cæci corde, tantæ Virginis humilitatem aſpicitis? quæ creaturam omnium ex animo ſe greſſibus proſternebat: unde eam ceciniſſe jam ſcitis: *Reſpexit Deus humilitatem Ancillæ ſuæ.* Nonne percipitis ejusdem Virginis obſequentiam ſingularem? quæ Angelo ſibi magna, ac mirabilia nunciati, ſic fuit effata. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi juxta verbum tuum.* Nunquid obſcurus eſt vobis, tenebrarum cultores, ejus candor & puritas ſublimis? quapropter ſponſus ipſe cœleſtis ſummopere eam commendavit dicens: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: cùm ante partum, in partu, & poſt partum, mente & corpore in ſempiternum illibata permanſerit, etenim rectè nôſti, quòd animaret te diabolum præſumere in ea congreſſum partus fæmineus: veruntamen terrebat virginitas parientis: quoniam quamvis Chriſtum Maria, Evæ utique filia, peperiſſet; non tamen eum conceperat de Adam. Quapropter etſi audiſtis, illam divino fœcundatam ſpiritu; benè etiam vobis notum eſſe debet, quod non novit Spiritus ſanctus Virginem corrumpere, ſed ſanctificare. Neſcit Spiritus ſanctus munditiem Virginis minuere, ſed augere; neſcit

neſcit fœdare, ſed glorificare. Charitas MARIÆ nedum in terris, ſed in tartareis veſtris latibulis ſole clarior dignoſcitur. Interrogate vos nomine Altiſſimi infelices illorum animas damnatorum, quæ vobiſcum æternis torquentur incendiis, quoties, dum in hac lachrymarum valle corporeis vinculis detentæ, illam et adjutrice, gratiarum imbre fuerint perfuſæ: Quot inſpirationum piarum radiis, quótque cæleſti illa munera, illa media, à Dei miſericordia, dum hic degerent, ipſæ perceperint; quot pœnarum æternalium per temporanea eis interjecta pericula evaſerint? quot pœnitentiæ ſtimulis, ipſâ pro illis efficaciter deprecante, deſuper pungi meruerint? quæ tandem animæ (ſic merente cordium earum duritia) in æternum ruerunt interitum, in quo vos etiam verſamini. Nec vobis ignota eſt ejuſdem imenſa pietas atque clementia diſpenſans egenis auri copiam, Filio ejus Infantulo à Magis cultoribis erogatam; nobiſque pauperibus quotidie de ſupernis ſedibus largiter dona mittens: unde & mater pauperum à fidelibus nuncupari meruit. Manſuetudo ejus cunctis eluxit creaturis: de ea námque ſcriptum eſſe ſcitis: deſcendit ſicut pluvia in vellus: placidè nimirum in placidam Dei verbum illapſit; quietè in quietam; ſuaviter in ſuavem; benignè in benignam; jucundè in jucundam, Eſt inſuper prudentiſſima Virgo Maria, cunctis noſtris opportuna ſuppeditans remedia malis. Fidelis eſt ſuper omnes: cunctos enim fide, tum veteris, tum novi Teſtamenti antecelluit ipſa Sanctos: quæque & ipſum fidei noſtræ auctorem

rem fidelibus peperit. Spes ejus omnem ſpem exuperavit. Sed quis mortalium Mariæ virtutes oratione proſequi valebit? Potentiſſima eſt tandem ſuper omnes potentes; cùm ſolo conſenſu, de cæleſti faſtigio traxerit illum, qui magnus eſt, & excelſus ſuper omnes deos, quique mirabilia magna operatur ſolus in cœlo, in terra, & ſubtus terram.

Per iſtius igitur tam eximiæ Virginis virtutes; ac laudes, iterum vos impuros dæmones exorcizo † ut præceptis Altiſſimi, per me ejus *Miniſtrum* vobis injunctis, obtemperetis. Per Mariæ validiſſimam potentiam, vos tartarorum mancipia conjuro † per Mariæ ſpem accenſam, *vos cædo* † per Mariæ fidem firmiſſimam, vos punio † per Mariæ prudentiam, vos cædo † per Mariæ pietatem atque clementiam vos peſſundo † per Mariæ erga Deum ſuum & homines charitatem, vos canes adſtringo † per Mariæ illibatam Virginitatem vos confundo † per Mariæ obedientiam, vos ad obediendum compello. † Per Mariæ inclytam humilitatem vos arrogantes, vos infames, vos damnatos, vos pertinaces humiliari præcipio †.

Ipſa eſt enim fortitudo noſtra, ipſamet Deipara Virgo eſt ſpes noſtra: Maria ſolamen, Maria tutamen eſt noſtrum, Maria noſtra medela, Maria refugium noſtrum, MARIA noſtrum robur, & virtus, MARIA gaudium, MARIA ſors noſtra, Maria dux noſtra eſt, MARIA ſpeculum noſtrum, MARIA conciliatrix noſtra, MARIA theſaurus noſter, MARIA *ignavium* ſapientia, MARIA ſimplicium ma-

magiſtra, Maria pax, Maria amor eſt noſter, Maria fidelium gloria, Maria ſalus omnium, Maria omne bonum, atque orbis terræ felicitas eſt; unde procul dubio vos ad obedientiam impellet, veſtrámque ſuperbiam ſuis conteret pedibus, expellendo vos fortiter ab hac creatura DEI, ſanguine Filii ſui ſignata atque redempta: quoniam è converſo, ipſamet Maria lux eſt, veſtrarum tenebrarum fugatrix, ipſa eſt flagellum impurorum ſpirituum, ipſa eſt ſupplicium dæmonum infernorum, ipſa eſt damnatrix obſtinatorum, ipſa imprecatrix eſt veſtrarum execrationum, ipſa potentiſſima contra luciferinam perfidiam Bellatrix, ipſa eſt oppreſſio tumidorum DEI hoſtium, ipſa eſt oppugnatrix humanæ ſalutis adverſariorum, ipſa eſt confuſio obſtinatorum ſerpentum, ipſa eſt dominatrix DEI rebellium, ipſa eſt dolor, afflictio, pavor, tremor, horror, totiúsque inferni concuſſio. Gaudeat igitur terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata decore, ac virtute defenſa: lætetur fidelium Eccleſia, ejus præcellenti majeſtate protecta: exultent Sancti, ſub tali capite coacti. Jubilemus & nos omnes, ſub Mariæ Virginis auxilio, de noſtro adverſus vos, ô tartarorum beſtiæ, triumpho. Maria igitur, quæ eſt potentiſſima, validiſſima, nobiſcum adſit, & cum creatura iſta N. ipſaque corroboret nos contra vos pertinaciſſimos, & præbeat nobis virtutem ſuam deſuper, ut verba mea, veluti DEI Omnipotentis eloquium, ignita ſint vehementer: ita ut ad quaſcumque ſyllabarum particulas, accidentales veſtros augeant cruciatus,

Digitized by Google

veſtram retundant protervíam, veſtráſque cervices libenter ad ima deflectant, juxta mei ſententiam, Sacerdotis, Deique miniſtri præcipientis. Ipſa enim Maria, Mater JESU Nazareni, exorcizet vos ✝ Maria, DEI Mater Sabbaoth, cruciet vos ✝ Maria, DEI Genitrix Eloym, affligat vos ✝ Maria Mater DEI Eloha perterreat vos ✝ Maria Mater DEI Agyos contundat vos ✝ Maria Mater DEI Otheos conjuret vos ✝ Maria Mater DEI Athanathos cedat vos ✝ Maria Mater DEI Iſchyros, præcipitet vos ✝ Maria Mater DEI Homouſion verberet vos ✝ Maria Mater DEI Tetragrammaton duris vos adſtringat vinculis ✝ Deipara Virgo Maria conſternat vos ✝ confundat vos ✝ premat vos ✝ condemnet vos ✝ incendat vos ✝ vos jaculis confodiat ✝ vos feriat ✝ vos præcipitet ✝ atque omni execratione, & malorum copia vos undique opprimat.

Nec tantæ virtutis ſublimitati defuiſſe credatis occaſionem patiendi: ipſa namque abſque culparum labe concepta; quinimò & ab actuali peccatorum macula ipſamet inconcuſſa per totam vitæ ſeriem perdurans; ſemper tamen dolorum fuit confoſſa gladio innocens DEI Mater, ob Filii ejus tormentorum incurſus: ſcriptum enim ſcitis: tuam ipſius animam pertranſibit gladius: nimirum doloris, non materialis. Quo martyrio gravius & ipſa paſſa fuit, quàm ferro. Quantò enim incomparabilius amavit, tantò vehementius doluit. Unde ſicuti non fuit amor, ſicut amor ejus, ita nec fuit dolor ſimilis, dolori ejus. In martyribus enim magnitudo amoris dolorem lenivit paſſionis; ſed

beata

beata Virgo, quantò plùs doluit, tantóque ipſius martyrium gravius fuit: unde quia plus cunctis dilexit, & juxta magnitudinem amoris erat vis doloris, graviùs paſſa fuit mente, quàm martyres carne.

Mariæ igitur dolores vos dæmones crucient † Mariæ gladius peracutus vos inſenſatos transverberet † Mariæ labores vos diabolos torqueant † Mariæ lachrymæ vos mergant † Mariæ ſuſpiria vobis noceant † Mariæ tormenta graviſſima vos meis cogant obſequi mandatis † Mariæ Virginis afflictiones, pœnæ, amaritudinéſque ob filii ſui paſſionem, & mortem, vos inferni hoſtes dilacerent † vos obduratiſſimos premant † vos peſſimos tentatores urgeant, ac ſine fine vos crucient. †

Verùm hæc digniſſima DEI Mater, & Virgo; poſt hujus tam inclytæ vitæ curſum, licèt cruciatibus plenum (ut meritorum alis leviùs extolleretur ad aſtra) pio igne ſuccenſa ob ſponſi dilectionem, in ſuaviſſimo Dei oſculo ſeceſſiſſe traditur, ne deinceps unquam decederet, cùm ab hac ærumnarum valle, veluti nebula, ſolis radio, ab ipſius ſcilicet ſponſo, pertracta fuit in cœlorum ſedes ſuper æthera collocanda. Sed, an ſcitis, peſſimi tentatores, ſcitiſne locum, quò potiſſimùm illam Dei manus perduxerit? & ubi DEI Filius, Matrem ſuam dilectam collocârit? ubi cœleſtis ſponſus, ſibi nobiſque gemmam illam pretioſiſſimam, ac valde decoram, ſervârit? vos, qui de cœleſtibus cecidiſtis habitaculis, vos, qui in cœlorum cives fuiſtis quondam deſtinati,

Digitized by Google

clarius perluſtrabitis regiones illas, nobis viatoribus non niſi fide notas: loquimini ergo: dicite, atque primævas ſedes veſtras ſublimes enarrate. Sed heu miſeri, *infandum vos jubeo veſtrum renovare dolorem.* Dicam ipſe verbo, quod lætitia exultans & gaudens concinit nobis beata Mater Eccleſia, *Exaltata eſt,* inquit, *ſancta DEI Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cæleſtia regna:* unde jam de ea dici poteſt novum creavit Dominus, nedum ſuper terram, ſed ſuper æthera; dum veſtras Angelicas fœmina occupat ſedes; caro aſtra premit, calcat cœlorum mulier globos: neque amplius unico ſole veſtiri, aut unicâ tantùm calceari lunâ, vel parvo ſyderum numero redimiri ipſa dignatur; ſed & omnium cœlorum atque ſtellarum perluſtrans circulos, ipſi ſoli, lunæ, ac ſyderum catervis, ſplendorem elargiens ac radiorum gemmis largiter coronans, Angelicis ipſis ſpiritibus decorem impartitur, & gloriam. Hinc canitur: *Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent Angeli, & collaudantes benedicunt Dominum.* Dignum quippe fuit, corpore non ſejungi à partu eam, quæ prærogativam ſingularis gratiæ meruit præ mulieribus privilegiata, ut non mulierum, ſed Virgineo ejus lacte aluerit, non hominem purum, ſed, & DEI Patris Filium, qui ſedet à dextris ejus in excelſis. Dignum eſt etiam famulos Dominæ exaltatione collætari, & gloria. DEUS enim Rex, ejúsque Creator excelſus, diadema regni in capite ejus poſuiſſe certiſſimum eſt, fecitque eam regnare, atque convivum ei præparari juſſit: inſuper poſuit ſolium ejus ſuper omnes principes, quos habebat: ſic enim

enim de hoc elevationis myſterio prædictum fuit per Michæam: in noviſſimo dierum erit mons, domus Domini, præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper omnes colles: inter quos fuiſtis & vos, veſtro cùm lucifero, ò ſuperbi & elati corde! qui Dei gloriam, juſſumque contemnentes, adversùs effectorem veſtrum intumeſcere auſi fuiſtis: idcircò in profundum abyſſi detruſi eſtis. Commutâſtis pro cœlo barathrum: & in ſedium veſtrarum faſtigium DEI aſcendit puella: ſuper cœlorum aſtra ſuum exaltavit ſolium, ſeditque Virgo mitis: quoniam ex ore ſapientiæ jam didiciſtis, gloriæ præcedere humilitatem, & ſic mitem corde Mariam gloria ipſa ſuſcepit æterna. In profundo humilitatis, atque dejectionis chao ſeſe Virgo abdiderat: attamen ille, qui excelſus eſt, quique mites ſpiritu ſalvos facere conſueſcit, miſit de ſummo, & accepit eam. Illamque de aquis multis aſſumere, atque eripere ſtuduit à vobis inimicis fortiſſimis, qui lethali ſemper odio eam inſecuti fuiſtis. Sic ergò ipſamet ſuo cum Filio in æternæ gloria ſublimitatis congaudet adjuvans nos, protegens, atque nos ejus devotos, ac famolos à veſtro, ô nefandi hoſtes, livore, & invidia fortiter defendens: unde & de ea jure optimo (ad veſtram dæmones confuſionem, ejúſque gloriam) cunctus populus Chriſtianus bene dicere poteſt: non eſt, non eſt talis mulier ſuper terram mortuorum, atque viventium, in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum, quæ comparetur ei. Benedicta es tu Virgo à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente,

Digitized by Google

quæ audierit nomen tuum magnificabitur ſuper te DEUS Iſraël.

Benedicta tu Filia à Domino Deo Excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum luciferi. Tu igitur gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, Chriſtique fidelium; quia feciſti viriliter contra inferni hoſtes, & ſola interemiſti diabolorum catervas in univerſo terrarum orbe.

In cujus præſenti agone, iterum atque iterum DEI, ejusque Genitricis ipſe opem implorando, per illam vos maledictos conjuro ut † pareatis, ac cedatis. Per Mariæ gloriam ſublimem vos fugere compello † per Mariæ Virginis inclytam in aſtris coronationem vos dæmones adjuro † per Mariæ peculiarem in tanta ſolemnitate exultationem, vos ſceleſtos, vos obſtinatos, vos viliſſimos compeſco † per Mariæ lucidiſſimam elevationem vobis mando † per Mariæ nitorem, & gloriam vos compello † per Mariæ laudes, ab Angelis, ac Sanctis in cœleſtibus decantatas, vos diabolos ad cedendum cogo † per Mariæ gratiam, & merita in hac ejus aſſumptione elargita vobis impero † per Mariæ munera, quæ, ob tantam gloriam ſibi datam, ſuis impartiri dignatur ſervulis, vobis mando † per Angelorum, Archangelorúmque concentus, & audium in tantæ Virginis aſſumptione, vos nequiſſimos oxorcizo † vobis firmiſſimè adverſor † vobis viriliter impero, ut mea exequamini mandata, hinc veloci-

lociter recedendo: aliàs ſub iisdem pœnis, in nomine JEſu Nazareni, ejúsque Virginis Matris Mariæ, vos, vobisque faventes, vos detinentes, conſilium dantes, vobis auxiliantes, in æternum contradico, ut execratio, interdictio, excomunicatio cœleſtium Angelorum ſint ſuper vos † maledictio Deiparæ Virginis exterminet vos ✠ maledictio Dei, DeiqueGenitricisMariæ excruciet vos † augeátque ſupplicia veſtra absque menſura, usque ad judicii magni diem † in nomine Dei Patris ✠ DEI Filii ✠ Dei Spiritûs ſancti ✠ Deique Matris ſemper Virginis Mariæ &c. ✠ Amen.

Exorciſmus VII.

In Feſto Sancti Joſephi, & per Octavam.

Præparatio uti in primo Exorciſmo, præter ea, quæ hic habentur propria.

✠ Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum ✠.

℟. Gloria tibi Domine †.

Cum eſſet deſponſata Mater JESU Maria Joſeph; antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante: ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem Filium; & voca-

Digitized by Google

cabis nomen ejus JESUM: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

℟. Laus tibi, Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur ✠ diſſipetur † & deſtruatur † in te N. omnis diaboli virtus. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Dicantur Litaniæ Sanctorum, ut ſuprà in primo Exorciſmo.

℣. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimicorum inviſibilium.
℣. Nihil proficiant inimici in nobis.
℟. Et filii iniquitatis non apponant nocere nobis.
℣. Libera nos de ſanguinibus, Deus ſalutis noſtræ.
℟. Et exultabit lingua noſtra juſtitiam tuam.
℣. Deus deſtruet vos in finem.
℟. Evellet vos, & emigrare faciet de corpore iſto.
℣. Dirumpamus in Domino vincula eorum.
℟. Et projiciamus à nobis jugum ipſorum.
℣. Apprehende, Domine, arma & ſcutum.
℟. Et exurge in adjutorium noſtrum.
℣. Vade retrò ſatana.
℟. Dominum, Deúmque tuum adora.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus, Domine, precibus adjuvemur, ut, quod poſſibilitas noſtra contra hoſtes tuos obtinere non valet, ejus nobis interceſſione donetur: qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c.

Pſalmus 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem ſicut paſſer? &c. *Matut. in Dom.* 1. *Noct.*

Lectio Libri Tobiæ.

IN diebus illis, Sara filia Raguelis audierat improperium ab una ex ancillis patris ſui, quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos mox, ut ingreſſi fuiſſent ad eam, quæ in oratione perſiſtens, cum lachrymis deprecabatur Deum, ut ab iſto improperio liberaret eam. Factum eſt autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dom num, dixit: Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum; qui, cùm iratus fueris, miſericordiam facies & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo. Peto, Domine: ut de vinculo improperii hujus abſolvas me, aut certè deſuper terram eripias me. In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei, & miſſus eſt Angelus Domini S. Raphael, ut curaret eos, quorum uno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.

℟. Deo gratias.

Oremus.

ADeſto nobis, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, contra dæmonum iſtorum inſidias: & intercedente Beato Joſepho Confeſſore tuo, ejus circa nos vires propitiatus extende. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Digitized by Google

Hymnus.

CÆlitum Joſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suſcipe laudes.

Te ſator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis ſponſum, voluitque Verbi
Te patrem dici. dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.

Tu Redemptorem ſtabulo jacentem,
Quem Chorus vatum cecinit futurum.
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum, Dominator orbis,
Cuius ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur Æther,
Se tibi ſubdit.

Laus ſit excelſæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

℣. Ora pro nobis Mariæ Sponſe, ſancte Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum †.
℟. Gloria tibi, Domine, ✠.

IN illo tempore: acceſſit ad JEſum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur; nam ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, & obtuli eum Diſcipulis tuis, & non potuerunt curare

re eum. Reſpondens autem JEſus, ait: O generatio incredula & perverſa, quousque ero vobiſcum? usquequò patiar vos? afferte huc illum ad me. Et increpavit illum JEſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt Diſcipuli ad JEſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis JEſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis: dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit: & nihil impoſſipile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium. ℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur † in te N. omnis dæmonum virtus. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Oremus.

DEUS, qui conſpicis, quia nos undique inimici noſtri perturbant: preſta quæſumus, ut intercedente beato Joſepho Confeſſore tuo, eorum inſidiis miſericorditer liberemur. Per Dominum noſtrum &c.

Aſperſio creaturæ.

Aqua benedicta extinguat, & ſejungat à te N. omnia maledicta. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs ſancti †, Amen.

Exorcizatio obſeſſi.

EXorcizo te † creaturam Dei infirmam, per Deum unum † per Deum vivum † per Deum ſanctum † cujus Filius JEſus Chriſtus verus Deus, factus homo, pro nobis mori dignatus eſt, ut efficiaris munda

da ab omni dæmonum labe, & virtutum recipias ex alto ad ipſum inferni hoſtem fugandum. Amen.

Oremus.

DEUS, qui per unigenitum tuum, ſecluſa dominatione diaboli, populum tibi fidelem aptâſti: expelle, quæſumus, à famulo tuo N. cunctas dæmonum illuſiones, & artes, atque intercedente beato Joſepho, illibatum illum ab omni eorum impugnatione conſerva. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Exorciſmus.

† VIrtus Altiſſimi, quæ ex omni carne juſtos eligendi obtinet poteſtatem, ipſa conveniat vos † peſſimos inferni cultores, ipſaque efficaciſſima mihi præbeat Dei ignita verba, vos inflammantia † vos flagellantia † vos percutientia † vósque diſſipantia † ego etenim indignus Dei Sacerdos, & miniſter Chriſti, auctoritate à ſancta Romana Eccleſia mihi commiſſa, per eamdem Altiſſimi virtutem & poteſtatem, ac de mandato ſummi Dei, qui dum carnem noſtram dignatus eſt ſumere, de Virgine naſcens, Virgini ſponſum elegit, virum inter cunctos piiſſimum atque integerrimum, audeo vos omnes nequitiæ ſpiritus convenire, aggredi, atque compeſcere. Idcircò jugiter cum Sanctis omnibus, & præcipuè cum beatiſſimo Joſepho, Mariæ Virginis Sponſo, viro æquiſſimo, Deique timore pleniſſimo, vos dæmones execrabiles exorcizo † adjuro † conjuro † ut omni morâ depoſita, omnique fallendi arte remotâ, Altiſſimo reddatis glo-

gloriam, Joſeph honorem, mihique indigno DEI miniſtro obſequentiam. Exorcizo vos inferni diabolos † per ſanctiſſimum virum Joſeph, continentiæ virtute inſignem, cujus præconii laudes ſanctus DEI Spiritus per Evangeliſtarum ora inprimis perſonat, electum fuiſſe à DEO in Genitricis ejus Virginis ſponſum digniſſimum. *Cùm eſſet*, ait Matthæus, *deſponſata Mater JEſu, Maria, Joſeph.* Per hunc vos compello † iniquos dæmones, qui hoc in corpore, vel extra habitatis; ſive hic ſitis ligati aliquo maleficio, pacto, conventione, vel ſigno; ſive ſimpliciter; ut omni ſoluto, ac deſtructo veſtrorum, hominúmque figmento, vel artificio; ad mei nutum cedatis, omninò vos miteſcentes, meaque ſigillatim exequamini mandata, nomine altiſſimæ Trinitatis vobis injuncta. Quòd ſi vobis forſitan fuerit interdicta poteſtas diſſolvendi prædicta; vel ſiqua ſuperior infernalis potentia, vel humana; aut ſi naturalis aliqua virtus, ubicumque, quandocumque, & quocumque modo impedire audeat, vel aliter exequi cogat, quàm quòd à me fuerit vobis præceptum: ego ipſe eadem auctoritate, virtute, ac divinâ potentiâ, diſſolvo † abſolvo † debilito † deſtruo † omnia ſuprà relata: atque efficaciſſimè impero † per virtutem DEI, & nomine ac meritis ſancti Joſephi, Mariæ ſponſi, ut nullum contra, vel ſupra vires oppoſitas obtineat robur: quæ tantùm debilitentur † cogantur † & compellantur † à voce & mandatis Altiſſimi, per me vobis injunctis, atque injungendis. Et, ne ulla vobis, veſtriſque fautoribus,

ribus,auxiliatoribus,atque impedientibus adſit excuſatio : ego ipſe Chriſti inſtrumentum, præfatâ auctoritate,& per virtutem& merita ejusdem præclariſſimi Joſephi,centies,ac millies compello vos† cogo vos † illósque omnes ; ut inceſſanter cedatis, ſub pœna illicò à vobis omnibus indifferenter incurrendâ, cum ſuppliciorum veſtrorum in centuplum incremento, ſingulis quibúsque momentis. Et hoc imprecetur vobis, vobísque faventibus, aut juvantibus ipſemetMariæ ſponſus Joſeph : ipſe ergò vos compellat† ipſe meritiſſimus Joſeph vos mihi obedire coarctet † eo modo , & forma , quam ſuprà audiſtis. Ipſe Joſeph excelſus DEI ſervus vos flagellet † ipſe Joſeph , à DEO ſummè dilectus, vos terreat † ipſe Joſeph electiſſimus vos comprimat † ipſe Joſeph meritis pleniſſimus vos convincat † ipſe Joſeph vos deprimat † ipſe Joſeph vos eliminet † fuget † atque perpetuò exorcizet † nomine ſanctiſſimæ Trinitatis.

Tanti ergò viri dignitas præcipua vos mecum conjuret † atque coerceat † qui cuſtus, ſocius , comes, alumnus, conſors, ac tandem Dei Genitricis ſponſus eligi meruit. Ipſi etenim Joſeph electo ex millibus VirginemMatrem Deus ipſe commiſit. Ipſe cum beata acDeipara Virgine Maria perexcelſa habeat colloquia.Idcircò nec ſe pollutum labiis aſſerere poterat cum Propheta, dum ab eis,qui polluti erant labiis,procul abſceſſerat. Ipſe Joſeph unà cum illibata Maria victum ſumebat : Ipſe Joſeph cum ſacratiſſima MariaDei ſemper magnalia agebat : Ipſe Jo-

Joſeph, conſortio tantæ Virginis, in mente illuminabatur, in corpore lœleſtium amore incendebatur, in corpore perfectiſſimè purgabatur, regebatur, mundabatur: nec mirum: ſic namque popularibus turbis non admixtus, imò & Deiparæ conſortio benè diſpoſitus, mundo ſemper corde ſacris ipſe valebat intereſſe myſteriis; in quibus videlicet terribilibus Sacramentis cœlum aperitur, & virtutes angelicæ ſimul cum hominibus diverſantur. O munditiam carentem exemplo! O nunquam in terris viſam puritatem! O caſtimoniam, Angelico æquiparandam candori! quæque illibatæ DEI Genitricis Virginitati uniri, ſociarique meruit. Virginitatis Mariæ ſemper intacta ſponſi ſui munditiem firmabat: ac Virginitas Joſeph illibatum, Mariæ candorem cunctis explicabat. Fideliſſima hæc conjunctio culumbarum, in DEI ſummum amorem, in proximorum ardentiſſimam charitatem, in ipſorúmque perfectiſſimam ſanctitatem continuò exercebatur. Quando vos terrore concuſſêre, ô damnati, ſponſalia iſta divina: contremuit abyſſus veſtra ad tam pacificum Sanctorum conſortium. Fremuit Lucifer ſuperbus, dum MARIA & Joſeph ſibi invicem puriſſimè aſſenſerunt. Luxit dæmonum veſtrorum impuriſſima turba nuptiarum divinarum ſplendidiſſimo apparatu, vóſque, ô diaboli, ad verba illa Evangelica, à me jam prolata; videlicet: *Cùm eſſet deſponſata Mater JESU MARIA Joſeph*: abſque mora retrorſum cadere cogimini, atque ad tremendum hoc, divinúmque trinarium, ſcilicet; *JESU*, *MARIA*, *Joſeph*, fugam quàm ci-

citiſſimè arripere neceſſe erit. Deſponſatio hæc cæleſtis, & pax Sanctorum, Joſeph videlicet & Mariæ, bellum regno veſtro intulit infernorum. O diſcordiæ ſatores, ô turbulentiæ motores, ô rixarum inventores. Nunquam conjunctio, ac ſocietas iſta in latibulis veſtris viſa eſt; qui vos invicem inceſſanter mordetis, invicem incendiis veſtris comburimini. Mirantur cœleſtes ſpiritus hanc illibatam deſponſationem, perfectiſſimè in ea contemplantes Angelicum elucere candorem: ideò vocibus atque laudibus nuptias iſtas celebrare non deſinunt, ac ſponſos ſummis extollere laudibus, canentes: *Sanctus JEſu, ſancta Maria, ſanctus Joſeph.*

Et ego, ejusdem Trinitatis roberatus potentiâ, inprimis virtute Altiſſimi nominis JEſu, vos damnatos iterum exorcizo † vos obſtinatos iterum conjuro † vos ingratos iterum adjuro † ut meis obtemperetis mandatis, hinc exeundi. Cogo vos † in nomine JEſu, quod eſt tremendum, ut cedatis Sacerdoti. Compello vos † in nomine JEſu, quod eſt admirabile atque terribile, ut prorſus, quod vobis injunxerim, exequamini. Urgeo vos † damnatiſſimos, per Deum JEſum, ut omnino meæ voluntati ſubjaceatis. Mando vobis ſpurciſſimis † per Mariæ ſponſalia cum Joſeph integerrimo caſtiſſima. Impero vobis, Dei defectoribus † per Joſeph Dei Genitricis ſponſum digniſſimum. Conjuro vos abire † per unionem ſuaviſſimam, atque concordem, quam Maria & Joſeph ejus ſponſus junctim habuêre. Vos ſuperbiſſimos ad ima deprimo † per potentiam tam nobilium ſponſalium. Conjuro vos † ne-

nefarios, per virtutem tantæ conjunctionis, ac pacis. Conjuro vos ✠ turpiſſimos, per communicationem puriſſimam Mariæ cum Joſeph ejus ſponſo. Comprimo vos † mendaciſſimos per myſterium ſublime iſtorum ſponſalium, quibus contigit, ut partus admirabilis Virginis nuptæ, incognitus eſſet vobis dæmonibus, ac lucifero principi veſtro nefandiſſimo. Per hæc omnia ſupra relata, atque in virtute prædictorum denuò exorcizo vos Dei rebelles ✠ mando vobis ✠ ac validiſſimè impero ✠ ut ſubdamini Dei miniſtro, ac cedatis Altiſſimi præceptis per me vobis injunctis, atque injungendis circa exitum veſtrum ab hoc corpore.

Sed præſertim animadverte tu, tartareum hujus cohortis caput nequiſſimum, & attende, quid de tanto virò Evangelica prædicet veritas: *Joſeph, cùm eſſet vir juſtus, voluit occultè dimittere ſponſam*, ſpiritu ſancto jam plenam, licèt nondum illi notam. O inflexibilis viri Dei juſtitia! accede jam & tu juſtiſſime Joſeph, de excelſis, atque ad perfidos iſtos condemnandos jam propera; qui jugiter cum peſſimo eorum tyranno lucifero, Dei ſedem in cœleſtibus injuſtè occupare non erubuerunt. Increpa impios iſtos, injuſtitias quotidiè hominibus ſuggerentes in terris: quique, dum è ſyderum projecti culmine, atque in abyſſi penetralibus juſtiſſimè retruſi ſint, adhuc non ceſſant cum mortalibus, Deique imaginibus ſuam exercere tyrañidem; Dei plaſmata occupantes, & in credentium corpora invidè ingredientes; illa undique vexant, affligunt, torquent.

Digitized by Google

Torqueat igitur vos † piiſſimus Joſeph, proſternat vos † potentiſſimè vir Dei Joſeph. Exagitet vos † inclytus Dei electus Joſeph. Urgeat vos † ſponſus Mariæ Joſeph. Verberet vos † virtus potentiſſimi Joſeph. Imperet vobis † ſublimitas ſancti Joſeph. Cruciet vos † acerrimè caſtitas; puritas Mariæ ſponſi Joſeph. Condemnet vos † integritas Joſeph. Colaphizet vos † Joſeph, quoad usque adversùm vos juſtitia in judicium convertatur.

Verùm, apparuiſſe narratur Angelus DEI in ſomnis Joſeph, mœrore confecto, eum hortans, eíque arcanum incarnationis myſterium in puriſſimo ipſius utero ſponſæ futurum aperiens: quoniam juſtis apparitio cœleſtis, non damnatis conceditur, non reprobis, non vobis dæmonibus; communicatur Sanctis lux ſancta, lux divina, lux in tenebris, viſio in nocte, claritas in tentationum caligine; ut dicitur: *Lux orta eſt juſto: rectis corde lætitia.* Vobis horror, vobis caligo, vobis diabolis indeficiens pavor, terror, confuſio, atque mœſtitia; Inſuper & AngelusDei miniſter in æternum perſequens, & coarctans vos ingratiſſimos. Juſtorum enim nox obſcurum non habet, ſed cuncta illis in luce clareſcunt; nox autem veſtra, ô damnati, perpetua obtegitur inferni caligine, ſempiterno horrore obcæcatur, atque obvolvitur. O infeliciſſimi, quid facietis, quoniam nunquam orietur vobis ampliùs lucifer matutinus? poſt luciferi veſtri nutum abeuntes, lucem veri ſolis, ſummi ſolis, excelsíque ſolis, miſerrimi, amiſiſtis. O noctem æter-

æternitate metiendam! noctem infeliciſſimam! noctem flebilem! in qua DEI vultum requirere vobis non datur ampliùs, nec ſolamen vobis hac nocte deſuper erit expectandum. Gaudeant Angeli, electique ſpiritus luce præclara: fruantur Sancti divina coruſcatione perfuſi, ac præcipuè Joſeph Mariæ ſponſus, in choro juſtorum de tanto lumine lætari nunquam ceſſet.

Cujus præſidio ego indignus DEI miniſter, & Sacerdos minimus, iterum ac validiùs exorcizo vos obſtinatiſſimos † ut mea exequamini juſſa. Adjuro vos DEI rebelles † cedere per Joſeph ægritudinem, eo tempore, quo de dimittenda conjuge cogitabat. Compello vos, ut deprimatis † veſtram audaciam, per ſanctiſſimi viri DEI Joſeph ſomnium. Cogo vos † nefarios, per angelicam apparitionem in ſomnis piiſſimo factam Joſeph. Compello vos † viliſſimos, per divinum ſolamen, quo in ſomnis vir iſte ſanctiſſimus affectus fuit. Mando vobis peſſimis † per divinam Sanctorum illuminationem, qua DEI vultum in cœlo cernere credimus.

Verùm optimè nôſtis, ô inferni cultores, ipſum Joſeph in cunctis Mariæ itineribus, fidum ei fuiſſe ſodalem: unde & illam eſt comitatus, quando in montana feſtinanter ei abire contigerit ad inviſendam Eliſabeth, nuncians DEI verbum jam ſponſæ utero clauſum. O felix itinerarium! O ſacrum conſortium! O peregrinationem ſanctitate refertam! O divinum congreſſum! O charitatem, ſummis extollendam laudibus! Abiit in montem Joſeph cum

Digitized by Google

cum uxore Virgine prægnante, & DEI Filium ejúsque Dominum in utero geſtante. Benè enim experimento probans, quod de ore Veritatis dictum eſt: ubi duo ſunt in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum: ubiChriſtus eſt medius, ibi magna erat multitudo. UbiChriſtus,ibi neceſſarium eratAngelos eſſe,neceſſarium &Archangelos, & alias virtutes: non enim ſola aſcendebat ſocietas iſta Sanctorum, omnium habens Dominum & auctorem.Sed longè aliena hæcJoſeph fuit aſcenſio, à veſtra illa luciferina, ac fallaciſſima; cùm aſcenderet ad montem teſtamenti, ibíque ſedendo, DEI & conditoris veſtri thronum perfidè occupare tentâſtis.Aſcendit Joſeph corpore; ſed corde humilitatis ima premebat. Vos autem ſpirituales ſubſtantiæ,ſemper profunda ſpernentes, atque ſublimia ſuperbè appetentes DEO vos ipſos æquiparare conati eſtis. Quapropter ille, qui ſe humiliavit, ad ſublimia extollitur; vos verò qui in ſublimi ſedes veſtras collocare quæſiîſtis, depreſſi eſtis. Cum feſtinatione aſcendiſſe dicitur Joſeph in montem, ut ſine fine in Altiſſmis moraretur domiciliis. Vos autem ſuberbiſſimi dæmones, moram capere ad DEI latus auſi fuiſtis, & miſerandum in modum in abyſſi penetralia corruiſtis, ibíque perpetuis combuſti ignibus, pænas luiſtis.

Per hanc igitur ſancti Joſephi aſcenſionem, iterum vos adjuro † ut meis ſubjaceatis præceptis. Per Joſeph cum MARIA conſortium, vobis præcipio, ut mihi cedatis. Per Joſeph cum MARIA ſalutationem, & viſitationem Eliſabeth vos conju-

ju-

Digitized by Google

juro † per Joſeph & MARIÆ gautium in eadem Eliſabeth viſitatione, vos exorcizo † vos parere coarcto † vos ſubjici cogo † vobis impero † vobis fugam arripere mando † aliàs condemno vos ad æternæ execrationis pœnas, à me DEI nomine omnipotentis vobis injunctas, per JESUM Nazarenum DEI Filium, qui per ignem venturus eſt judicare nos, & vos maledictionis jaculo perculſos.

Inſuper, vir DEI piiſſimus Joſeph aſcendiſſe fertur *à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, civitatem David, quæ dicitur Bethlehem, eò quòd eſſet ipſe de familia David; ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Jam bellum tarareis ſedibus indicturus accedebat præco iſte divinus: jam cœleſte illud æterni verbi incendium, ſponſæ Virginis utero divinitus clauſum, in mortalium cordibus accendere nitebatur: jam Angelorum panem hominibus impertiri feſtinabat, cum fideliſſima Virginis ſocietate, ſublimis hic, ac fidiſſimus diſpenſatur. In quo progreſſu, perpendite vos ſuperbia tumidi, nefandiſſimi, ingratiſſimi dæmones, quanto ejusdem extiterit humilitas, Mariæ benignitas, Deique verbi manſuetudo, atque clementia: quia, cùm jam cœlorum cultores, ſyderumque cives effecti fuerint; imò, cùm Angelorum Dominum atque effectorem ſecum certò experirentur, nihilominùs nequiſſimi, impiiſque hominis juſſa transgredi non recuſârunt: Veſtram; dæmones, confundentes ſuperbiam; qui cùm ex nihilo jam vos creatos fuiſſe percepiſſetis, atque à ſummo omnium conditore ad nihilum reduci potuiſſetis,

 ei

ei tamen æquari auſi eſtis, ſecumque in ſublimi ſedere eſtis conati. Idcircò, canes infernales, bubali luctuoſi, ſuésque ſpurciſſimi; eja, inquam aſcendite jam, imò potiùs deſcendite, ut profiteamini & vos cum omnibus contribulibus veſtris pertinacibus, obſtinatis, atque perverſis, cujuscumque ordinis ſitis; quia à ſummo cœlorum moderatore, atque omnium effectore edictum exiît, ut cedatis, ac ſacerdotalibus meis humiliemini præceptis, nomine ipſius omnipotentis, ac ſacratiſſimæ Virginis ſponſi Joſeph, vobis injunctis. In qua quidem profeſſione, ego Chriſti miniſter cogo vos † ac mando vobis efficaciter † eadem virtute & potentiâ, ut vos ipſos ad parendum accingatis, ac nullatenus reſiſtere audeatis; ſed nomina veſtra peſſima, de libro quondam vitæ jam deleta, ſcribantur in terris proſternantur, proterantur & ab hominibus, ac beſtiis penitùs conculcentur, &c.

Exorcizo vos igitur † per obedientiam piiſſimi DEI viri Joſeph. Conjuro vos † per humilitatem Joſeph † adſtringo vos ad obtemperandum † per regalem, atque inclytam Joſeph proſapiam. Præcipio vobis conſtantiſſimè † per integerrimi Joſeph, & DEI Genitricis laborioſum itinerarium. Impero vobis † ut ab hoc corpore recedatis per manſuetudinem MARIÆ, & Joſeph legalibus præceptis obedientiam. Mando vobis, ut fugam capiatis † per incarnati verbi benignitatem, humanis ſe præceptis ſubjicientis, atque humiliter cedentis &c.

Verùm, tantæ humilitatis profunditas præcelſo

ſo digna fuit ſolatio munerari, dum terminus laborioſæ peregrinationis prima fuerit incarnati, imò jam nati verbi contemplatiò, jacentis in ſtabulo; cùm de paſtoribus ſcriptum eſſe ſciatis: *Invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Quantô jam ô dæmones, gloriæ fulgore eum in cœleſtibus perfrui exiſtimatis, qui in terris, oculis carneis, meruit incarnati Verbi lucem primus aſpicere? quam occupare ſedem dignatus eſt ſuper ſydera, qui unà cum Dei Matre, Deique Filio, ad uſque ſtabuli profundum voluit inclinari: ubique Deus ipſe ſuis dignatur aſſociari Sanctis: etiamſi inter beſtias ipſi morentur. Vobis autem, ô infeliciſſimi ſpiritus, nunquam divina fuit elargita ſocietas, ac viſitatio. Longè exaltatur à vobis Altiſſimus. Dereliquiſtis vos veſtrum opificem ipſe verò perpetuò dereliquit vos in pœnis veſtris. O ſi vobis viſio hæc DEI lactentis, in præſepi jacentis, interque bruta vagientis largiretur; non utique ſempiterna fuiſſetis damnatione perfuſi. Lux enim vultûs illius, in quem cœleſtes Angeli proſpicere cupiunt, vita eſt æterna, non habens finem: quâ vos, ô miſeri, in reatus veſtri pœnam meritò orbati fuiſtis. Aſpiciant Sancti divinum aſpectum: gaudeant electi luce cœleſti: Joſeph, unà cum Maria, mitibusque paſtoribus, Altiſſimi vultus benignitate atque ſplendore perfruatur: ſuperbi verò, reprobi, atque obdurati dæmones ab hoc dulci conſortio arceantur. Væ vobis igitur infeliciſſimis; væ vobis obſtinatiſſimis; væ vobis ingratiſſimis; quia cùm ſublimia creatoris munera agnoſcere noluiſtis,

in æternum horrorem, ac tenebrarum caliginem corruiſtis: ita, ut nec DEI Filii vultum in carne aſpicere vobis licuerit.

Per hanc ergò ſancti Joſephi gratiam, qua Chriſti natali adſtare meruit, vos exorcizo † per gaudium, quo affectus fuit ſanctus Joſeph, DEI Filium oculis contemplans, vos conjuro † per lucem, quam ſanctus Joſeph in prima Chriſti apparitione aſpicere meruit, vos adjuro † per Angelorum concentum, quem ſanctus Joſeph in partu ſuæ ſponſæ, ac Virgineo flore nitentis audivit, vos fortiter ad parendum compello † vos cogo † vos ligo † vos urgeo † per eum denique vos cogo, qui cùm verus eſſet DEUS, caro fieri, & cum hominibus verſari non eſt dedignatus.

Sed ulteriùs, ô perfidi tentatores, ſacroſanctum iſtum Joſeph, DEI Filium JEſum, unà cum Matre ejus Virgine, in Jeruſalem tuliſſe jam ſcitis, ut ſiſterent eum Domino, præſentantes illum in templo: non autem uti præſentavit, & duxit illum impiiſſimus ſatan, dæmonum princeps, ut in tentationis laqueos eum præcipitem ageret; ſed ut legis mandata impleret; non, ut in terram collideret, ſed ut Deo Patri obſequentiam redderet. In qua ſacratiſſima præſentatione quanta divo Joſeph divinitus fuerint impartita munera, vel inde fas erit agnoſcere, quòd quemadmodum Mariæ ſponſus, ſic Chriſti Genitor vulgò haberi cœperit, & vocari. Honorificavit enim illum Spiritus ſanctus Patris vocabu-

lo;

Digitized by Google

lo; quia nutrierat Salvatorem. Verumtamen, cùm dilectos ſuos ſæpius inviſere ſoleat DEUS: etiam Joſeph gratiâ tribulationis, atque mœſtitiæ viſitare decrevit, mittens Angelum ſuum, qui ei Herodianam perſequutionem mox futuram nunciaret, eique ſuaderet fugam in alienam regionem, dicens: *Tolle puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi usque dum dicam tibi.* Semper vos iniquorum corda pervertere nitimini, invidiſſimi ſpiritus, ut affligere non ceſſent juſtos, Deíque ſervitio addictos viros: attamen ſuper vos veſtrorum cadit iniquitas, & in laqueos, quos occultare conamini, vos validè incidimini. Fuga enim iſta Joſeph cum Maria & Dei Filio irriſio fuit impiiſſimi Herodis, atque inferni veſtri ſolemnis everſio. Ex illa namque uberes martyrum primitias in lactentibus parvulis pia collegit mater Eccleſia, eripiens illos è faucibus veſtris, ô leones peſſimi, atque in cœlorum ſedibus ſublimiter collocans, unde vos, elatiſſimi, ejecti fuiſtis. Inſuper & Ægyptiorum multorum, atque ethnicorum ſalvatio fuit. Nec non & per ipſius labores, peculiareqúe humilitatis exemplum, tandem dignus fuit, quem idem Angelus conſolaretur poſt annorum curſum, dicens eidem: *Revertere in terram tuam; mortui ſunt enim, qui quærebant animam pueri.* Similiter autem & hanc ſolabitur Altiſſimus creaturam, dicens ei: revertere in ſalutem priſtinam, atque in libertatem tuam antiquam, ô opus meum N. jam etenim proſtrati, victi, ac penitùs in fugam converſi ſunt perverſi dæmones, quærentes te vexare, torquere, perdere, atque de medio tollere.

Et ego miniſter Chriſti, indignus ejus Sacerdos nomine ejusdem DEI Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, & in virtute meritorum ſanctiſſimi Joſeph, Virginis ſponſi vos denuò conjuro † adjuro † exorcizo † ut nulla morâ interpoſitâ, veſtras ſubdatis duriſſimas cervices, ac verbis meis obedientiam præſtetis illicò, ut Chriſti inſtrumento, omni prorſus remota fallacia, ſub iisdem pœnis jam fulminatis, ac nomine Altiſſimi fulminandis. Cogo vos cedere † per aſportationem JESU, factam à piiſſimo DEI viro Joſeph, in templum, cum Maria conjuge, ut ſiſteret illum Sacerdoti. Compello vos † per obedientiam Joſeph in obſervatione legalium præceptorum. Compello vos † ſpurciſſimos per devotionem beati Joſeph, quà JESUM portâſſe dicitur in DEI templum. Urgeo vos † teterrimos, per reverentiam, quàm virum DEI Joſeph habuiſſe creditur erga ſanctum DEI Sacerdotem Simeonem, eo tempore, quo ei infantem JESUM obtulit: quæ quidem reverentia vos rebelles, atque obſtinatos dæmones confundat † ipſa vos contundat † ipſa vos conculcet † ipſa vos flagellet † vos percutiat † vos liget † vos diſſipet † vos fuget † vos confringat † vósque pedibus meis ſacerdotalibus proſternat. † Item præcipio vobis, ut veſtros auſus deprimatis † per Angelicam viſionem, quâ ſæpiùs vir Joſeph in ſomnis fruitus fuiſſe fertur. Mando vobis † per ipſam Joſeph, Mariæ, Deique Geniti infantis fugam. Impero vobis † per labores multos, quos paſſi ſunt ſancti JEſus, Maria, & Joſeph, Herodis tyrannidem

eva-

evadere cupientes. Præcipio vobis † per dolores, animíque ſolicitudinem, quâ Joſeph, & Maria in peregrinatione, & commoratione terræ alienæ, ac barbarorum commercio vexabantur, Cogo vos, ut ſubjiciamini † per lætitiam, quâ effecti ſunt Joſeph & Maria, per Angelicam alteram apparitionem, ejusdem regreſſum nuntiantem. Ligo vos † coarcto vos † compello vos † ut cedatis, per illius potentiam, qui vivos, & mortuos per ignis flammam reverſurus eſt judicare &c.

Sed cùm vos pervicaciſſimi hoſtes, nunquam malitiæ veſtræ otium faciatis, atque tunc maximè ſævitis, cùm hominem plenè ſentitis liberatum; tunc plurimùm accenditur flamma veſtra, dum extinguitur; ſic iterum piiſſimum Dei virum Joſeph, Chriſti Eductorem, imò ejusdem Dei Geniti putativum Patrem tentare conati eſtis: etenim cùm ſemper JEſus comes eſſet, illúmque parvulum comitaretur, unà ſecum jugiter in templum aſcendentes, illum amiſiſſe dicitur cum Maria Matre ejus: quare, quantâ ambo affecti fuerint mœſtitiâ, tanti ſolummodo amiſſio Filii declarare valebit, non humanus ſermo: itaque per Jeroſolymæ vicos, & plateas quærentes ibant, lachrymas ab oculis effundentes, atque è præcordiis ſuis ſuſpiriorum amara ſemina mittentes; ùt dixit illi mater: *Ego, & pater tuus Joſeph, dolentes quærebamus te.* Gaudet lucifer, omníſque veſtrorum dæmonum invida turba damnata de Sanctorum mœſtitia lætatur, ſed & modicum temporis ſpatium de ipſorum

ri-

Digitized by Google

ridet anguſtiis: quoniam ſcriptum ſcitis, triſtitia juſtorum vertetur in gaudium ipſorum: & quantò majorum illis præbetis tentationis ſuggeſtionem, eò magis merendi eis occaſio per vos augetur, & tolerantiæ ſplendor per orbem irradiat: quoniam certum eſt, quód ſicut unguenta redolere latiùs neſciunt, niſi commota, & ſicut aromata fragrantiam ſuam non niſi cùm incenduntur, expandunt: ita ſancti viri, omne, quod virtutibus redolent, in tribulationis innoteſcunt. Etenim, etſi Sanctorum hoc ſocietas tam pretioſi pignoris amiſſionem modicum temporis perpeſſa fuerit: tamen non multò pòſt, divini flumen ſolaminis actum eſt eis, cœleſtem invenientes, quam perdiderant, drachmam; unde & reliquo vitæ ejus curriculo, cum Joſeph & Maria, JEſum commoratum fuiſſe teſtatur Evangelica veritas, dicens: *Deſcendit çum eis in Nazareth, & erat ſubditus illis.* O dignitatem! ô admirabilem viri Dei ſublimitatem! cui Deus ipſe ſubjici non dedignatur, Quoties enim inclytus hic Joſeph verborum CHRISTI ſuavitate refectus, eructare ſublimia ſolebat? mens enim ipſius tali ſatiata pabulo, quomodo terrena non faſtidiret? non divina diu noctúque contemplaretur? flagrabat deſiderio ad cœleſtia transmigrandi: ideò, quæ mundi erant, puro contemnebat cordis affectu. Tales namque habebat ſocios, quorum contubernio non ſolùm non inflammabatur; ſed & cùm adhuc in terris degeret, cœleſtem in dies gloriam præleſerebat. Aſpiciebat facie ad faciem eum, quem Angeli proſpicere inceſſanter cupiunt; quem

quem tremunt Archangeli, quem Throni adorant, quem laudant Cherubin, atque Seraphim, una voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS exercituum excelſus, ortis, atque terribilis.* Hunc feliciſſimus vir DEI electus Joſeph adorabat; hunc familiariter alloquebatur; ſecum unà cibum capiebat: hunc obſervare non ceſſabat, ſive ſtantem, ſive accubantem, ſive ambulantem, vel dormientem, vel operantem: & quod eſt valdè mirandum, cùm ipſemet JESUS, Dominus omnium, & ſuper omnia DEUS eſſet, præceptis humanis parere cupiebat, Joſeph & Mariæ inceſſanter deſervire non dedignans. O virtus divina, quæ DEUM ipſum ſuaviter inclinare ſe cogis, & ex Rege ſubditi perſonam induere perſuades, ut ſubditorum impleas vota. O verè Chriſti virtus, quæ ut verè DEI verbum monſtrares in mundum adveniſſe, ipſum non tantùm divinam, ſed & humanam facientem voluntatem indicâſti; ut non ſolius Patris, qui in cœlis ſed & matris, quæ in terris erat, Filius eſſe lucidiùs præſeferret. Vos autem ô ſuperbi; ô inani inflati ſpiritu dæmones, ſpurciſſimi, viliſſimi, deterrimi, quid hic ſtatis, & obſtatis duriſſimi erecto collo, DEI præcepta nihili pendentes, ac ſacerdotalibus dictis aures occludentes? DEUS ipſe omnipotens & excelſus, humanis flectitur nutibus: vos autem damnati, cùm jam ob veſtram ingratitudinem quaſi ad nihilum redacti eſtis, ſummo DEO adverſari audetis, mihique ejus miniſtro, ejus nomine vobis præcipienti, pertinaciter obſiſtere nitimini?

Id-

Digitized by Google

Idcircò ipſe eâdem auctoritate, mente, forma, & pacto, quo ſæpiùs ſuprà exorcizavi, iterum atque iterum, nomine DEI ſummi, & in virtute divina, unà cum piiſſimo Chriſti eductore Joſeph & Mariæ ſponſo, fortiùs exorcizo † validiùs vos conjuro † conſtantiſſimè vos adjuro † cogo † compello † ut illicò meæ cedatis voci, exitum præcipienti; impero vobis † per Joſeph & Mariæ ſolicitudinem, ob amiſſionem DEI Filii in templo. Mando vobis fortidiſſimis inferni mancipiis † per laborem, & ſudorem Joſeph & Mariæ in circuitione viarum Jeruſalem DEI Genitum quæritando: ita ut quodlibet eorum pedum veſtigium, quælibet ipſorum lachryma, ſuſpiria cuncta, gemitus, lamentationes & verba, ob hanc Filii ſui amiſſionem emiſſa, efficiantur, atque evadant vobis damnatis, ſociisque veſtris, ignita jacula vehementer: ſint vobis ſagittæ potentis acutæ: ſint cruciatuum veſtrorum augmentum, ſingulis temporis punctis augendorum, ad menſuram obdurationis veſtræ; donec extremi judicii veſtri adveniat dies. Cogo vos, ut mea capeſſatis juſſa † per gaudium illud, quo Joſeph & MARIA affecti fuerunt: & tandem cùm CHRISTUM amiſſum invenerunt in templo, cum ſenioribus illis diſputantem. Compello vos † per obedientiam JESU, Filii DEI ſummi, erga parentes, cunctis vitæ ſuæ diebus: quæ quidem obſequentia obedire vos cogat † ipſa JESU obedientia atque humilitas, vos infames confundat † ipſe JESU ſubmiſſio vos turpiſſimos ad fugam convertat † ipſa JESU obedientia vos cædat, vos alli-

alliget † vos fortiter conſternat † vos peſſundet † vos duriûs ſolitò affligat † vos torqueat † vos comprimat † vos dilaceret † ipſáque augeat pœnas veſtras, ô pertinaces, ò damnati, ô infernales Dei rebelles: ipſáque JEſu obſequentia vos liget † atque convincat †. Ipſi tandem JEſus, Maria, & Joſeph, veſtram perpetuò condemnent ſuperbiam, veſtram confundant pertinaciam, veſtram cædant duritiem, ſingulis quibusque momentis; donec ipſe JEſus cum Maria, Joſeph, atque omnibus ſanctis, ad judicandum hominis veniant, vóſque dæmomes, ac ſæculum per ignem, Amen.

Exorciſmus VIII.

In Feſto Sancti Archangeli Michaëlis: Apparitionis ejusdem: ſancti Angeli Cuſtodis: & per Octavas earumdem ſolemnitatum: nec non ad libitum.

Præparatio ut in primo Exorciſmo præter ea, quæ hic habentur propria.

℣. Dominus vobiſcum &c.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum †.

℟. Gloria tibi, Domine, †.

IN illo tempore: Dixit JEſus diſcipulis ſuis: Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.

℟. Laus tibi Chriſte.

Di-

Dicantur Litaniæ Sanctorum, ùt ſuprà in primo Exorciſmo.

Pater noſter.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimicorum omnium.

†℣. Fiant iſti tamquam tenebræ & lubricum.

℟. Et Angelus Domini perſequens eos,

†℣. Fiant tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

℟. Et Angelus Domini coactans eos.

†℣. Angelis ſuis mandavit de nobis.

℟. Ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris.

†℣. Domine DEUS, mitte Angelum tuum de cœlis.

℟. Et conclude ora leonum.

†℣. Immitte Angelum, Domine, in circuitu timentium te.

℟. Et eripe nos Deus noſter.

†℣. Adorent eum omnes Angeli ejus.

℟. Audiat & lætetur Sion.

℣. Aſcendat fumus aromatum in conſpectu tuo Domine.

℟. De manu Angeli.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DEUS, qui miro ordine, Angelorum miniſteria, hominúmque diſpenſas; concede propitius, ut à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra contra

tra dæmones muniant. Per Dominum noſtrum &c.

Vel:

DEUS, qui ineffabili providentia, ſanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris: largire ſupplicibus tuis, eorum contra dæmones protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum &c.

Pſalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione DEI cœli commorabitur. Dicet Domino &c. Ex completorio.

Vel Pſalmus. 137.

COnfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam audiſti &c. Ex Veſperis Fer. 6.

Lectio libri Apocalypſis beati Joannis Apoſtoli.

FActum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem &: projectus eſt in terram, & angeli ejus cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem. ℟. Deo gratias.

 Ore-

Oremus.

BEati Archangeli tui Michaëlis interceſſione ſuffulti, ſupplices te, Domine, deprecamur: ut contra malignos ſpiritus, vires noſtræ cœleſtium ſpirituum miniſterio augeantur. Per Dominum noſtrum &c.

Vel alia Oratio.

SUpplices te, Domine, deprecamur; ut Angelico pro nobis interveniente ſuffragio, à cunctis inferni hoſtibus miſericorditer liberemur. Per Dominum noſtrum &c.

Hymnus.

Tibi Chriſte, ſplendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conſpectu Angelorum
Votis, voce pſallimus,
Alternantes concrepando,
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes cœli milites;
Sed præcipuè primatem
Cœleſtis exercitûs,
Michaëlem, in virtute
Conterentem Zabulum.
Quo cuſtode, procul pelle,
Rex Chriſte piiſſime,
Omne nefas inimici;
Mundo corde, & corpore
Paradiſo redde tuo
Nos, ſola clementia.
Gloriam Patri melodis

Perſonemus vocibus;
Gloriam Chriſto canamus,
Gloriam Paraclyto,
Qui trinus, & unus Deus
Extant ante ſæcula. Amen.

℣. Adorate DEUM Alleluja.
℟. Omnes Angeli ejus. Alleluja.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum †.
℟. Gloria tibi, Domine, †.

IN illo tempore: acceſſerunt ad JEſum Diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait illis. Qui ſeminat bonum ſemen: eſt Filius hominis. Ager autem, eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem filii, ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt diabolus. Meſſis verò conſummatio ſæculi eſt. Meſſores autem, angeli ſunt. Sicut ergò colliguntur zizania, & igne comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittit Filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.

℟. Laus tibi Chriſte.

Per Evangelica dicta extinguatur † diſſipetur † & deſtruatur † in te N. omnis diaboli virtus. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Oremus.

VOta noſtra, quæſumus Domine, propitiùs reſpice;

ſpice; atque Angelico pro nobis interveniente ſuffragio, ab omni inferni hoſtium liberemur incurſu. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Aſperſio creaturæ.

Aqua benedicta extinguat, & ſejungat à te N. omnia maledicta. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Exorcizatio obſeſſi.

EXorcizo te † N. creaturam Dei, à diabolo oppreſſam, per Dominum Deum excelſum, atque terribilem: quem laudant Angeli, quem adorant Archangeli, quem omnes cæli ſpiritus, Sanctum, ſanctum, ſanctum, Dominum Deum Sabaoth, unâ voce proclamant: ut à cuncta dæmonum labe munderis, & procul abeant inferni nequitiæ, atque tartareæ poteſtates; fiasque Dei tui habitaculum ſanctum, mundum, & immaculatum. In nomine Dei Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Oremus.

SAna, Domine, famulum tuum N. in dæmonum afflictione clamantem: ut Angelorum tuorum præſidiis roboratus, dignas tibi gratiarum referat actiones. Per Dominum noſtrum &c.

Alia Oratio.

PRotegant nos, Domine, ſanctorum Angelorum tuorum humiliter invocata præſidia: & hunc famulum tuum N. ſatanicâ oppreſſum nequitiâ, eorum pia ſupplicatione defende. Per Dominum noſtrum &c.

Exor-

Exorciſmus.

† QUi ſpirituum ponderator eſt Dominus, quique Angelos ſuos effecit ſpiritus, ipſe DEUS Eloym, fortis, & admirabilis, magnus atque terribilis, vos infernorum cives, cœlorum rebelles, vos tartarorum incolas, vos dæmones, vos nequiſſimos, vos damnatiſſimos ſpiritus coërceat † vos duriſſimos compeſcat † vos comprimat † vos fortiter ſuperet † & ego, ejusdem DEI miniſter, & inſtrumentum, in nomine potentiſſimæ Trinitatis, Deique ſimpliciſſimæ Unitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vos diabolos aggredior: & in virtute, & per virtutem ipſius DEI Jehova, vos validiſſimè adjuro † conjuro † & exorcizo, ut, cunctâ veſtrâ ſemotâ fallaciâ, utcumque hic commoremini, illicò abſcedere feſtinetis cum maleficiis veſtris, ligaminibus, facturis, ſignis, pactis quomodolibet vobiſcum initis; cunctaque illa deſtruentes, oblitterantes, atque omninò delentes, procul fugiatis: prout ego ipſe, per ejusdem DEI omnipotentis auctoritatem, ac virtutem, mihíque traditam poteſtam, efficaciter deleo † enervo † deſtruo † evello † abſolvo, ac penitùs eradico: quin etiam & vos inſtantiſſimè ejicio, vobísque hinc exire impero in nomine JESU Nazareni crucifixi, cui omne genu curvatur, cœleſtium, terreſtrium, atque veſtrorum dæmonum infernorum. Aliàs, ejusdem Altiſſimi contra vos invoco Majeſtatem, ut tantæ obdurationis, ac perverſitatis veſtræ pœnas ſumens, potentiſſimum Michaëlem principem cœleſtis exercitûs mittere dignetur contra vos, & aſſe-

Digitized by Google

clas veſtros; veſtraqúe deinceps augere ſupplicia non deſinat, quod ferre non valeatis; in nomine DEI Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. In nomine, & potentia DEI Eloha † Saday † Eſerehye † Eli †. Otheos † Iſchyros † & Emmanuel. † In nomine cœleſtium ac ſublimium illarum potentiarum, Michaëlis † Gabrielis † Raphaëlis. † In nomine cæterorum Angelorum † Archangelorum † Thronorum † Dominationum † Principatuum † poteſtatum † Virtutum † Cherubim † atque Seraphim † qui eidem DEO & ſummo omnium conditori quotidiè concinere laudes non ceſſant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, DEUS Sabaoth.

Conjuro vos, impuros ſpiritus † ut meis ſubjiciamini præceptis, per Angelorum electorum creationem, quâ ad DEI ſui imaginem ſunt effecti: quæ quidem eorum eſt bonitas, in qua primùm conditi, DEUM ſanctitate ſua retulerunt: cùm videlicet excellentia ejusdem ſpiritualis naturæ per divinam participationem è creatione eſt conſequuta, quorum DEUS obſequio nequaquam indigebat: ſed nunquam eos creaviſſet, niſi ſupremè bonus atque clemens ipſe eſſet. A qua bonitatis perfectione vos clariſſimi, in juſtitia, & veritate non perſiſtentes, veſtramque cum eis originem nequaquam aſſervantes, in mali barathrum meritò decidiſtis. Hinc eſt, quòd vos quotidiè mendacium loquentes, mendacium operantes, de veſtro loqui, ac de veſtro operari nitimini; cùm à Deo malum creari, ac proficiſci omninò repugnet.

Con-

Conjuro vos mendaciſſimos ſpiritus ✝ per ſpirituum Beatorum, & veſtrorum quondam conſociorum excellentiam, quâ cæteras natura antecellere creaturas certum eſt; cùm ſint ipſi mentes mirâ intelligentiâ præditæ, ſcientiâ multiplici à Deo imbutæ, voluntatem quidem divinæ voluntati omninò conformem; eamque primùm libertatis dono munitam obtinentes. Cùm certum ſit, quòd ſubſtantia illa ſpiritalis, ſecundùm lumen ſit Angelus, primi illius luminis velut rivulus quidam aut participatio, eam rationem habens, ut per propenſionem mentis ad DEUM, intentione, ac defixione, obſequióque ſuo, ſplendorum conſequatur. Unde & per ſimilitudinem quandam benè dici poteſt ignis immateriatus, atque incorporeus: nec non & intelligibilis mundus, primúsque DEI ſplendor, & radius.

Exorcizo vos, miſerrimos ſpiritus ✝ per Angelorum ſanctorum gratiæ celſitudinem, quâ DEI Filiià divina ſcriptura appellari dignantur: cùm in juſtitia, ac ſanctitate perſeverantes pleni ſapientia, atque perfectionibus creatori ſuo, ac cœlorum Patri in bono aſſimilari conati ſunt. Vos autem inſtabilitatis, vos inconſtantiæ fontes, in quibus excelſus ſummum reperit pravitatem, jure optimo inferni mancipia dici meruiſtis, æternis ſuppliciorum veſtrorum vinculis detrudendi.

Adjuro vos, ſpiritus tenebrarum ✝ per cœlorum ſpirituum immutabilitatem, atque in bono conſtantiam; quâ videlicet, cùm naturâ ſuâ mutabiles conditi fuiſſent, tamen DEO ſuo firmiter adhærentes,

illúmque magis quàm ſe ipſos amantes: in ejuſdem veritate ſoli permanere, quàm veſtrorum exemplum ſequi maluerunt.

Exorcizo vos, nefarios ſpiritus † per ſublimium DEI ſpirituum gretiam peculiarem, divina eis largitate collatam; ut à ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, in deterius mutari non valeant. Dum vos, miſeri, è converſo perpetuò incorrigibilis, de malo in malum inceſſanter ruitis; quia initio peccantes à ſummo bono receſſiſtis, nec veſtrum voluiſtis ſervare principatum. Hinc forſitan factum eſt, ô cœlorum apoſtatæ, quòd veſtrum Angelicum lapſum in ſcripturis non inveniamus expreſſum: ne videlicet ſcripturæ mandaretur, quod emendari non poterat.

Adjurò vos, ſpurciſſimos ſpiritus † per nunciorum Altiſſimi firmiter apprehenſam DEI ſui veritatem; ac ſe ipſos ab eo creatusq; agnoſcentes, non ſe æquales creatori exiſtimantes, ſed exinanitionis virtute utentes, infimum DEI opus ſe eſſe incunctanter confeſſi ſunt. Vos verò, vos ſuperbiæ parentes, veſtrorum apoſtaſiæ auctorem non habentes, totius erroris principes fuiſtis: cùm, videntes à ſummo omnium conditore vos non mediocris potentiæ effectos fuiſſe, auſi eſtis divinitatem præſumere, ac proprio arbitrio omnes vos cum principe veſtro lucifero de DEI miniſterio impiè recedere.

Exorcizo vos turpiſſimos ſpiritus † per beatorum ſpirituum liberum arbitrium, quo incorruptam, integram, quam à DEO acceperunt, naturam ſervare,

ſervare, divinóſque caracteres atque in Dominum effectorem ſuum benevolentiam imitari conati ſunt: contra veſtram, ô perfidi, inſolentiam: qui propriâ malitiâ divinam lucem ſuſcipere nequiviſtis, & tenebræ effecti eſtis, à prioríque ſorte excidentes, quia ad id, quod deterius erat, concurrere voluiſtis.

Conjuro vos, damnationis ſpiritus ✠ per cœleſtium potentiarum, primævo ipſorum exordio, in verum ac ſummum DEUM liberam confeſſionem; cùm, luciferi impellente nequitia, ut anteceſſori eorum, ac Domino invidentes, adversùs DEUM, qui eos benignè effecerat, rebellare tentarent: etſi indifferens eſſet arbitrii libertas, à prima, tamen virtutis gratia non diſceſſerunt nec à boni, lucíſque indultore elongari paſſi ſunt: ſicuti & vos peſſimi ejus ſectatores, qui voluntate perverſa in malum proruentes, æterna conſepulti eſtis malorum caligine.

Adjuro vos, perverſos ſpiritus † per ſummorum ſpirituum illuminationem, quâ verum à falſo, bonum à malo diſcernentes, Deum ùt Deum glorificare conati ſunt; ac perſuaſioni peſſimæ luciferi aſſentire renuntiantes, Beatitudinis donum potiri meruerunt. Vos autem perverſitatis filii, qui eidem fallaciſſimo duci veſtro conſentientes, de beatis miſeri effecti eſtis; adeóque veſtra excrevit miſeria, ut vos cum illo nec recognoſcere, nec miteſcere valeatis. Cùm tamen vos anteà conſiderare oporteret, in miniſtrandi ordine veſtram conſtitutam fuiſſe Angelicam ſubſtantiam, non dogmata præſcribendi:

& periculoſum ſanè eſſe non in eo quamquam ordine conſiſtere, in quo collocata eſt à ſummo omnium ordinatore, ſed ea, quæ ſupra naturam ſuam ſunt, aggredi.

Conjuro vos, infeliciſſimos ſpiritus † per cœleſtium virtutum contra vos cœlorum apoſtatas in ſublimi conflictum, ac certamen: cùm videlicet præfatus dux veſter nequiſſimus, quamplures infra ſe videns ſpiritales potentias (quippe cùm in paradiſo DEI præſtantior eſſet cognitione miſteriorum cœleſtium) vana inflatus elatione, DEUS dici voluit: Angeli verò ſancti, contra ipſius ſuperbiam fortiter obſtantes, Deique nomen extollentes, ipſius, ac veſtra pariter ruperunt elationis cornua à ſummis cœlorum ſedibus, ipſorumque conſortio vos turpiter evellentes.

Conjuro vos, invidos tartarorum ſpiritus † per Angelicarum poteſtatum jubilum, lætitiam, atque in DEUM gaudium, quando videlicet fortitudine gratiæ, à DEO obfirmati, ſuum erexêre vexillum, atque per divinitatis gloriam feliciter pervagantes, immenſum illum beatorum orbem reboare fecerunt, dicentes: *Quis ùt DEUS? quis ùt DEUS?* vobis autem miſeris undique lugentibus, ejulantibus, gementibus, deſperantibus, luciferúmque veſtrum more paraſitorum, apoſtatarum, ac perverſorum ſatellitum glomerantibus, in profundum ſuperbiæ barathrum, ictu oculi, miſerè corruentibus, atque æternis ignibus concremantibus.

Conjuro vos, maledictos ſpiritus † per ſupernarum potentiarum in DEUM ſuum quietem, ac ſin-

Digitized by Google

ſinceræ voluntatis amplexum, illi liberè libentiúsque conquiescendo; omni prorſus ſuorummet exiſtimatione ſecluſa: cùm, è converſo, propria licifer veſter arrogantiâ motus, ſe ipſum conſpicatus adeò ſpecioſæ ſuæ conquievit naturæ (excluſo DEO) ut ſupernæ beatitudini conſequendæ, ſe ſuasque vires ſatis eſſe confiſus eſt; ac vos ipſius aſſeclas, variis ordinibus, non impellendo, ſed cohortando, ejusdem criminis conſimiles efficere ſtuduit, cunctóſque in æternam perniciem ſecum unà pellexit.

Conjuro vos, damnationis ſpiritus, ut cedatis † per ſublimium illam Angelorum potentiam, vim, atque virtutem, quâ mediâ DEUS ipſe omnipotens & excelſus, vos cum impiiſſimo veſtrorum principe catenis ſempiternæ caliginis duriſſimè ſepiens, ac vinciens in extremum ſervandos judicium, in tartarum præcipitari mandavit.

Coarcto vos, nigerrimos ſpiritus † ut fugam ab hac Dei creatura ſtatim arripiatis, per electiſſimorum DEI ſpirituum beatitudinem, & gloriam, poſt præfatam cum lucifero luctam, ipſis ab Altiſſimo elargitam: cùm videlicet veſtrorum refugum Angelorum exercitum præcipitem in barathrum datum fuiſſe compertum eſt, atque in æternæ damnationis chaos validiſſimè immerſum.

Compello vos, teterrimos ſpiritus † ut veſtram emolliatis duritiem † per Angelorum bonorum juſtitiam, & veritatem: ad quam videlicet (ut in DEO) ſtabiliter, atque immobiliter ſe conver-

vertentes, ſemper juſta, ſempérque vera appetere non ceſſant, contra veſtrum, ô perverſi dæmones inſtitutum, qui à DEI rectitudine, ac veritate liberè abſcedentes, numquam falſa, numquam mendacia proferre atque operari fatigamini; ut, etiam ipſum hominem poſt ea abire aliicientes, à recta cœlorum ſemita, quæ ad DEUM verum ducit, aberrare faciatis.

Conjuro vos miſerrimos ſpiritus ✝ per Angelorum cœleſtium amorem, atque in DEUM ſuum ſuper omnia ardentiſſimam dilectionem; ob perpetuæ mortis cauſam, à qua, ſua benignitate, ipſos reparâſſe pro certo ſciunt. Cùm vos, ingratiſſimi, vos duriſſimi dæmones, vice verſa, contra Deum veſtrum, DeíqueFilium quotidie graſſari non ſatiamini, eumque virulento odio inſequi; quin etiam & adversùs humanam ſpeciem, ad ejusdem efformatam imaginem, maligno livore, malorum ſemina jactare non deſiſtitis. Vix enim primo homini auram ſpiranti, promiſiſtis, ob præceptorum DEI inobedientiam, falſam divinitatis præbere Majeſtatem: Vos Caino juſti Abel fratris ſui necem ſuggeſſiſtis. Vobis graſſantibus, perſequutus eſt Iſmaël Iſaacum, Eſau Jacobum, pharao Iſraëlitas, Saul Davidem, Hypocritæ Prophetas, Gentes Judaicam gentem, ac denique pios impii; poſtquam & Chriſtus advenerat, etiam contra ipſum, omnium hominum genera veſtris mendaciis excitare auſi fuiſtis, donec ad interitum perduci eum aſpexiſtis.

Conjuro vos, nefandiſſimos ſpiritus ✝ per ſancta-

Digitized by Google

ctarum illarum mentium in cælis tranquillitatem atque in DEUM ſuum ſecuritatem: cùm certiſſimò ſciant, ſe nunquam ab æterna illa felicitate caſuros. Dum vos, infeliciſſimi, qui veſtra non contenti gratuita dignitate, quam ex divina creatione habuiſtis, Deo ſimiles eſſe affectâſtis, Deíque verbum è ſua Majeſtate impiè deturbantes: quare divino judicio factum eſt, quòd non tantùm, quod volebatis, aſſecuti non eſtis; verùm, ut etiam præcipitati è cœlo, in infernum, è ſumma dignitate ad extremam ignominiam atque infelicitatem meritò cecideritis.

Cogo vos, pertinaces ſpiritus, meis obedire præceptis † per cœleſtium ſpirituum perpetuum domicilium; quod eſt domus Dei, ac divinæ illius Majeſtatis habitaculum ſempiternum: de qua manſione dictum ſcitis: *O Iſrael, quàm ignes locus poſſeſſionis ejus!* quem vos, damnatiſſimi, ob veſtram ſuperbiam, in denſam conſtrictámque mutâſtis caliginem.

Impero vobis, ſpiritus turpitudinis ✝ per Angelorum prædeſtinatorum in cœlis aſſiſtentiam, ac coram Altiſſimo perpetuam manſionem; ſummo omnium conditori alacriter miniſtrantium; Dei Patris faciem continuò contemplantium, Deíque Filii vultum ſummo cum appetitu proſpicere cupientium. Quid namque eſt, alas ſuas continua expanſione ſuper propitiatorium extendere Cherubim, juxta Prophetarum pronuntiata; niſi omni in loco, omnique tempore divinæ contemplationi, & inſpectioni

oni ſummæ inhiare, & ejuſmodi ſtudio vel deſiderio ubique inſiſtere; certè enim aves cum volare volunt, alas ſuas expandunt. Summi etenim boni contemplatio, & virtutum certiſſima comprehenſio, Angelorum theſaurus eſt. Vos autem è converſo, qui primum veſtrum amiſiſtis domicilium, Dei Patris, Deique Filii conſpectu orbati fuiſtis: & ſi quando coram Altiſſimo ſiſti vobis permittitur, nequaquam ſanè velut coram placido ac miti Domino; ſed tanquam in conſpectu irati Judicis, qui aliquid ſecundùm juſtitiæ ſeveritatem, ac rectitudinem exequendum, ſit mandaturus. Quinimò mitti dicimini ad miniſteria ſordida, in quibus Deus iram ſuam adverſus vaſa iræ declarare decernit: ſcilicet, ad nocendum, ad malosque perdendum.

Urgeo vos, rebelles ſpiritus ✝ per Angelorum bonorum erga Dei creaturas proclivitatem, ut ſuo eas alliciant creatori, eique bona, tamquam à bonorum fonte communicent: amant enim Angeli, qui Dominum ſuum diligunt: dum vos, invidi dæmones, ſic in malo confirmati, atque obdurati eſtis ut inſtaurationem nequaquam ſperantes donis, quæ per naturam habuiſtis abutimini, atque ad malum contra Deum & homines ſemper convertitis. Hinc bonum impedire nitimini, excæcantes, impellentes, malósque ad malè agendum ſemper juvantes. Hinc certum eſt, vos diabolos vobis ipſis, non nobis eſſe malos: non enim, ſi velimus, plura etiam comoda per vos, perque veſtrorum nequitias conſequemur, vobis adhuc invitis, ò impii, ac penitùs renuen-

nentibus; quod eſt profectò mirabilis atque divinæ erga nos bonitatis compendium.

Exorcizo vos ſpiritus nequitiæ ✝ per illam Angelorum gloriam, longè ampliorem futuram poſt judicii diem; cùm undique ipſi conſummatam, & integerrimam accipient beatitudinem, cui ſuperaddi nihil poterit. Amplificabitur enim eorum gloria ob Chriſti gloriam, tunc mortis inferníque triumphatoris: & etiam ob plenam, atque communem ſanctorum hominum beatitudinem; ad quos non ampliùs in terram cuſtodiendos mittet, ad veſtrorum peſſimorum confuſionem, ô perverſi ſpiritus, qui tunc temporis damnationis vinculis, ignibúsque ſempiternis addicendi eſtis: ut vos ipſi lamentabimini, dicentes Chriſto: *Quid tecum, & nobis, JEſu, Fili Dei; veniſti huc ad cruciandum nos ante tempus?* inſuper multiplicabuntur ſupplicia veſtra, atque acerbioribus cruciabimini pœnis, ob flagitia, quæ poſt primum lapſum veſtrum, contra Deum, Deíque opera impiè perpetrâſtis; quoniam, etſi meruiſſetis quidem omnes vos impii luciferi ſectatores illicò mitti in tenebras exteriores; permiſit nihilominùs vos Chriſtus in terra verſari: ne abſentia tentatoris, homines à victoriæ corona privaret.

Adjuro vos, ſpiritus obduratiſſimos ✝ per beatorum ſpirituum officia ac præclara erga creatorem ſuum miniſteria; ob quæ *Angeli*, id eſt *Nuncii*, vel *Archangeli*, id eſt, *ſummi nuntii* ſummáque nuntiantes myſteria, appellari meruerunt; quibus expediendis alacriter ac fideliter ſemper ſe gerere aſpiciun-

ciuntur: etenim ſuo obedire Creatori, ac promtè adminiſtrare, eúmque indeficienter collaudare, ùt unicum eorum finem, ſummoperè delectantur. Veſtrorum autem impiiſſima tartarorum caterva, Angelorum nomen, officium, ac beneficium, ictu oculi amiſiſſe jam ſcitis; dum DEI ſedem appetere ſuper cæteros impiè auſi eſtis: ac, vice verſa, ſpiritus tenebrarum, & caliginis, ſpiritus damnationis, ac maledictionis, uno ore vocamini, ſpiritus contumeliarum, opprobriorum, atque malorum, ſpiritus obſtinationis, perverſitatis, & nequitiæ, ſpiritus horroris, & turpitudinis, ſpiritus deſperationis furoris, & invidiæ, ſpiritus contumaciæ, proterviæ, & inconſtantiæ, ſpiritus odii, mœroris, atque doloris, ſpiritus confuſionis, ignaviæ, & contumeliæ, ſpiritus miſeriæ, neceſſitudinis, & inopiæ, ſpiritus ſpurcitiæ, abjectionis, & vilipendii, ſpiritus nequitiæ, triſtitiæ, & fœtoris ſpiritus ſervitudinis, ſtultitiæ, & abjectionis, ſpiritus violentiæ, & rebellionis, ſpiritus ebrietatis, corporis, & fornicationis, ſpiritus, acediæ, iræ, atquæ vindictæ, tandem ſpiritus dicimini tartarorum, fontes malorum omnium, dejecti de paradiſo DEI, de ſummo cœlorum vertice, atque in abyſſi chaos, ob veſtram ſuperbiam, & in DEUM ingratitudinem, æternaliter ſecluſi.

Conjuro vos ſpiritus malignos † per ſanctorum Angelorum cum hominibus convenientiam: fratres enim noſtri ipſi ſunt; ab uno, eodemque conditi ſumus effectore. Inſuper nos omnes poſſeſſuros cum ipſis cœlorum gloriam ſpe-

ſperamus. Etiam una Angelorum eſcâ nos nutriri jam ſcitis, ô invidi, ſcripturâ teſtante, quæ ait: *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum: & panem Angelorum manducavit homo:* qui eſt Chriſtus, Dei verbum, caro factum. Tandem in divinitatis contemplatione convenimus, eundémque Dei vultum aſpicere ſperantes in patria, quem vos, infeliciſſimi dæmones, nec aſpicere, nec eum comedere valetis, nec vobiſcum cœlos aſcendere unquam dabitur vobis.

Conjuro vos, inconſtantes ſpiritus ✝ per electorum ſpirituum à nobis hominibus diſparitatem; quâ, natura excellentiori, loco nobiliori, tempore anteriori, immortalitatis dono, vitæ puritate, miniſterii facilitate, ac certioris præmii perceptione nos ſuperant. Licet nos, econtra, ipſos (Dei gratiâ) antecellimus. Chriſti videlicet redemptione, Chriſtique fraternitate: cùm ipſum, nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumpſiſſe ſciatis: inſuper & commiſſorum criminum poſt pœnitentiam remiſſione; Sacramentorum DEI adminiſtratione; & tandem humanitatis Chriſti ſenſata in cœlis fruitione. Vos autem viliſſimos, non natura, ſed gratia incomparabiliter à nobis diſtare effecit omnipotens; qui DEI bono, DEI gloria, DEI gratia, DEI lætitia, Deique viſione privamini, ac ſempiternis ignibus, miſeri, conglobamini.

Conculco vos, viliſſimos ſpiritus † per electorum ſpirituum virtutem, ac robur, divinæ ſubordinatum potentiæ, quo cæteris præſtare creaturis pro comperto habemus: indefeſſè enim adhæ-

Digitized by Google

rent omnipotenti, à quo nunquam, ut vos ſtultiſſimi, receſſerunt. Idcircò ob illius roboris præſtantiam, ſuum participantes vigorem, *potentes virtute*, à divina ſcriptura appellari ſolent, ac etiam *potentiæ Dei, Deique virtutis Angeli*: quin & ordines ipſi, in quos diſtributi ſunt, de ſublimi eorum ineffabilique potentia teſtimonium dicunt: puta, quòd Thronos, quòd Dominationes, quòd Virtutes, quòd Principatus, quòd Poteſtates ipſi nuncupantur. Vos verò tartarorum incolæ; licèt ex eorum ordinibus confuſim è cœlo ad ima dilapſi eſtis; quantò altiùs primò ſedem obtinuiſtis, tantò profundiùs cruciamini. Etſi robur veſtrum in malum ſemper impendere cupitis, DEUS tamen Omnipotens vinculis vos detinet ſempiternis; ut, beſtiarum more, ſacerdotalium verborum fræno captos, ac ſacrorum myſteriorum productione, pavidos vos ipſos oſtendatis.

Exorcizo vos, ſpiritus execrabiles ✠ per Angelorum cœleſtium ſuper vos cacodæmones præcipuam auctoritatem, & potentiam, qua veſtrorum conatibus validè reſiſtunt, contra vos pugnant, veſtrorúmque furorem frangunt, convinciunt, ac vincunt. Licèt enim omnes vos æquales natura illis primúm conditi ſitis; tamen, cùm veſtra facta ſit ſeceſſio, ac reprobi ſponte à creatore veſtro defeceritis, nec in Dei veritate permanſeritis; æquitatis ratio poſtulavit, ut in peccati veſtri pœnam, ſicut & reliqua dona, quibus ornati eratis, ſic etiam vis, & potentia, quâ præditi fuiſtis, infirmaretur: & vobis boni Angeli, ut & aliis donis, ita etiam viribus ſuperiores

Digitized by Google

res efficerentur. Et licèt contra nos homines veſtras conamini oſtendere vires, pro comperto tamen habetur, vos fortes non eſſe, niſi quia nos debiles ſumus; in eóſque tantummodo, qui arma ſibi à Deo collata abjiciunt, & ſe ſpontè debiles faciunt, vos poteſtatem veſtræ exercere tyrannidis.

Conjuro vos, deſertores ſpiritus † per ſanctorum Angelorum erga nos fidelem cuſtodiam; qui, etſi Deum ipſum ubique fidiſſimum habeamus protectorem, ad noſtram tamen ſublevandam imbecillitatem, ſuos etiam miniſtros, & numero & virtute validiſſimos ſpiritus, quaſi præſidiarios milites, nobis adjungere voluit; eóſque ſemper adeſſe ordinavit, ut indefeſsè nobis proſint, ut contra veſtrorum tentamenta, ô perfidi, nos fortiter tueantur, & protegant. Quinimò etſi nos illos ad noſtri cuſtodiam deputatos multipliciter offendimus, & offenſam negligentiâ cumulamus; ipſi tamen, licèt à nobis frequenter injurias patiantur, ſuſtinent, & compatiuntur peccantibus: nec minore circa nos utuntur Vigilantiâ; imò majorem exhibent ſolicitudinem; cùm boni cuſtodis ſit infirmis magìs, quàm ſanis operam exhibere.

Impero vobis, ingratiſſimis ſpiritibus † hinc recedere, per piorum ſpirituum erga hominis ſpecialem beneficentiam. Ipſi enim tanquam DEI ſui creaturas: ac Filii ejus JEſu Chriſti imagines, summoperè diligunt, diligenter inſtruunt, ac interiùs mente illuminant; noſtrûm compatiunter miſeriis,

Digitized by Google

nos conſolantur, nos ad bonum exhortari non deſinunt, ad ſancta nos promovent, preces noſtras ac gemitus ante Dei conſpectum deferunt, ejusque erga nos munerum gratiam fideliſſimi referunt; nos non minùs, quàm ſe ipſi pio amore complectuntur, noſtram diſcupiunt ſalutem, & ut eam conſequamur, nihil non agunt; de noſtrorum ſalvatione exultant, noſtráque reſipiſcentiâ verè delectantur: &, econtra, ob noſtra crimina valdè, ſi poſſent, triſtari videntur: ſciunt enim ipſi, ad ipſorum quodammodo pertinere felicitatem, ut nos in locum veſtrorum dæmonum deficientem, qui è cœlo in locum tenebrarum dejecti eſtis, ſuccedamus. Vos verò, vos totius invidiæ ac livoris fontes, quòd JEſus DEI Filius noſtram mortalitatem, non veſtram naturam aſſumpſerit, ſummoperè doletis; quòd, ad noſtra reparanda crimina, ſacramentalia inſtituerit remedia, vos ipſos diſcerpitis; quòd in nobis quotidie operetur ſalutis beneficia, cruciamini; quòd ſua benignitate noſtram operatus ſit redemptionem; quòd nos ipſos vocaverit, juſtificaverit, glorificaverit, ultrà quàm dici poteſt, deſperamini; quòd tandem nos, Dei gratiâ, per ſanguinem Filii ejus nobis meritâ, glorificaturus ſit, æterno mœrore torquemini.

Exorcizo vos, inobedientes ſpiritus ✝ per Angelorum ſublimium promptitudinem, atque alacritatem in DEI exequenda miniſteria ad hominum ſalutem pertinentia; nec non ad divina myſteria hominibus propalanda; ut viſum eſt in Abrahamo, in Lotho, in Jacobo, in Gedeone, in Sam-

Samſone, in Davide, in Elia, Eliſæo, Esdra, Iſaia, Tobia, Sidrach, & ſociis, Daniele, Zacharia, Machabæo, Joſepho, Mariæ ſponſo, Mariáque Deípara Virgine, in paſtoribus, in Chriſto, Magdalena, Apoſtolis, cæteríſque ſanctis viris. Cùm vos ſceleſtiſſimi, DEO, ac Sacerdotibus, qui Angelorum perſonam DEI gratia, induunt, & ejus nomine vos exorcizant, vobis imperant, obedire reluctamini: nec præſto eſtis, niſi ad mendacia, furta, rapinas, odia, rixas, contentiones, vanitates, ſacrilegia, blasphemias, execrationes, deſperationes, homicidia, pertinacias, infamias, ſpurcitias, libidines, ſtultitias, opprobria, crimina, maleficia, & ad omnium ſcelerum genera nefandiſſima.

Conjuro vos malos genios † per DEI cœleſtium miniſtrorum humilitatem: cùm tam ſublimis eorum natura, ut hominibus inſerviret, è cœlo deſcendere, urbem contemptiſſimam ingredi, paſtoribus gratulari, ac ſimilia facere non erubuit: cùm tamen non propter ipſos, ſed propter nos homines natum fuiſſe Dominum, ac Redemptorem, certò ſcirent, nec eorum obeſſe celſitudini loci vilitatem dubitârunt. Etenim ipſi nunc quidem ruri, nunc inter privatos domorum parietes, nunc in templo, nunc in hortis, nunc in accenſa fornace, nunc in carceribus, nunc in mortuorum ſepulchris, nunc in locis deſertis apparere dignati ſunt, nullâ perſonarum diſcriminis habitâ ratione: equidem Judæis, gentilibus, Chriſtianam profitentibus fidem, mulieribus, viris ſanctis, barbaris, nobilibus, ignobilibus,

 omni-

omniúmque generum hominibus ſeſe ſpectandos exhibuerunt: imò aliquando ab homine adorari reſpuerunt. O excelſorum ſpirituum manſuetudinem! O verè fortunatiſſimos nos, quibus Angeli ſublimes, excelſi, cœlites, Deique miniſtri humiliter inſerviunt, gratulantur! & ô infeliciſſimam veſtrorum ſpirituum damnatorum turbam! quæ ſempiternis caliginum detenta involucris, ad lucem venire nuſquam poteſt; ſed nemorum, ſylvarumque horribilia antra, foveas, cloacas, terraque infernorum latibula quærens, in tenebris ſemper latitat malignorúmque humorum fœtoribus inhæret; ut vos ipſi hoc corpus occupantes, liquidò oſtenditis. Et ſi quando ad vetularum, ſagarum, magorumque veſtrorum nutus apparere coacti eſtis, monſtruoſas, teterrimasque irrationabilium animantium formas, larvas, ſpectráque horribilia frequenter induitis.

Adjuro vos peſſimos inferni ſpiritus ✠ per felicium Angelorum contra dæmones Eccleſiæ oppugnatores certamen: dum vos quotidie humano generi inſidiantes repellunt, & conſtantiſſimè mala perpetrare impediunt: imò, ut in terreſtri paradiſo, flammeo munitum enſe Cherubim miſſum fuiſſe credimus; ſic etiam in foribus militantis Chriſti Eccleſiæ fidiſſima Angelorum cuſtodia veluti animato muro, à DEO deſtinari certum eſt; dicente Propheta: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Idcircò vos malitiæ fontes, quoties ſub hæreticorum perſonam in eam ingredi tentaviſtis, toties procul expulſi fuiſtis, toties maximo cum dedecore confuſi, terga vertiſtis,

toties

toties æternæ morti damnati fuiſtis, atque in tartarorum barathrum conſepulti eſtis.

Exorcizo vos, obſtinatiſſimos ſpiritus † per candidatorum Angelorum pulchritudinem, atque decorum, omnem tranſcendentem mentis configurationem, & verè veſtrorum oppoſitam turpitudini. O infernorum horribilia monſtra, ad quorum aſpectum mors inſpectoribus ſequitur ſempiterna.

Conjuro vos ſpiritus peſtiferos † per ſummorum DEI nunciorum numerum omnem excedentem materialium numerorum commenſurationem; de quibus dicitur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei*: & iterum per Job ſcriptum ſcitis: *Non eſt numerus militum ejus.* Et cujus militia vos inſenſati, vos ignavi, vos deſertores ſpiritus, perpetuò ejecti eſtis, gratiarum cingulo privati &c.

Exorcizo vos abjectiſſimos ſpiritus † per ſupernarum mentium ordinem, & pacem in cœleſtibus, ut legitur: *Qui facit concordiam ſublimibus ſuis*, cùm vice verſa, nullus inter vos ſervetur ordo, ſed ſemper infernus veſter diſcordias, odia, rixas, horroréſque foveat ſempiternos.

Conjuro vos, beſtiales ſpiritus † per Angelicarum poteſtatum præſidentias regnis, provinciis, Eccleſiis, cunctiſque rerum generibus, peculiariter à DEO deſtinatis ob eorum præſidium, atque tutamen contra veſtrorum iniquorum inſidias; atque inviſibilia dæmonum certamina.

Digitized by Google

Exorcizo vos, ſpiritus confuſionis † per Angelos, DEI vindices, quos in Apocalypſis revelationibus enarratos, ac deſcriptos eſſe jam ſcitis; dum ſanctus DEI Spiritus ad veſtrorum excidium ac perpetuum beſtiæ illius interitum, quæ ſatanam ducem veſtrum in Antichriſti perſona deſignat, monſtrare intendit.

Adjuro vos, ſpiritus deformitatis † per cœlites DEI miniſtros, veſtrorum dæmonum contradictores ſapientiſſimos, debellatores fortiſſimos, victores glorioſiſſimos, fugatores inclytos in bello humanæ mortis, cùm rationalis anima, DEI gratiâ, per pœnitentiæ lavacrum ſanctificata, atque mundata, naturali receſſu in conſpectu Altiſſimi præſentari neceſſe eſt, atque in ſinum Abrahæ per Angelorum manus transportari.

Impero vobis nequiſſimis ſpiritibus † meis obedire juſſionibus, per ſanctas cœlorum Virtutes, quæ DEI ſui gloriam in ſublimi contemplantes, DEI Filium ſub Euchariſtiæ Sacramento in terris piiſſimè venerantur, ac ſacrificiorum ſolemnitatibus & laudibus jugiter aſſiſtunt: à quibus & vos venefici, vos canes, vos infernorum fœtidiſſimi ſues, teſte Apoſtolo, arceri jubemini.

Exorcizo vos, ſpiritus nigerrimi † per invictiſſimos illos, ac cœleſtes Spiritus, quos ſacra Scriptura, tùm in veteri, tùm novo teſtamento commemorat: quos Dei magnalia in terris perficere aſpexiſtis; qui tandem coram Altiſſimi Majeſtate inceſſanter aſſiſtere dicuntur: è quorum felici conſortio vos infeliciſſimi, vos miſerrimi longè ſecluſi eſtis.

Con-

Digitized by Google

Conjuro vos contumaces larvas † per cuncta cœleſtium myſteriorum arcana, per Angelorum miniſterium hominibus propalata, ac fidelium Eccleſiæ divinitùs oſtenſa; quæ longè veſtram, excedunt, impii, capacitatem.

Conſtringo vos, infidiſſimi ſpiritus, ad miteſcendum † per Angelorum ſanctorum zelum erga DEI gloriam & honorem; ſemper malo culpæ contradicendo, quod ex adverſo ipſorum oppugnare vident Creatori.

Exorcizo vos, obſtinatiſſimos ſpiritus † per Angelorum ſublimium erga ſanctos viros, & præcipuè erga Deiparam Virginem, ipſorúmque Reginam & Dominam indefeſſum obſequium: ad æternam veſtrorum confuſionem, quos ſub ejusdem conculcatos pedibus tenens, veſtra capita, veſtræque elationis cornua quotidie conterere ipſa non deſinit.

Conjuro vos reprobos ſpiritus † per cuncta Angelorum, atque Archangelorum, tùm in cœlis, tùm in terra, tùm in abyſſo, ad noſtrorum hominum ſalutem, DEI gloriam, veſtrorumque dæmonum damnationem, enunciata myſteria.

Exorcizo vos, ſpiritus contemptibiles † per excelſorum ſpirituum juvamen, atque ſolamen, quod piis fidelium animabus, in purgatorii loco degentibus, usque dum in cœlorum ipſæ evocentur ſedes, deſuper afferre, ſolent: adversùs quas vos invidi, vos livore pleniſſimi, nullam penitus partem habere cruciamini.

Conſtringo vos tandem tabificos ſpiritus † per

Digitized by Google

Angelorum tubas, & voces, in extremo judicio ſonaturas, & fortiter clamaturas: *Surgite, ſurgite mortui, venite ad judicium:* quando etiam vos impii, non ſurgentes nobiſcum in judicium, nec vos obſtinati peccatores in juſtorum concilio apparentes, ut juſtificemini, ſed ut debitum pœnarum veſtrarum reportetis complementum, contra vos ipſos tùm ab Angelis, tùm ab hominibus ſupremo Judice latam audituri eſtis ſententiam; cùm ſcriptum ſit ab Apoſtolo: *An neſcitis, quòd etiam Angelos judicabimus?* tunc etiam hanc ipſam DEI creaturam, quam in hac vita vos gratias cruciare nitimini, contra vos ipſos, ad DEI ſui mandatum, dirum audietis ferre æternæ mortis decretum: &, quam modò maleficiorum veſtrorum vinculis alligatam tenetis, ſempiternis poſtmodum compedibus, igneiſque catenis vos ipſa liberè in inferni barathrum vinctos, ac damnatos recludet. Ut & ego DEI miniſter, præfatâ auctoritate mihi conceſſâ, in nomine ac virtute præcelſæ illius, ac Trinæ Majeſtatis, quam tremunt Angeli, atque Archangeli, vos damnatiſſimos iterùm atque iterum condemno; vos ingratiſſimos æternis cruciatibus deſtino, ultra quos ferre non valebitis. DEUS Meſſias vos in abyſſum mittat † DEUS Eloym vos maledicat † DEUS Athanatos vos cruciet † DEUS Jehova vos conculcet † DEUS Tetragrammaton vos æternis comburat incendiis † DEUS Angelorum † DEUS Archangelorum † DEUS Thronorum † DEUS Dominationum † DEUS Poteſtatum † DEUS Virtutum † DEUS Principatuum † DEUS Cherubim †

DEUS

DEUS Seraphim ✝ vos dæmones, vos diabolos, vos damnatos, ac damnabiles tenebrarum ſpiritus absque fine diſperdat. In nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ſancti ✝ Amen.

Exorciſmus IX.

In Feſto Sanctorum omnium, & per Octavam.

Præparatio ùt ſuprà.

Exorciſmus.

SApientiam Sanctorum narremus omnes, & laudes eorum in DEI Eccleſia alacriter propalemus; quia juſtorum nomina vivent in ſæculum ſæculi: memoria autem veſtra, ô iniquiſſimi dæmones, ô peſſimi damnati, pereat cum ſonitu: quoniam JEſus Chriſtus, unicus DEI Genitus, Beatorum Pater, & caput cœlorum, Angelorúmque Dominus, de Virginis utero carnem ſumens, Sanctorum Sanctus vocari, ac ſanctitatem ſuam hominibus comunicare, æternámque gloriam, à vobis ſpiritibus immundis amiſſam, juſtis elargiri voluit; alios permittens ante ſui ortum Patriarchas, & Prophetas; alios poſt ſuum adventum creans Apoſtolos; alios poſt glorioſum in cœlos aſcenſum deſignans Martyres; alios Pontifices, alios ordinans Confeſſores atque Doctores, alióſque Virgines & continentiâ præditos; de quibus omnibus à Joanne audiſtis, turbam vidiſſe magnam, quam dinumerare nemo valeret, ex cunctis gentibus, tribubus, populis, linguis: ſtantes ante thronum, in conſpectu Agni, ami-

Digitized by Google

amictos ſtolis albis, habentes nomen DEI Tetragrammaton ſcriptum in frontibus; palmasque in eorum manibus, in ſignum victoriæ tenentes, quam de vobis inferni hoſtibus referre digni fuerunt.

Hanc igitur feliciſſimam, lucidiſſimam, inclytámque Beatorum copioſam turbam, & cœleſtium armatorum exercitum inviciſſimum, in noſtrum auxilium humiliter invocantes, ut vobis hanc DEI creaturam infeſtantibus occurrat, vos mecum conjuret ✠ vos adjuret † vos exorcizet ✠ ut virtute Omnipotentis DEI Patris ✠ DEI Filii † Deique Spiritûs ſancti † cagamini (ſive unus, ſive plures ſitis) Sacerdotis obedire voluntati, & ad mei nutum, atque præceptum, tanquam excelſi DEI miniſtri (licèt immeriti) incunctanter cedere, ut videlicet, ſi hìc ſimpliciter maneatis, illicò, absque ullius læſione creaturæ, procul, abſcedatis, & veloces fugiatis, ampliùs ad eam non reverſuri. Si verò ſub alicujus maleficii atque incantationis detentione, hìc, ſive intus, ſive de foris commoramini, per aliquod ſignum, pactum, dictum, ſcriptum, opus, & artem, quomodolibet, ſive ab homine, ſive à ſpirituali potentia compactam, initam, efformatam; ſive mediatè, ſive immediatè: per auctoritatem ſacerdotalem mihi conceſſam, & in nomine DEI Sother ✠ Sabaoth ✠ Adonay † Tetragrammaton † & per merita Sanctorum omnium, vos omnes exorcizo ✠ adjuro † cogo † nec non cunctis vobis faventibus, vos juvantibus, ac impedientibus impero † huc illa adducere: vel cuncta mala figmenta veſtra præ-

di-

dicta omninò evertere, uti & in præſentia ego ipſe, eâdem ſuperna Dei mihi tradita virtute, & in Altiſſimi nomine deſtruo † ſolvo † abſolvo † deleo † atque ad nihilum redigo †.

Si verò intrà, vel extrà hoc humanum corpus, aliqua viſibilis, vel inviſibilis adſit potentia, quæ Dei juſſis, per me injunctis, & injungendis reſiſtere audeat, opem ferendo, obſtando, aut aliter præcipiendo; ego ipſe Dei miniſter, Deíque inſtrumentum, nomine potentiſſimæ, atque individuæ Trinitatis, nec non & omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum, illam exorcizo † adjuro † debilito † deleo † ac penitùs deſtruo † in nomine & potentia ſanctiſſimæ Trinitatis.

Quòd ſi tum vos, tum ſoci veſtri ubicunque commorantes, conſuetâ veſtra, atque diabolicâ duritie, ſacerdotalibus inſtitutis, atque præceptis reluctari audeatis: iterùm ego ipſe, nomine Dei excelſi, qui mundum ex nihilo condidit, & rebelles ſpiritus jure optimo ob eorum ſuperbiam in inferni ſeptis æternaliter clauſit, condemno vos & illos ad augmentum pænarum veſtrarum infernalium accidentalium: ita ut ſingulis quibusque momentis augeantur contra vos ſemper, donec mihi, excelſi Dei miniſtro ad amuſſim obtemperetis. Verba igitur conjurationis meæ vobis ſociiſque veſtris, cujuscumque ordinis, velut ignis, ſulphur, ac ſpiritus procellarum de cœlo cadentium ſint, ad veſtrum omni-

omnium cruciatum, flagellum, ardorem, ac ſine fine tormentum.

Sanctorum igitur exercitus in cœlo gaudentium vos damnatos mihi parere cogat ✝ vos turpiſſimos, juxta præfatum meum propoſitum & ſententiam obtemperare coarctet ✝ vos coërceat ✝ vos exorcizet ✝ vos adjuret ✝ vos conjuret ✝ vos ad cedendum compellat ✝ Et ego iterum, nomine tremendiſſimæ Majeſtatis, in throno divinitatis excelſo ſedentis, vos conjuro ✝ in nomine Agni, ſtantis in cœlis, tanquam occiſi, vos flagello ✝ nomine Dei Jehova, vos debilito ✝ nomine Dei Agla, vos incendo ✝ nomine Dei Sabaoth, vos peſſundo ✝ nomine Dei Agyos, vos percutio ✝ nomine Dei Otheos, vos fugo ✝ nomine Dei Athanatos, vos jaculis confodio ✝ conjuro vos per DEUM vivum ✝ ver Deum verum ✝ per Deum ſanctum ✝ per Deum unum ✝ conjuro vos ✝ per Dei Majeſtatem, quæ ab Angelis & hominibus adoratur. Adjuro vos ✝ per Sanctum Sanctorum, qui promiſit Abrahæ, ſemen ſuum ſe aucturum ſicuti cœli ſidera, & veluti arenam maris, quæ numerari nequaquam poſſunt. Conjuro vos ✝ nigerrimas belluas, per Deum ſummum, qui poſuit animas ſervorum ſuorum lapides vivos in templo gloriæ ſuæ, vósque damnatos ſpiritus, lapides duros, & mortuos, in inferni barathrum præcipites labi juſſit. Conjuro vos infames dæmones ✝ per DEI ſapientiam, qui permiſit ſervos ſuos electos in paucis vexari, ut in multis benè diſpoſiti virtutum probationibus, illos dignos ſe inveniret; vos autem in malo pertinaces, abſque fine, & præmio, perennibus affici cruciatibus.

Con-

Conjuro vos ✝ per DEI clementiam, cujus gratia & miſericordia eſt in electos ejus tantummodo: non autem erga vos, qui in æternum omni bono privamini. Canjuro vos † per Dei pulchritudinem, qui poſuit ſpeciem cœli, gloriam ſtellarum: ſervorum videlicet ſuorum in ſupernis, Dei lumine luceſcentium in perpetuas æternitates: illo inquam lumine, ô damnati dæmones, quod vos peccantes perpetuò amiſiſtis, atque indeficientibus tenebris convoluti eſtis. Conjuro vos† ſceleſtiſſimos per Dei magnificentiam, qui laudabiles viros glorioſos, patentes noſtros, in generatione ſua effecit: opprobrium inducens ſupra vos protervos ſpiritus infernales, qui ante D. Majeſt. vos ſupplices proſternere renuiſtis, & Creatorem veſtrum, ô ingratiſſimi, reliquiſtis. Conjuro vos ſpurciſſimos dæmones† per Dei bonitatem, qui elegit juſtos ex omni carne: dealbavit eos, & veluti aurum igne probavit illos: Vos autem ſpritus tartarei regni reprobavit, flammiſque ſempiternis concremandos meritò deſtinavit. Conjuro vos execrabiles ✝ per Dei gloriam, quæ uti æthereus refulgens ſol in clypeos aureos, Sanctorum montes ſplendere fecit; ex qua exarſiſtis & vos Dei hoſtes, Deique rebelles tamquam ignis in ſpinis: quoniam magna ſunt excelſi opera in concilio juſtorum, congregationeque Sanctorum.

Hi enim ſunt, quos delegit Dominus in charitate non ficta. Hi ſunt, qui ſuum ſuper cuncta dilexere factorem, & JEſum Redemptorem, in vita ſua

ſua, ex tota anima, ex toto corde, ex tota mente, item & proximos tamquam ſe ipſos, propter Deum ardentiſſimo proſecuti ſunt amoris affectu. Hi ſunt, qui ſuum ſequuti ſunt Dominum Redemptorem in morte ſua. Hi ſunt, qui ad cœlorum venerunt culmen de tribulatione magna, laverúntque ſtolas corporum ſuorum in ſanguine Agni: Illius, inquam, Agni, quem magnus præmonſtravit Baptiſta, dicens: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Mundi crimina ſuſtulit Dei Filius JEſus, hominum videlicet, non Angelorum apoſtatarum, non ſpirituum immundorum, non veſtra, ô dæmones perverſi, qui obſtinati, atque radicati in ſceleribus veſtris permanſiſtis. Hi ſunt, qui fortiter cum JESU in tentationum, paſſionum ſuarum certamine perſeveravére. Hi ſunt, quorum ſublimia opera voces ſuas in omnem effuderunt terrarum orbem. Hi ſunt, quorum doctrinâ, uti ſolis ac lunæ ſydera, ſancta refulget Eccleſia. Hi ſunt lucernæ, ſuper ipſius Eccleſiæ candelabrum poſitæ, ut lucem irradient omnibus, qui intra DEI habitant domicilium: non autem vobis obſcuriſſimis, teterrimis, nigerrimis, qui tenebras dilexiſtis magis, quàm veram DEI lucem. Hi ſunt, qui magna excelſi opera pleno ore annunciaverunt, & facta illius valdè mirabilia intellectu firmiter perceperunt. Hi ſunt, quorum os indeſeſſe DEI ſapientiam meditabatur, & ſpernabatur mundi ſtultitiam. Hi ſunt, qui nefandorum, ac tyrannorum principum juſſa fortiter contemnentes præmia meruêre perpetua. Hi ſunt Nazarei candidi,

didi, ſplendorem DEI Eloym dantes, & adverſus tenebras veſtras jugiter concertantes. Hi ſunt, qui non eſurient, neque ſitient ampliùs, nec ſeveritatis, atque juſtitiæ ſol ſuper illos cadet, ſed nec ullus afflictionum æſtus eos tangere poterit: quibus & vos infeliciſſimi dæmones meritò ſine fine ardetis in pœnis veſtris. Hi ſunt, qui fide vincentes regna, Altiſſimi adepti ſunt cœlorum promiſſa. Hi ſunt, gentes mites, tranquillæ, hibitantéſque confidenter. Hi ſunt olivæ fructiferæ in domo Dei in excelſis. Hi ſunt, qui neque mortem, neque luctum, neque clamorem, neque dolorem guſtabunt ampliùs: quia ipſemet omnipotens omnem jam lachrymam ab eorum oculis tergere dignatus eſt. Hi ſunt, qui beaditudine pleni, in domo Domini Sabaoth perpetuò commorantur. Hi ſunt palmites, à Chriſti excelſa vite germinantes. Hi ſunt, qui ex toto corde DEUM ipſum exquiſierunt, quem & vos, beneficii immemores, deſeruiſtis. Hi ſunt paradiſi fontes, qui exemplis, atque doctrinis terram deſertam, & ſterilem irrigare non diſinunt. Hi ſunt nubes, rorem ſtillantes gratiarum à Deo deſuſer ſuper orbem: attamen in ignem, atque tonitrua contra vos peſſimos inferni cultores validiſſimè erumpentes. Hi ſunt lapides pretioſi, quibus plateæ Jeruſalem cœleſtis, atque ſublimis ſterni dicuntur. Hi ſunt ſtellæ, maximo cum ordine in cœleſtibus motum habentes: unde & vos miſeri dejecti fuiſtis poſt luciferum principem veſtrum. Hi ſunt, quorum animæ in manu excelſi repoſitæ; ideóque eas mor-

tis tormentum, ac cruciatus tangere nunquam poſſunt. Hi ſunt aurum in fornace tribulationum probatum, acceptúmque à Deo, quaſi holocauſti hoſtia in ſublime recepta. Hi ſunt, quorum capita coronâ aureâ à Domino redimita fuêre in ſignum ſanctitatis, in gloriam honoris, opúsque fortitudinis ſingulare: quæ quidem corona, ô infeliciſſimi ſpiritus, cecidit, jam, jam cecidit de capite veſtro elatione pleniſſimo: cumque ingratè contra Deum veſtrum peccâſtis, illius loco, cornua, veluti brutis animalibus, germinata ſunt vobis, in opprobrium falſæ veſtrorum arrogantiæ. Hi ſunt, quos replevit DEUS ſpiritu ſuo, & intelligentia, & ſcientia: quæ omnia vos dæmones, ictu oculi, miſerandum in modum amiſiſtis, cùm conditorem veſtrum colere renuiſtis. Hi ſunt, qui velut imbres miſerunt nobis eloquia ſapientiæ, & in oratione confeſſi ſunt Domino; quem vos impii reliquiſtis; ac per terrarum gyrum mendacia, hæreſes, falſa dogmata, peſſimasque promulgare doctrinas nequaquam deſiſtitis. Hi ſunt, qui operati ſunt, ac parvulos docuêre cœleſtia; factis videlicet, & ſermone DEUM jugiter confitentes: ideóque magni & excelſi in cœlorum regno vocati ſunt: unde vos miſeri, qui quondam eratis magni, præcipites corruiſtis. Hi ſunt, qui contra veſtrum luciferinum inſtitutum elucidaverunt DEUM: & ideò æternæ cum ipſo vitæ ſortem fuerunt adepti: quam etiam cum ipſomet principe veſtro vos miſeria miſiſtis. Hi ſunt, quorum ſemen à Deo nunquam deſertum fuit; ſicuti dereliquit

&

& ipſemet vos ingratiſſimos in æternum: ideóque corpora eorum fuerunt in pace tumulata, atque ſepulta. Hi ſunt, qui quaſi ſplendor firmamenti, & veluti ſydera in perpetuas fulgent æternitates: quorum lumen nunquam veſtris in latebris coruſcare videbitur. Hi ſunt, qui de mundi Libano advenerunt,& coronam adepti ſunt ante Regem, atque honorificè in ſedibus, ubi vos per modicum ſedebatis, collocati fuere. Hi ſunt, quorum memoria mortis eſt expers,& apud DEum & homines valdè inclyta: veſtra autem, ô dæmones recordatio cum ſonitu periit, atque ictu oculi in inferni ſedibus conſepulta fuit. Hi ſunt tandem, qui adducti fuerunt poſt regem,de veſtris triumphantes verſutiis; quoniam laquei, quos ad deceptionem illorum impiè paraſtis, contriti ſunt; ipſi verò libere remanſerunt, & cum Deo ſuo, ac Redemptore JEſu in æternum congaudere cernuntur.

In nomine igitur ejuſdem JEſu Nazareni ✝ in nomine JEſu electorum capitis ✝ in nomine ac virtute JEſu Regis Regum, & Domini Dominantium ✝ vos diabolos iterum conjuro ✝ iterum adjuro ✝ iterum eodémque pacto, conditione, forma, mente, qua ſuprà, exorcizo ✝ coarcto ✝ urgeo ✝ ut meis pareatis mandatis, jam vobis injunctis, atque injungendis. Exorcizo vos damnatos ✝ per JEſum Chriſtum, Prophetarum objectum ✝ exorcizo vos per JEſum Chriſtum Patriarcharum Principem ✝. Exorcizo vos per JEſum Chriſtum, ſum̃um Apoſtolorum Præceptorum, exorcizo vos tartareos cives ✝

Digitized by Google

per JESUM Chriſtum, Evangeliſtarum Doctorem. Exorcizo vos execrandos † per JESUM Chriſtum, Martyrum Præcurſorem, Exorcizo vos belluas † per JESUM Chriſtum, Confeſſorum Exemplar. Exorcizo vos monſtra iufernalia † per JFSUM Chriſtum, Pontificum normam. Exorcizo vos infames † per JESUM Chriſtum, Virginum ſpeculum, Exorcizo vos malignos dæmones † per JESUM Chriſtum, continentium fortitudinem. Exorcizo vos turpiſſimos † per JEſum Chriſtum Doctorum Magiſtrum. Exorcizo vos ſceleſtiſſimos † per JESUM Chriſtum coronam Sanctorum omnium. Exorcizo vos mendaciis aſſuetos † per MARIAM almam DEI Matrem. Conjuro vos tartareos † per MARIAM Virginem, Patriarcharum Reginam. Conjuro vos lupos infernales † per MARIAM Virginem, Prophetarum Dominam. Conjuro vos ſcarabæos † per MARIAM Virginem, Apoſtolorum Magiſtram. Conjuro vos abyſſi dæmones † per MARIAM Virginem, Evangeliſtarum lucem. Conjuro vos canes rabidos † per MARIAM Virginem, Marryrum ducem. Conjuro vos veneficos † per MARIAM Virginem, Confeſſorum Principem. Conjuro vos ranas fœtidiſſimas † per MARIAM Virginem, Virginum caput. Conjuro vos bubalos † per MARIAM Virginem, Sanctorum Imperatricem, ut mea cunctatione exequamini juſſa, nomine Altiſſimi vobis mandantis, præcipientis, atque validiſſimè fugam ab hoc corpore imperantis †.

Sed

Sed ulterius, exorcizo vos diabolos † per ſanctorum Angelorum choros, & præcipuè per ſanctum Michaëlem, Principem cœleſtis militiæ, potentem in prælio, quique contra luciferum, vóſque pertinaces dæmones fortiſſimam fecit victoriam, ac validiſſimè cunctam veſtram infernalem depellens potentiam: ad cujus de cœlo deſcenſum concutitur mare, terraque ſimul contremiſcere dicitur.

Hic DEI Eccleſiæ præpoſitus fuit, ut pugnet cum dracone acerrimè, atque in adjutorium DEI populo veniat. Exorcizo vos perverſos diabolos † per ſanctum Gabrielem, Virginis Mariæ, Deíque ſponſalium nuncium ſingularem. Hunc veſtitum lineis vidiſſe teſtatur Daniel, & accinctum renibus auro obrizo, habentémque corpus veluti chryſolitum, ac faciem, quaſi fulgurem coruſcantem, oculi autem ejus lampadi ſimiles; aliaque membra ad modum æris candentis deſcribuntur. Exorcizo vos ingratiſſimos ſpiritus † per ſanctum Raphaelem, qui DEI potentia apprehendit, ligavítque dæmonem Ægyptium; oculorum lumen Tobiæ reddidit, eripuit filium à piſce devorante, illúmque domum incolumen duxit, atque reduxit. Exorcizo vos nequiſſimos dæmones † per ſanctos Angelos, Principes operum DEI, præſtantiſſimæ virtutis duces coram Altiſſimo. Exorcizo vos nefarios † per ſanctos Angelos, qui apparuerunt Loth, atque hoſpitio fueruut ab eo recepti. Exorcizo vos verſutiſſimas inferni vulpes † per illum Angelum, qui de cœlo clamans, vocabit Abraham † per illos etiam, quos vidiſſe narratur Jacob † per

illum, qui præcedere dicitur DEI caſtra ✝ per illum, qui ſtetit contra Balaam † per illum Angelum vos exorcizo ✝ quem vidit Gedeon: per illum, qui apparuit Annæ ſterili † per illum cœleſtem Spiritum vos adjuro, qui fuit ultor populi David illius, occidendo plebem † per illam Angelicam potentiam vos infames exorcizo † quæ loquuta eſt ad Eliam Thesbitem † per illam, quæ percuſſit de caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia † per illam, quæ piam Judith cuſtodivit in Holofernis obtruncatione ✝ per illum Angelum vos conjuro † qui deſcendit cum Azaria ac ſociis in fornacem † per illum, qui in lacum leonum deſcendit, ut Danieli aſſiſteret ✝ per illum, quem in vertice apprehendiſſe Habacuc, atque in Babylonem aſportâſſe ſcribitur. Conjuro vos dæmones pertinaces † per ſanctum Angelum vociferantem cum ſociis juxta paſtorum cauſas, & illis gaudium magnum de inclyta JESU DEI Filii Nativitate annuntiantem. Per illum, qui in ſomnis admonuit Joſeph de fuga, quam arripere illum oportebat cum puero, & MARIA ſemper Virgine, ejus conjuge, Deique Matre † Exorcizo vos per illos Angelos, qui ad JEſum DEI Genitum acceſſerunt, miniſtrantes illi poſt triumphum, quem de ſatana principe veſtro potentiſſime retulit in deſerto † per illum, qui aquæ motum in piſcina, à DEO miſſus, faciebat ✝ per illum, qui DEI Filium confortabatur in horto ad inſtantis necis agoniam, † per illum vos conjuro, qui lapidem ſepulchri magno cum terræ motu revolvit. Per illum, quem Maria Magdalena

lena ſedentem vidiſſe in albis legitur, juxta JESU tumulum. † Conjuro vos immundos dæmones † per illum Angelum qui carceris oſtia petro aperuit, ejúsque catenarum vincula ſolvit. † Per illum, qui Paulum etiam illæſum de carcere exemit † per illum, qui Philippo eſt loquutus, ut baptizare Eunuchum † per illos Angelos vos conjuro † qui ſunt præſides Eccleſiarum, & populorum fidelium † per illos qui ſtare dicuntur in circuitu throni Altiſſimi in cœleſtibus, quíque videntes faciem Patris, laudant Agni virtutem, & fortitudinem magnam. † Per illos, qui ad diverſa miniſteria à ſumo omnium conditore miſſi deſcribuntur à ſancto Joanne in Apocalypſis libro, ad denotandum DEI magnalia tum præterita, tùm præſentia, tùm futura. † Conjuro vos diabolos, per novem Angelorum choros in tres diviſos turmas, quæ Hierarchiæ nuncupantur, ut inceſſanter divinæ adſtent Majeſtati: è quorum conſortio vos miſeri, ac infelices ſejuncti ob veſtram obſtinatam ſuperbiam, confuſim cecidiſtis. Exorcizo vos perfidos † per ſanctos Angelos, hominum cuſtodiæ à Deo ſalutari noſtro benigniſſimè deſtinatos, ut nos amabiliter inſtruant, dirigant, hortentur, protegant, tueantur, avertant, conſolentur, ſanent, & tandem ad DEUM ipſum ac proximum noſtrum perfectiſſimè diligendum inflamment. Et præcipuè exorcizo vos nequiſſimos † per Angelum hujus creaturæ N. cuſtodiæ delegatum, quem contra te, vóſque omnes iniquiſſimos ſpiritus in hac ærumnarum palæſtra ſupplex invoco; nec non & Angelum meum dilectum, cujus

Digitized by Google

tutelæ ſuperna ſum pietate commiſſus, humiliter precor, ab eóque efflagito, ac devotiſſimè, quantùm in me eſt, eum veneror, ut una cum Angelis Cuſtodibus harum adſtantium creaturarum me validum, & hoc in bello potentem reddant ad vos compellendos, ad vos dejiciendos, opprimendos, atque ab hac creatura, Chriſti ſanguine redempta, procul pellendos; ita, ut numquam in ea, vel circa eam ampliùs locum obtineatis.

Conjuro vos præcipuè ✝ per Archangelos, quibus altiſſimorum miniſteriorum eſt cura; quíque ſummi nuncii dicti ſunt; ipſi namque à DEI creaturis vos diabolis expellunt, & ſublimia, atque occulta revelare aſſolent. Conjuro vos inferni colubros ✝ per virtutes cœlorum miracula perpetrantes; præſules & ſummos Eccleſiæ miniſtros edocentes, & cohortantes. Conjuro vos DEI rebelles ✝ per Angelicas poteſtates, comprimentes vos diabolos, cœlorum apoſtatas, ne veſtra virtute ac voluntate perversâ nos lædatis; & juſtos in via virtutis, atque laboris hortantes, ne fortè à bono deſiſtant jam cœpto. Conjuro vos nequiſſimos ✝ per Principatus, qui cæteros, quibus præſunt, ſpiritus, ad divinum miniſterium implendum ſumopere diſponunt; conſervant in unitate regimina; inſtruunt ſubditos majoribus exhibere reverentiam; tantummodo ad DEI honorem juſtitiam exequi. Conjuro vos perfidos ✝ per Dominationes, quæ nullis ſubjici dicuntur ſpiritibus; docent in ſpirituali certamine, ac ſervilî rejectô prælationis exercere officium;

cium; timore, Deo inceſſanter inſtruunt famulari. Conjuro vos per Thronos † in quibus ſedens Altiſſimus, ſua per eos decernis, ac deſignat occulta judicia. Conjuro vos obſtinatos † per Cherubim, divinis præ cæteris perfuſos radiis; & plenitudinem lucis, quam à proximitate cum prima veritate ſuſcipiunt, cæteris transfundunt cœlorum ſpiritibus, hominesque ad divinam ac ſummam ducunt agnitionem. Conjuro vos teterrimos † per Seraphim, qui divina ſuccenſi dilectione, eorum ardore, cæteros ad DEUM amandum accendunt. Exorcizo vos peſſimos † per beatorum prælationes ſpirituum, in quibus perpetuò absque ulla controverſia, perſeverant. Conjuro vos nigerrimos † per confirmationem ſanctorum Angelorum ex gratia † per confirmationem ipſorum ex gloria † per confirmationem eorundem ex natura. †

Exorcizo vos tandem † per omnes Angelicos Spiritus, ac ſpirituales Poteſtates, quæ ſunt cœlorum cives, Aulici DEI Omnipotentis, Paradiſi Duces; ſapientiæ, & ſcientiæ Doctores veraciſſimi contra hæreſes veſtras; hominum ad DEI imaginem effectorum amatores zelantiſſimi, ductores, patroni, ac defenſores, animarum illuminatores; Cuſtodes pervigiles, qui mala à nobis arcent, dolores leniunt, tentationibus reſiſtunt.

Exorcizo vos damnatiſſimos † per ſanctos cœlorum Spiritus, qui ſunt dæmonum deſtructores acerrimi, everſores maleficiorum, adverſatores inſtigationum peſſimarum, protectores deſtitutorum,

miſerorum, ac pauperum; calefactores tepidorum in DEI proximorumque dilectione, conſolatores afflictorum, deſperatorum refugium, oſtenſores myſteriorum DEI, cohortatores debilium, & infirmorum. Conjuro vos reptilia infernalia † per ſanctos Angelos, qui nos homines, in extremis laborantes, in creaturis fide corrroborant, ad peccatorum pœnitentiam incitant, ad lachrymas excitant, ad orationes provocant, ad cœleſtia noſtras erigunt mentes, ad ſalutis opera juvant, in paradiſum vel purgationis locum nos perducunt, ibique animas ſæpiſſime inviſere non ceſſant, donec purgatis culparum maculis, cœlorum januas ingredi DEI benignitate dignemur; ad veſtras, ô damnati dæmones deſertas ſedes replendas: ubi exultantes ſecum nos excipiunt Angeli ſancti, Angeli lucis, Angeli pacis, atque lætitiæ, mirifico gaudio geſtientes ſuper nos peccatores, jam per pœnitentiam de vobis palmam reportantes.

Tandem, ut DEI miniſter indignus, & per hoc ſupra vos per ejusdem gratiam conſtitutus, vobis impero, ut veſtram fran[illegible] duritiem, ac cedatis, non mihi, ſed Dei inſtrumento, Chriſtique famulo† conjuro vos † per piiſſimum Dei Filii præcurſorem JoannemBaptiſtam, in matris utero ſanctitate donatum, Prophetarum vaticinio prædictum, ab infidelibus honore habitum auditum à diſcipulis, ac tandem ab impiis innocenter occiſum. Impero vobis imundiſſimis † per ſanctiſſimum Joſeph Chriſti alumnum ac Deiparæ Virginis ſponſum digniſſimum. Præcipio

cipio vobis perverſis hinc fugam arripere † per ſanctum Petrum Apoſtolorum Principem, Chriſti JESU in terris Vicarium, clavicularium regni cœleſtis, de fluctibus ereptum, piſcatorem hominum effectum, à JESU magnopere dilectum, Spiritu ſancto repletum, ac pro Domino cruci affixum. Impero, vobis diabolis, ut pareatis, per ſanctum Paulum, Doctorem gentium, vas electionis effectum, prædicatorem veritatis conſtitutum, Spiritûs ſancti tubam, poſitum Apoſtolorum noviſſimum; cui, poſt multas clades, pro JESU caput fuit amputatum. Impero vobis nequiſſimis † per ſanctum Andream Apoſtolum, Petri germanum, cruci quoque affixum; per ſanctum Joannem, à Chriſto præ cæteris diſcipulis dilectum virginitatis flore redolentem, quique in cœna ſupra ejusdem Domini pectus recubuit, in quo revelata illi fuerunt arcana cœleſtia. Per ſanctos Jacobum Majorem & Minorem; per ſanctum Philippum, per ſanctum Matthæum, per ſanctum Bartholomæum, cui pro Chriſti nomine propria pellis ab impiis carnificibus fuit detracta: per ſanctum Thadæum, per ſanctum Simonem Apoſtolum. Præcipio vobis impiis ſpiritibus, ut obtemperetis, per cunctos Chriſti Diſcipulos. Præcipio vobis mendaciſſimis † per pios Evangelicæ veritatis promulgatores. Mando vobis per omnes Sanctos, Innocentes pro JESU nomine cæſos.

Præcipio vobis nefandiſſimis † per ſanctum Stephanum Martyrum Principem apidibus obrutum. Præcipio vobis † per ſanctum Laurentium, pro Chri-

Chriſti fide in craticula conſtantiſſimè combuſtum. Præcipio vobis † per ſanctum Vincentium, pro Domino excarnificatum. Præcipio vobis † per ſanctum Clementem, Ignatium, Theodorum, Vitum, Blaſium, Januarium. Præcipio vobis viliſſimis † per divas Luciam, Catharinam, Eulaliam, Agatham, Agnetem, Cæciliam, Anaſtaſiam, Barbaram, Irenem, Ireniam, Dorotheam, Teclam, Urſulam, ſuis cum ſociis. Præcipio vobis † per omnes Sanctos, & Sanctas Chriſti Martyres, celeberrimas inferni victrices.

Præcipio vobis duriſſimis † per ſanctum Sylveſtrum, Chriſti Vicarium; per ſanctum Gregorium ſummum Pontificem, & Eccleſiæ Doctorem † per ſanctum Hieronymum † Auguſtinum, Doctorem maximum, atque hæreticorum malleum. Præcipio vobis † per ſanctum Ambroſium, Hilarium, Chryſoſtomum, Nazianzenum, Taumaturgum, Niſſenum, Alexandrum, Cyrillum, Urbanum, Zenonem, Bonaventuram, Carolum. Præcipio vobis † per omnes ſanctos Pontifices, & Eccleſiæ Doctores. Præcipio vobis perverſis † per ſanctum Antonium, Hilarionem, Serapionem, Moyſem, Columbanum, Ægidium, Onufrium, Guilielmum, Paphnutium, Martinianum, Benedictum, atque Baſilium, præclariſſimos Monachorum primates. Præcipio vobis obſtinatis † per ſanctum Antonium Abbatem, & flagellum veſtrorum dæmonum valdè terribile † per ſanctum Brunonem † per ſanctum Bernardum † per ſanctum

Al-

Albertum † per ſanctum Ubaldum † per ſanctum Zenonem † per ſanctum Dominicum † per ſanctum Franciſcum, verum, Chriſti pauperem, humilem, ac ferventem JEſu amatorem † Præcipio vobis per ſanctum Thomam Aquinatem, Angelicum Doctorem † per ſanctum Bernardinum, per ſanctum Franciſcum de Paula †. Per ſanctos Ignatium, & Eranciſcum Xaverium, noviſſimos Indiarum Apoſtolos † per ſanctum Philippum Nerium, per beatum Cajetanum, Regularium Clericorum Auctorem † per beatum Andream Avellinum, inclytum Charitatis amatorem. Impero vobis per omnes Sanctos Chriſti Confeſſores † integerrimos.

Impero vobis † per ſanctam Annam † per ſanctam Mariam Magdalenam † per ſanctam Mariam Egyptiacam † Mariam Salome † Mariam Cleophe † Claram † Catharinam Senenſem † Thaidam † Euphroſinam † Theodoram † Brigittam † Thereſiam † Eliſabetham † Franciſcam † Urſulam Benincaſa † ac tandem per omnes Sanctas Dei Virgines ac Viduas, vos dæmones exorcizo † adjuro † cogo † ut omni morâ poſtpoſitâ, omni fallaciâ rejectâ, omniſque devictâ obſtinationis duritie, voci Sacerdotis, ac miniſtri Chriſti obtemperetis, atque incunctanter cedatis, fugam hinc prorſus accipientes.

Præcipiat igitur vobis mecum Verbum Caro factum † mandet vobis mecum efficaciſſimè ſanguinis Chriſti Redemptoris † mandet vobis mecum crucis myſterium † mandet vobis ſacroſancta Mater Eccleſia, mandent vobis Chriſti Sacramenta † mandet

vo-

vobis gloriæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ſupra choros ſedentis Angelorum † mandet vobis cedere turba cœleſtium Poteſtatum † mandet vobis miteſcere Patriarcharum fides † Prophetarum myſteria † Apoſtolorum Charitas † Evangeliſtarum veritas † mandet vobis ſanguis Martyrum † ſollicitudo Pontificum † vigilantia Doctorum † perſeverantia Confeſſorum † mandet vobis continentia Virginum.

Et ego, nomine, & virtute Altiſſimi, auctoritate prædicta mihi communicata, à ſancta Romana Eccleſia, atque in Chriſti ſanguine roborata; & in virtute omnium Beatorum, ac per merita eorumdem, iterum ut ſuprà, & ſub iiſdem pœnis vos diabolos conjuro † vos perfidos ſpiritus adjuro † vos infames DEI rebelles exorcizo † in virtute omnium prædictorum, ac millies acerrimè vobis inſto, ut meis pareatis mantatis † vobis viriliter impero † ut ſubjiciamini præceptis ſacerdotalibus, illicò recedendo, per Sanctorum merita, per Sanctorum coronas, per Sanctorum gloriam, per Sanctorum gaudium, per Sanctorum lumen, per Sanctorum aureolas, per Sanctorum vitam &c. vos cedere cogo † per ſanctorum animarum ſublimia. Vos compello † per Sanctorum corporum glorificatorum agilitatem, impaſſibilitatem, ſublimitatem, atque ſplendorem: vos coarcto † per cuncta Sanctorum bona ineffabilia, eis a Deo communicata, quæ nec auris audire, nec oculus videre, nec in cor hominis aſcendere poſſe compertum eſt: quibus muneribus, & privilegiis vos infelices da-

damnati in perpetuum orbati remanſiſtis. Verba igitur Prophearum vos bubalos pungant † virtutes Patriarcharum vos mecum flagellent † Labores, fides, ac prædicationes Apoſtolorum vos canes cædant † Dolores, ac patientia Martyrum vos comburant. † Perſeverantia Confeſſorum vos peſſundet † Pontificum zelus vos tartarorum mancipia condemnet † ſapientia Doctorum vos viliſſimos confundat † puritas Virginum vos ad fugam compellat † lachrymæ, ſudores, gemitus, ſingultus, atque ſuſpiria pœnitentium Anachoretarum vos confodiant † vos feriant † vos transverberent † vos æternis criciatibus torqueant: In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti † Trini, uniúsque Dei, qui eſt corona Sanctorum omnium, Amen.

Benedictio creaturæ liberatæ, cum manûs impoſitione.

BEnedictione DEI Patris Omnipotentis † qui te creavit: Benedictio Dei Verbi † qui te redemit: Benedictio Dei Spiritus † qui te ſanctificavit, deſcendat ſuper te creaturam Dei N. & maneat ſemper, Amen. † Sancta, atque individua Trinitas benedicat te † conſervet te † cuſtodiat te † protegat te † muniat te † téque glorificet † per æterna ſæculorum ſæcula, Amen.

Oremus.

BEnedictionem tuam Domine, ſervus hic fidelis accipiat, ut, per gratiam tuam à dæmonum ægritudine, corpore liberatus, & mente, congruam tibi exhibens ſervitutem propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Bene

Benedicat te igitur benedictione perpetuâ DEUS Pater æternus † benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram † Benedicat te omnipotens, & miſericors Dominus, Pater † Filius † & Spiritus ſanctus †, Benedicat te benedictione ſancta ſua, qui eſt benedictus in ſæcula. † Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te † oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui † convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. † Benedicat te Creator, ſicut benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum † Benedicat te Altiſſimus, ſicut benedixit Noë † ſicut benedixit Abraham † & ſemen ejus † ſicut benedixit Iſaac † ſicut benedixit David hominem juxta cor ejus † Benedicat te de excelſis benedictione Sanctorum, JESUS Chriſtus, qui pro te caro effectus eſt, qui pro te mori dignatus eſt, qui pro te ſepeliri voluit, qui pro te ad ima loca deſcendit, qui pro te reſurrexit, qui te poſt ſe ad cœlorum ſublimia evocat † Benedicat te illa, quæ fuit inter mulieres benedicta, quæ illibata ſemper permanens, omnium genuit Creatorem, quæ eſt Mater, & Virgo, quæ ſupra Angelorum choros ſublimiter eſt evecta † Benedicant te cœlorum Spiritus cum cœlorum Domino † Benedicant te Patriarcharum cunei † Prophetarum acies † Apoſtolorum ſenatus † Benedicant te Chriſti invicti Martyres † Benedicant te Pontificum, & Confeſſorum ſemper candida turba † Monachorum copioſus numerus † Benedicant te ſanctæ Virgines, & Viduæ † omniſque Beatorum inclyta communio, de inferno triumphans, & benedicat † & à ſpiritibus immundis,

Digitized by Google

dis, à quibus per Dei clementiam evaſiſti, perpetuò te creaturam Dei N. protegat: fortitérque defendat ✝ Amen.

Poſteà ſigno crucis creaturam muniens dicat:

SAnctiſſimum hoc crucis ſignum ✝ Domini noſtri JEſu Chriſti liberet te, creaturam Dei N. ne ampliùs ab hoſte maligno crucieris. ✝ Dominus Deus Sabaoth, fortis, & potens in prælio muniat te N. vexillo ſancto ſuo † ut videant, qui oderunt te; & confundantur. Sanguis Chriſti JEſu ✝ prævaleat contra inimicos tuos tartareos; ita ut ſi aſpexerint te N. conterriti fugiant à conſpectu tuo, & ad te ultrà accedere nequeant. JEſus Dei Filius corroboret caput tuum, ô N. ✝ ad cogitandum, quæ recta ſunt. JESUS, Mariæ Genitus, fronten tuam muniat † N. ad reſiſtendum diabolo. JESUS illuminet oculos tuos N. ✝ ne unquam obdormias in morte. JESUS cuſtodiat aures tuas N. † ut apprehendas Domini diſciplinam. JESUS corroboret nares tuas N. † ut in odorem unguentorum ſuorum curras. JEſus aperiat labia tua N. † ut os tuum annunciet laudem ſuam. JESUS manus tuas N. ✝ doceat ad prælium, & digitos tuos ad bellum contra tartareas legiones, JEſus confirmet cor tuum N. ✝ ad expugnandos diabolicos incurſus. JEſus dirigat pedes tuos N. † ut abeant in viam ſalutis, & pacis. JEſus cuſtodiat corpus tuum N. per totum ✝ ut non prævaleat contra te iterum ſatan, cum exercitibus ſuis peſſimis. JEſus conſervat animam tuam N. † ut mundam eam inveniat in die retributionis æternæ, qui cum Patre & Spiritu ſan-

Digitized by Google

ςto vivit & regnat DEUS, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Præceptum dæmonibus effugatis faciendum ante Crucem vel ſacroſanctam Eucbariſtiam.

VObis autem maledictis ſpiritibus immundis, qui potentiſſima Dei noſtri virtute ab hoc corpore fugati eſtis; vobis, inquam, ubicumque ſitis, conſtanſtiſſimè præcipio † vobis efficaciſſimè mando † vobis firmiter impero † in nomine Dei excelſi, qui vos creavit, qui vos ſuppliciis deſtinavit æternis: nomine, & virtute JEſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri † in nomine, & per merita præcelſæ Genitricis Dei Mariæ, omniumque ſanctorum Spirituum, ac Beatorum † præcipuè in virtute, & per virtutem illarum potentiarum ſublimium, quibus ſuperati, vos Dei rebelles aufugiſtis: ut, nec immediatè, nec mediatè ampliùs accedere audeatis ad vexandum, terrendum, atque hoc Dei opus N. penitùs perturbandum: ſed permaneatis in locis vobis ab Omnipotente deſtinatis, cum pœnis, ac ſuppliciis veſtris, in æternum permanſuris. Fuge igitur tu, tartareæ hujus legionis caput nefandiſſimum, cum ſociis peſſimis: fuge ab hoc pectore, ab hoc corpore; fuge verſutiſſime DEI hoſtis; à cunctis membris ipſius: fuge ab hac vita fur, ſerpens, Beelial, ſcelus, mors, hiatus, draco, bellua, nox, inſidiæ, rabies, chaos, invide, homicida, qui primis etiam generis noſtri auctoribus perniciem invexiſti; in mentem videlicet ipſis immittens, ut vitium, ac mortem deguſtarent, Chri-

ſtus

ſtus te, cum aſſeclis tuis nequiſſimis, vel in mare, vel in ſcopulos, vel denique in porcorum gregem, quemadmodum illam dæmonum legionem, fugam corripere jubeat, absque nullius læſione: proinde liget te, & vos omnes nequiſſimos Deus Jehova † coërceat vos Deus Sabaoth † confundat vos Deus Adonay † comprimat vos Deus Sother † conculcet vos Deus fortis † compellat vos Deus Tetragrammaton † maledicat vos Chriſtus JEſus † imò & ſancta atque indiviſa Trinitatis † Trina, atque indiviſa Dei Unitas † Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † Amen.

Exorciſmus X.

Contrâ omnia maleficia.

Adſit vas aquæ benedictæ, panis, & vinum benedicendum, crux & candela ardens in Altari, aut ſuper menſam linteo ſtratam, quibus paratis ſuperpelliceo, aut ſaltem ſtolâ violaceâ indutus, coram cruce genuflexus dicat Litanias de omnibus Sanctis.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus. Miſerere nobis. (ei)
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis (eo, ea)
Sancta Dei Genitrix.
Sancta Virgo Virginum.
Omnes ſancti Angeli & Arcangeli. Orate.

Omnes ſancti Throni & Dominationes.
Omnes ſancti Principatus, & poteſtates.
Omnes ſanctæ Virtutes cœlorum.
Omnes ſancti Cherubim & Seraphim.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Omnes ſancti Martyres & Confeſſores.
Omnes ſancti Pontifices & Doctores.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ.
Omnes ſanctæ Conjugatæ, & Pœnitentes.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei.
Propitius eſto, Parce nobis (ei) Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos (eum) Domine.
Ab ira tua, & morbo malo.
Ab inſidiis diaboli.
A vexatione dæmonum.
A poteſtate inimicorum.
A malitia impiorum.
A veneficio malignantium.
Ab omnibus periculis.
A gravibus doloribus.
A ſubitanea morte.
Per virtutem divinitatis tuæ.
Per potentiam humanitatis tuæ.
Per ſacra miracula tua.
Per poteſtatem ſuper omnia dæmonia.
Per Majeſtatem gloriæ tuæ.
Per multitudinem miſerationum tuarum,
Per tremorem ſacri Nominis tui,

Per

Digitized by Google

Per efficaciam ſacræ Crucis tuæ.
Per effuſionem ſacri ſanguinis tui.
Per dolorem vulnerum tuorum.
Per amaritudinem mortis tuæ.
Per glorioſam reſurrectionem tuam.
Per mirabilem aſcenſionem tuam.
Per merita beatæ Virginis & Matris tuæ,
Per interceſſionem Sanctorum tuorum.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas.
Ut ei indulgeas.
Ut eum liberes.
Ut eum corpore & anima ſanare digneris.
Ut eum à doloribus eripere digneris.
Ut eum à poteſtate malignantium liberare digneris.
Ut eum à malitia dæmonum defendere digneris.
Ut eum à nocivis tentationibus præſervare digneris.
Ut eum priſtinæ ſanitati reſtituere digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili Dei.
Agnus Dei &c.
℣. Salvum fac ſervum tuum (ancillam tuam)
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere ei.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

CLementiſſime DEUS, qui ſecundùm multitudinem ſapientiæ, & miſericordiæ tuæ; quos diligis, caſtigas, & flagellas omnem filium, quem recipis: te ſuppliciter exoramus, ut huic famulo tuo N. qui membrorum debilitatem, & dolorem patitur, gratiam conferre digneris: ut quidquid ab eo humana fragilitate peccatum eſt, ignoſcere, & quidquid diabolica pravitate corruptum eſt, purgare, reſtituere, & ſanare digneris: nocumento omni ac dolore ſublato cunctiſque malignorum ſpirituum peſtiferis machinamentis procul depulſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Fili DEI vivi, qui dediſti Apoſtolis & fidelibus tuis poteſtatem ſuper omnia dæmonia; & ut languores curarent: te ſuppliciter exoramus, ut per merita & interceſſionem beatiſſimæ Matris tuæ, omniúmque Sanctorum tuorum, quæ nos unà cum hoc famulo tuo devotè imploramus, eundem ab omni poteſtate ſatanæ & miniſtrorum ejus potenter eripere, atque ab omni ægritudine mentis & corporis clementer liberare digneris.

Ne deſpicias, quæſo Redemptor meus, me indigniſſimum Sacerdotem, miniſtrum tuum, te humiliter adorantem & devotè invocantem, ſed ſicut tradidiſti mihi poteſtatem quotidie offerendi DEO Patri immaculatam Hoſtiam ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis tui, ita nunc tribue mihi

mihi poteſtatem contra nefarium inimicum, & reple impoſitionem manuum mearum omni benedictione cœleſti. Qui vivis &c.

Sacerdos ſuper infirmum dicit:

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum.

Initium S. Evangelii ſecundùm Joannnem.

Sacerdos ſignet infirmum in fronte, ore, pectore.

In principio erat verbum &c.

℟. Laus tibi, Chriſte.

Det illi librum oſculandum dicens:

Per Evangelica dicta extinguantur in te diabolica facta.

Exorciſmus.

ADjuro vos dæmones infernales, & ſpiritus malignos, qui perniciosum malum huic creaturæ DEI fabricâſtis, & conſervatis maleficium in ea. Vos, inquam, adjuro, per DEUM Pa†trem omnipotentem, qui creavit cœlum & terram. Adjuro vos per Filium ejus unigenitum Dominum noſtrum JEſum † Chriſtum. Adjuro vos per Spiritum † ſanctum Paraclitum, ab utroque procedentem, & præcipio vobis, ut omnibus incantationibus, ſignaturis, & ligaturis veſtris ſublatis ab hac creatura DEI, & omnibus rebus ejus recedatis: atque ab omni maleficio, incantatione, & ligatura liberam relinquatis. Conjuro vos, & præcipio vobis per ſacratiſſimum, tremendum & glorificandum nomen JESU (*ſcribat illud pollice in fronte ejus*) quod fronti ejus inſcribimus: & per ſignum ſanctæ crucis (*faciat crucem in fronte ejus*) quod fronti ejus damus: &

 per

Digitized by Google

per triumphalem titulum in cruce ejus ſcriptum (*ſcribat* J.N.R.J. *in fronte ejus*) JESUS Nazarenus Rex Judæorum, quem in terrorem veſtrum fronti ejus imprimimus, ut ceſſetis hanc creaturam DEI lædere, & veſtris maleficiis vexare.

Adjuro vos per eum, qui eſt Alpha & Omega, Principium & finis: qui omnia ex nihilo creavit, & omnipotente virtute ſua conſervat. Adjuro vos per eum, ante cujus faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos ſuos. Adjuro vos per potentiam illius, qui vos rebelles à conſortio ſanctorum Angelorum excluſit, & ad ſedes tartareas igne & ſulphure cruciandos damnavit. Vobis, inquam, præcipio, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ut protinus deſtruatis, & ad nihilum redigatis omnia maleficia, philtra, incantationes, ligaturas, ſignaturas, omnésque veſtras noxias pactiones, quibus hanc creaturam DEI infeſtare, affligere, & moleſtare præſumpſiſtis: eámque liberam & ſanam, & ſine ulla læſione animæ & corporis impoſterum permittatis: ut mente & corpore pariter expedita liberam ſervitutem ſuo exhibeat creatori, qui vivit & regnat &c,

Aſpergat eum aquâ benedictâ.

ITerum adjuro vos, dæmones maligni, per Deum omnipotentem ✠ qui diviſit lucem à tenebris, ut ſine mora amoveatis omnia nocumenta ab hac creatura DEI, & ipſam ſine læſione relinquatis. Adjuro vos per glorioſum nomen Domini noſtri JESU Chriſti, qui æternaliter à Patre generatur; ut protinus recedatis, & non amplius appropinquetis

crea-

Digitized by Google

creaturæ DEI, ad ei inferenda aliqua maleficia. Adjuro vos per virtutem Spiritûs ✝ ſancti paracliti, qui in flamma ignis ſuper Apoſtolos deſcendit, ut ſi quid ad deſtructionem hujus creaturæ in ſignum poſitum ſit, illud ſtatim amoveatis, & ad loca arida, & inhabitabilia deportetis. Præcipio etiam vobis ex parte DEI, ut nullam deinceps uſurpetis audaciam obſequendi maleficis hominibus ad nocendum huic creaturæ: & omnia, quæ poſuiſtis ad lædendum valetudini ejus, protinus deſtruatis. Et ſicut per beatos Apoſtolos Petrum & Paulum ad nihilum redactæ ſunt incantationes factæ per Simonem magum: in authoritate DEI omnipotentis diſſolvantur omnes ſortilegæ artes, præſtigia, & philtra huic creaturæ DEI fabricata. Demum adjuro vos per virtutem cru✝cis Domini noſtri JESU Chriſti, qui deſcendens ad inferos, devictâ potentiâ veſtrâ animas ſanctorum Patrum inde extraxit, ut remoto dolo & omni obſtinatione deſtruatis, ſeu tollatis omnem malignam faſcinationem ab hoc famulo DEI: omniaque nociva corpori ejus ingeſta educatis per illam viam, quæ ſit magis expedita absque læſione corporis, & ſanitatis ejus. In Virtute Domini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare, & vos in barathrum abyſſi dejicere, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Poſteà accipens crucem, dicens:

Ecce ſignum ſanctiſſimæ crucis, fugite partes adverſæ, vicit enim vos Dominus noſter JESUS

Digitized by Google

Chriſtus Filius DEI, Imperator ſummus, Leo de tribu Juda, radix David.

Adjuro vos igitur dæmones infernales, cujuscunque generis, præſentes, & abſentes, vocatos, & invocatos. Per eum vos adjuro, qui in Iſaac eſt immolatus, in Joſeph venundatus, in agno occiſus & in homine crucifixus: ut ſemota diabolica fraude veſtra quantocius recedatis, nec ullatenus creaturam iſtam moleſtare valeatis, nec in corpore, nec extra corpus, nec per viſionem, nec per terrorem: neque de die, neque de nocte; nec dormiendo, nec vigilando: nec comedendo, nec bibendo: nec aliquod ſpirituale, aut naturale opus faciendo. Aliàs vobis infundo omnes maledictiones & pœnas tormentorum, atque detruſionem in ſtagnum ignis & ſulphuris, per manus inimicorum veſtrorum: ſanctiſſima Trinitate jubente, Michaële Archangelo exequente.

Nam ſi tenemini aliquo vinculo præcepti innodationis, ſuffumigii, artis, aut facturæ ad quemcunque perverſum finem, & effectum compilato & fabricato: ſive in verbis, herbis, lapidibus, aut elementaribus: aut in nominibus magni DEI, aut Angelorum: ſive in horis, diebus, menſibus, aut annis ſuperſtitioſè obſervatis, cum pacto expreſſo aut tacito, etiam juramento firmato: omnia illa irri†to, an†nullo, & deſtru†o, per omnipotentiam † Patris, per ſapientiam † Filii, per bonitatem † Spiritûs ſancti. Per eum, qui † eſt, qui † erat, & qui † venturus eſt; Omnipotens, Hagios, Otheos, Iſchyros, Athanatos, Tetragrammaton, Jehova, Alpha & Omega.

Re-

Digitized by Google

Recedite igitur maledicti diaboli cum omnibus maleficiis veſtris. Et ſicut fumus jecoris piſcis combuſti dictante Raphaële ſpiritum à Sara fugavit; ita exorciſmi, adjurationes, & benedictiones iſtæ expellant vos, ut non audeatis ultrà accedere ad creaturam iſtam inſignitam (*faciat crucem in fronte ejus*) ſigno ſanctæ ✝ crucis. Quia mandatum meum non eſt meum, ſed ejus, qui miſſus eſt à ſinu Patris, ut opera veſtra deſtrueret: nobíſque dedit poteſtatem ad gloriam ſuam & utilitatem fidelium vobis imperandi, prout imperamus & præcipimus, ut non audeatis ultra accedere, in nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritûs ſancti ✝ Amen.

Aſpergat aquâ benedictâ, & poſteà ponens extremitatem ſtolæ, & manum dextram ſuper caput ejus, dicat:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. JEſus Mariæ Filius, mundi ſalus, & Dominus, meritis omnium Sanctorum ſuorum ſit tibi clemens, & propitius, Amen.

Benedictionem olei miræ virtutis, panis, vini, &c. pro infirmis, & maleficio affectis vide ſuprà cap. 4.

XI.

De diſpoſitionibus, quæ requiriuntur in maleficiato, ut liberetur à maleficio.

Illæ diſpoſitiones, quæ requiruntur in exorciſta, ut efficacem reddat ſuam poteſtatem, requiruntur in maleficiato magis, quàm in quolibet alio: nos verò, ut rem aliquo pacto ordinemus, eam in quatuor partes diſtinguemus.

Ex-

Exponemus, quomodo maleficiatus diſponi debeat in iis, quæ ſpectant primò ad Deum, ſecundò ad Exorciſtam, tertiò ad dæmonem, quartò ad ſeipſum.

EX iis, quæ ſpectant ad DEUM, fides, & fiducia neceſſaria multò magis eſt maleficiato, quàm ipſimet Exorciſtæ; quam ob rem, cùm Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis, eorum incredulilatem fuiſſe cauſam, cur non potuerint ejicere dæmonem à puero illo lunatico: propter incredulitatem veſtram, ut antè obſervatum fuit; multò acriùs increpuit poſteà parentem ejusdem pueri, & qui eum comitabantur, appellans eos generationem incredulam, & perverſam, ac tædio affectus cum illis verſandi, eósque diutiùs tolerandi ait: generatio incredula, & perverſa, quousque ero vobiſcum, uſquequò patiar vos. Interea debet maleficiatus attente conſiderare, DEUM eſſe ſummè potentem, ut expellat repente mille legiones dæmonum, etiamſi à totidem vexaretur, absque minima eorum reſiſtentia; & eſſe infinitè ſapientem, ut cognoſcat omnes fraudes & actus, quibus celare ſe vellent illi hoſtes infernales; & eſſe infinitè bonum, ut res à ſe creatas eruat à quolibet malo; & eſſe ſummè fidelem, ut ſtet promiſſis; quare cùm fidem ſuam obſtrinxerit, affirmans ad expellendos ſpiritus rebelles ab obſeſſis corporibus ſe opem ſuam præbiturum iis præceptis, quæ à ſuis miniſtris in ſuo nomine proferrentur: in nomine meo dæmonia ejicientur: dedi vobis poteſtatem ſuper omnia dæmonia: dubitari non poteſt, quin hæc promiſſa ſit impleturus. Ab hac conſideratione orietur

rietur illa fiducia, quam etiam ſuperiùs diximus ſignificari nomine fidei, & eſt quædam robuſta ſpes auxilii divini orta in voluntate ab actibus repetitis ejusdem fidei, per quam anima pro certo habet, DEUM non ſolùm poſſe ob ſuam omnipotentiam, ſed etiam velle ob ſuam bonitatem, & fidelitatem concedere, quidquid expediet ſaluti noſtræ. Tandem hæc ipſa diſpoſitio fidei & fiduciæ ſemper augeſcet, ſi maleficiatus confugiat ad implorandum precibus divinum auxilium, magìs enim, magíſque in dies confidet, DEUM adfuturum auxilio ſupplicantis, & impugnaturum tartareos illos hoſtes, qui odio habent, & blaſphemant creatorem ſuum, & incitati hoc odio ad res creatas lædendas ſeſe convertunt.

Hæc autem diſpoſitio fidei, & fiduciæ debet ſecundo loco à maleficiato extendi erga Exorciſtam: illum eſſe miniſtrum DEI & ejus actiones præcipuè tribuendas DEO, in cujus nomine ille agit, & imperat: quare dæmones cogentur illi obedire; ſi enim non obedirent miniſtris DEI, non obedirent ipſi DEO. Proinde ſicuti DEUS certò concurrit cum Sacerdote abſolvente pœnitentem, cùm hic eſt ſufficienter diſpoſitus; ita pariter certò concurrit ad liberationem maleficii, quotiescunque nulla deſit ex debitis diſpoſitionibus; neque verò, ſi quando contingat, ut præcepta Exorciſtæ ſuo careant affectu, debilitari propterea debet fides, vel fiducia in Exorciſta, aut in maleficiato, imò debet potiùs augeri; ſiquidem quòd dæmones, vel illi parere cunctentur,

ctentur, vel parati ſint, vel, omnino detrectent hanc obedientiam, prorſus oritur à majori, vel minori eorum diſpoſitione. Quòd autem non ſemper fiat, ut invocato nomine JESU dæmon egrediatur, minima fides ipſius invocantis eſt in cauſa, nam ſi perfectè credidiſſet, hæc & majora feciſſet. Ita affirmat Alphonſus de Caſtro magni nominis Author, & probat adnotando promiſſionem illam: in nomine meo dæmonia ejicient, pertinere ad perfectam fidem juxta antecedentium verborum ſenſum: ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo &c. & ad hos ſolos in fide perfectos DEI promiſſio pertinere videtur. Eodem modo ſanctus Cyprianus, adjurati dæmones, ait, vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis advocat.

Præterea erga Exorciſtam perfecta intellectûs, & voluntatis, & executionis obedientia neceſſaria eſt. Et ita agnoſcendo eum, ut miniſtrum DEI, & omnia illius juſſa diligentiſſimè exequendo, voluntatem ſuam ad Exorciſtæ voluntatem accommodare debet maleficiatus, expoliando ſe, ut ita dicam, omni propria voluntate, ut majora adimat dæmoni arma, quibus nos oppugnat, nempe noſtram inordinatam voluntatem; proinde etiam ipſe maleficiatus confirmet integrè præceptum quodlibet, quo Exorciſta imperet dæmoni; nec quolibet interno animi motu averti ſe ſinat ab eo, quod DEI miniſter proponit, vel imperat, imò expedit etiam, hos ipſos animi motus apertè manifeſtare, ut

dæmon

Digitized by Google

dæmon majori probro afficiatur, ejúsque machinamenta ad nihilum redigi poſſint.

Tertio loco extendet maleficiatus hanc ſuam fidem erga vires dæmonis, ſibi in animum inducens, etſi malignus ille naturaliter tanta poleat vi, nihilominus propter peccatum ipſius; à JEſu Chriſti pœnis, & morte imminutam eſſe hanc illius poteſtatem, ita ut exerceri non poſſit juxta furorem & rabiem dæmonis, ſed ſolùm juxta divinæ providentiæ permiſſionem, ad divinam gloriam, & ad rerum creatarum bonum, & commodum, ut antè dictum eſt.

Poſtremò de ipſo credere debet maleficiatus, malum ſuum à vexatione diabolica oriri, quando id illi affirmatum fuerit ab Exorciſta, alioquin ſi infirmitatem ſuam à cauſis naturalibus partem putare velit, illos fidei & fiduciæ actus producere non poterit, qui requiruntur, ut vidimus, tanquam diſpoſitio ad efficaciam præceptorum, quæ ab Exorciſta contra dæmonem, ſed potiùs unà cum dæmone contra illum proferuntur. Et quoniam plerumque evenit, facultatem aliquem vexandi factum diabolo eſſe in pœnam alicujus criminis; maleficiatus diligenti confeſſione & repetitis contritionis actibus non ſolùm omnem culpam gravem, ſed peccatorum reliquias deſtruere omni ſtudio curare debet. Refert Joannes Diaconus in vita ſancti Gregorii, tres à dæmone agitatos, qui ſimul ac S. Pontifici crimina ſua confeſſi fuerunt, protinus liberatos fuiſſe; cùm verò unus ex illis octies negâſſet furtum à ſe factum, ait idem Author, octies ab agitatione dia-

diabolica vexatum fuiſſe, donec patefacto crimine, redditáque re per furtum ſublata dæmon receſſit. Quòd ſi curandum eſt, ut veteres culpæ deleantur, multò magìs cavendum, ne novæ admittantur: quare maleficiatus non ſinat ſe à dæmone decipi, credens maleficium, ab hoc, vel illo homine ſibi factum fuiſſet. Primò, quia non ſolùm facile eſt in hoc decipi, imò etiam in re tanti ponderis, & quæ ſecum trahit tantum dedecus & infamiam, facile eſt temerè judicare, deinde, quia facile eſt odii, vindictæ actus concipere; tandem, quia, quicunque fuerit maleficus, ſi maleficiatus fidem & fiduciam ante explicatam habuerit, & Exorciſtæ mandatis perfectè obedierit, omne maleficii ligamen ſtatim ſolvetur, atque omnis diabolica vexatio ceſſabit.

XII.

Methodus diſponendi maleficiatum ad liberationem.

IN hac ſecunda parte magìs quàm in qualibet alia laborandum eſt Exorciſtæ, ut finem ſibi propoſitum obtineat liberandi maleficiatum: excitanda proinde eſt in illo fides, & fiducia in duplici via, nempe tum cognitione vivida cauſarum, unde diximus oriri fidem & fiduciam hujuſmodi; tum experientiâ. Revocet itaque in memoriam exorciſta munus miniſtri Dei, quod obit, certámque credat promiſſionem illam, quâ Deus ſe potiſſimè auxiliaturum ſpopondit præceptis in ſuo nomine factis, & memor ſit poteſtatis ſibi communicatæ in Sacramento Ordinis; & ita pro certo habeat dæmones

reſiſtere

e non eſſe, quando neque ex parte Exorciſtæ, ue ex parte maleficiati fides deſit; eodem modo agnam in maleficiato fiduciam excitare curet, qua ille certò credat adfuturum ſibi auxilium divinum. Memorare itaque poterit, quanto amore Deus proſequatur res à ſe creatas, quàm facile ſit illi eas adjuvare, quomodo promiſerit à ſe id præſtitum iri oportuno tempore; quomodo dum in terris degerit adhuc mortalis, nullum unquam rejecerit, qui ad illum confugerit imploraturus auxilium, præſertim contra dæmones. Hæc eadem diſpoſitio fidei & fiduciæ augenda eſt in maleficiato per experientiam hoc modo: Imperetur, ut dictum eſt, dæmoni, ut aliqua ex vexationibus aliàs conſuetis torqueat hominem illum, poſteà verò imperetur, ut deſiſtat: tartareus enim ſpiritus exequetur id ſubitò, quando adſit in Exorciſta, & in maleficiato debita fides; hic, itaque videns hanc obedientiam ita promptam, magis magiſque augebit fidem, majorémque ſpem concipiet liberationis ſuæ, dum conſiderat, eum, qui obedientes ſibi dæmones reddere poteſt in re illa particulari, eandem ab illis obedientiam exacturum eſſe in alia re, & ſi eos poteſt cogere, ut aliquid agant, cogere etiam poſſe, ut omninò recedant; imò hac eadem de cauſa poterit Exorciſta jubere dæmones obedire eidem Energumeno, qui proinde hoc præcepto nixus, & viva fide munitus, formans pollice crucis ſignum ſupra vexatam illam partem corporis, ita dicat: in nomine JEſu Chriſti impero tibi dæmon maledicte, ut diſcedas ſubitò ab hac parte, in qua modò me vexas,

Digitized by Google

ita ut ceſſet repetentè omnis dolor. Huic pr
io obediet dæmon, & ita obediendo magis mag
que demonſtrabit Exorciſta authoritatem & ipſe
maleficiatus diſponetur magis ad liberationem.

Non erit verò ſemper in omnibus hominum generibus par hic labor, ut in eos inducatur debita diſpoſitio, in aliquibus enim, ùt in rudioribus erit minor, in aliis major, præſertim in tribus hominum generibus, ſcilicet in magnis peccatoribus, in hominibus duræ cervicis, & naturaliter obſtinatis, & in iis, quià primis ſuæ ætatis annis ſunt à dæmone obſeſſi; ab his poſtremis incipere placet.

Ideò Chriſtus Dominus interrogare voluit patrem juvenis à dæmone, & quidem muto vexati, quantùm temporis eſt, ex quo ei accidit; ut infelix genitor, dum confiteretur, filium ſuum hujusmodi calamitati aſſueviſſe, tanquam aſſueto naturæ morbo, cùm usque à primis annis in eam incidiſſet, majorem agnoſceret neceſſitatem ad Chriſtum confugiendi, & magìs vivam fidem conciperet. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Proinde cùm genus hoc maleficiatorum aſſueverit aſſentiri cuicunque rei, quam excitando phantaſiam objicit dæmon, & cùm habitum fecerit oppoſitum fidei & docilitati in maleficiato requiſitæ, neceſſe eſt, deſtruere hujusmodi habitum actibus contrariis valdè intentis, & iteratis, & præcipuè his duobus.

Primò confugiendò ad Deum; ſecundò deteſtando dæmonem, & ejus fraudes. Plurimùm ta-

tamen proderit, ſi Exorciſta aliquam precationem inſtituat, quæ ab ægroto ſæpè ſæpiùs recitetur, maximo pietatis & religionis ſenſu: ſatis autem ad rem videtur eſſe ea, quæ proximè ſequitur:

Domine, mi JEſu Chriſte, refugium meum, conſolatio mea, meæque animæ ſpes, per tui ſanguinis merita ab hoc execrando ſpiritu me defendas, neque tantas illi vires permittas, ut meam mentem aliáſque potentias meas inferiores ſuis fraudibus & mendaciis turbet. Cordis mei imbecillitatem reſpice: malúmque habitum conſentiendi malignis inimici mei perſuaſionibus averte; & quoniam tuæ crucis virtute eum viciſti, oro, ut tuæ immenſæ miſericordiæ effectus experiar, ut in æternum te laudare valeam, Amen.

Pariter expediet aliquod breve dictum deſcribere, frequenter dicendum, quo ille deteſtatur hoc ferè modo:

O execrande animarum deceptor! O mei & tui Conditoris hoſtis, nunc à me diſcedas; tuis enim mendaciis fidem habere nolo; diſcedas in nomine mei Domini JEſu Chriſti, cui cor meámque animam dono.

Hoc tempore formet ſæpe pollice ſignum crucis ſupra cor, & ſupra quamlibet aliam partem, quam dæmon vexaret, atque his actibus aſſiduè iteratis diſponetur ad liberationem.

Alii verò, qui difficilè liberantur, quia difficilè ſinunt ſe rectè inſtrui, ſunt ii, qui naturaliter ſunt obſtinati, eò quòd nunquam induci poſſunt,

ut credant, morbum ſuum oriri à dæmone, ac proinde è medico, non ab Exorciſta petendam eſſe curationem. Et quidem, ſi quæ remedia ſpiritualia admittunt, ſi quos Exorciſmos adhiberi ſinunt, utrumque præſtant in gratiam conſanguineorum, & amicorum hujusmodi remedia proponentium, non impulſi deſiderio, ut per ipſa ſanentur, deficiente prorſus in illis ea fide & fiducia, quæ eorum curationi eſt neceſſaria. Quòd ſi convicti ab experimentis, quibus Exorciſta detegit diabolicas operationes, hanc fidem concipiunt, vix diſceſſit ille Exorciſta, cùm eorum fides deficit, & iterum credunt, quæ ſibi placent. Contra hujusmodi homines, præter orationis remedium, experientia adhibenda eſt, præcipiendum videlicet eſt dæmoni, ut modò hominem illum vexet, modò ceſſet à vexatione, & ita evidenter demonſtrandum eſt, operationem illam penitùs eſſe diabolicam. Ita quidem agendum eſt Exorciſtæ, ut maleficiatus aſſuefiat revocare, & removere talem vexationem, imperando dæmoni in nomine JEſu Chriſti, & conjungendo ſuam voluntatem voluntati Exorciſtæ, ſin autem aliquando dæmones promptè ſibi obedire non videat, vitio tribuat ſuæ modicæ fidei, à qua dæmon reſiſtendi vim accipit. Proderit etiam ab Exorciſta maleficiati domeſticos in fide erudiri; ut ipſi quoque perſuadere poſſint miſero homini id, quòd revera eſt, eúmque adjuvare, ut infelicem conditionem ſuam agnoſcat.

Tandem tertium hominum genus, quod peculiari inſtructione maximè indiget, ſunt magni

pec-

peccatores, iſti enim validiùs poſſidentur à dæmone in ſuorum criminum pœnam. Horum remedium eſt pænitentia tùm interior, tùm exterior, quâ divinæ juſtitiæ ſatisfacientes, ſuam obtinent liberationem, diſponendo ſe ad recipienda illa efficaciora gratiæ auxilia, quæ requiruntur ad concipiendam vivam fidem, & robuſtam fiduciam, quas toties diximus neceſſarias eſſe, ut præcepta contra dæmonem pronunciata vim ſuam habeant. Præſcribat igitur Exorciſta huic hominum generi, ut contritionis actus ſæpiſſimè eliciant, præterita ſcelera deteſtando; præſcribat jejunium aliquod, vel aliam corporis afflictionem ipſius viribus accomodatam; mandet, ut frequentiùs ſeſe exerceant, ſacra templa inviſant, Sacramenta adeant, aliaque imperet, quæ magìs animam Deo conjungunt, & corpori ſunt moleſta.

In præſcribendis verò his, aliiſque animi corporíſque exercitationibus caveat ſemper Exorciſta, ne plùs æquo maleficiatum oneret, alioquin illi animus, ſalutíſque recuperandæ voluntas deficiet; imò animum ſemper illi addat, & cum eo agat vultu hilari & læto, non imitando illos, qui ſolent Energumenos verberare, & injuriis onerare dolorem dolori addentes, debitóſque modeſtiæ terminos excedentes. Appareat igitur, ea à nobis præſcribi potiùs, ut conculcetur dæmon, quàm ut maleficiatus affligatur. Proinde opportuniùs eſſe videtur contra dæmonem ipſum agere, illum objurgando, eique ſua damna, ſuáſque pœnas exprobrando, quod cùm audierit

 ipſe

ipſe maleficiatus, fidem ſuam excitabit, & augebit. Aliquam hic formulam adjicere mihi placet.

Nonne recordaris execrande dæmon, te propter tuam ſuperbiam æternâ ignei carceris pœnâ damnatum eſſe? an ignoras, te merum nihil eſſe, te nihil poſſe, & ne capillo quidem rerum creatarum nocere poſſe, niſi per DEUM tibi liceat?

Nonne recordaris, te à cruce Chriſti Domini victum fuiſſe, nec eſſe, cur tuas fallacias formidet, qui in divina protectione confidit? licèt ſim peccator, nihilominus non ignoras, me eſſe DEI miniſtrum, eáque poteſtate præditum, ut etiam invitus mihi cogaris obedire, & me timere.

Hæc aliaque ferè dicta prodere oportet, ut pudore afficiatur malignus ſpiritus & ſimul diſponatur is ad liberationem, qui difficiliùs curaretur.

Concludam hoc argumentum tradendo duo monita Exorciſtis, qui adhuc eſſent inexperti. Primum de loco, alterum de tempore exorcizandi. Quoad locum, ſicuti immorandum non eſt cum fæminis vel in loco ſolitario, vel remotis arbitris, ut omne periculum, & omne peccandi exemplum evitetur, ita non expedit eligere publicum templum, quo magna concurrat populi turba, viſendi magìs, quàm pietatis & religionis ſtudio, & ubi modica multorum fides poſſet facilè inſervire dæmoni, ut validè ac diutiùs reſiſtat. Proinde videtur locus aptior eſſe aliquod templum ſolitarium, vel niſi aliunde pro-

Digitized by Google

prohibeatur, ſecretum oratorium, aut ejusdem maleficiati domus, in qua ante aliquam ſacram imaginem, & adſtantibus aliquod ægroti amicis, & conſanguineis facilè poterit tam hos, quam illum, & in fide erudire, & habere amicos non contrarios operationibus & præceptis, quibus adjurandus eſt dæmon. Quoad tempus verò exorcizandi, nolunt aliquid id fieri æſtate, neque autumno, timentes, ne dæmones aliquam contra campos tempeſtatem excitent: ſed hac in re iſti nimis tribuunt dæmoni; quaſi verò, ſi vim ille non habet, ut contra Exorciſtæ præcepta eo in corpore permaneat, quod ſemel inſedit, inde expulſus nocere poſſit, & ſi DEI miniſter malignum illum ſpiritum cogere poteſt, ut diſcedat, non poſſit eundem cogere, ut absque ullo damno, ac detrimento diſcedat. Quemadmodum igitur, ſicuti vetitum ſit, ne palam & publico miniſterio exorcizetur, obediendum eſt eo tempore, ita extra hanc circumſtantiam non eſt vanè timendum, quandoquidem ea fide, iisdem præceptis, & eadem authoritate adeò dæmoni formidanda, turbinis, grandinis, procellarúmque nocumenta impediri poſſunt. Hoc quidem obſervandum eſt, quantum ad tempus, ne præceptis dæmonem adjurare incipiamus eo tempore, quo maleficiatus eſt valdè perturbatus, tunc enim ille animum non advertens inſtructioni, neceſſariam fidem non concipiet, neque incumbet, ut par eſt, ad ſperandum in Domino. Eadem de cauſa neque Exorciſta hujusmodi præcepta enunciare tunc aggrediatur, cùm ipſe eſt turbatus, vel mente ſummoperè vagatur, ſed

Digitized by Google

prius ipſe ſe colligat, revocétque in mentem poteſtatem in ſacro Ordine acceptam, poſtulet à DEO fiduciam inimico ſuperando neceſſariam, & inprimis animi demiſſionem exerceat Chriſtianam, propriam agnoſcens indignitatem, neceſſitatémque auxilii ſupernaturalis, ut ab hoc bello victor redeat, atque his armis munitus, audax & alacer ad pugnam contra infernos tyrannos proſiliat.

XIII.

Methodus ejiciendi dæmonem per ultimum præceptum expulſivum.

Finis omnium Exorciſtæ operationum eſt expellere dæmonem per authoritatem in Ordine acceptam, ut per præceptum in nomine JESU CHRISTI pronunciatum; ideò mutlò magis cautè procedendum ei eſt, ne intempeſtivè præcepto hujusmodi prolato, ſua hac authoritate abutatur.

At quomodo tempus hoc agnoſcetur? duobus modis agnoscitur. Primò, ſi facilè & aſſiduè dæmon obediat alteri præceptorum generi, nempe lenitivo, à quo tum maleficiati diſpoſitio conjicietur, tum imminutio virium, quibus dæmon reſiſtere poſſet. Sin autem ſtatim ac Exorciſta ſpiritui maligno imperat, ut in partem ſecedat, vel in aliud obſeſſi corporis membrum ſe transferat, ille obediat, & ſi hujusmodi obedientia videatur ſtatim, ac ipſe quoque maleficiatus hoc ipſum imperat, ſignum erit, omnia eſſe in ultima diſpo-

diſpoſitione ad perfectam liberationem. Secundò: hæc diſpoſitio agnoſci poteſt interrogando ipſum Energumenum, & eam colligendo ex illius reſponſis. Prius igitur Exorciſta interroget, quidnam in phantaſia objici ſibi ſentiat à dæmone, & quomodo ei reſiſtat; dæmon enim ad conſuetas ſuas fraudes confugiens maleficiatorum menti ſuggerere ſolet; primò ipſum eſſe obſtinatum, & nunquam fidem habiturum; ſecundò, dæmonem ſimulaturum diſceſſionem, nunquam autem verè diſceſſurum; tertiò, diſceſſurum quidem, ſed non modò; quartò, nolle Deum, ut diſcedat; quintò, oportere prius maleficii ſigna reperire, quibus alligatus eſt dæmon; ſextò denique, ſi diſcedere coactus fuerit, allaturum lethales dolores maleficiato.

Hujusmodi opiniones excitat malignus hoſtis in animo maleficiati, ut fidem impediat, ſi autem illis reſiſtet maleficiatus, clarè conjicietur, eum proximè diſpoſitum eſſe, ut liberetur: ſi enim dæmones amplius non timebit, ac contemnet riſu concipiens has ipſas opiniones, nullóque pacto reſponſum illis dare curabit, & contra dæmonem proteſtabitur, nolle ſe loqui cum Apoſtata rebelli, bene diſpoſitus erit: præterea, ſi liberari maximopere obtabit, & ſpontè & humiliter de hoc Exorciſtam rogabit, & ſi mentem ſemper magis tranquillam, conſcientiam ſemper magis quietam, imaginationem ſemper magis claram, loquendi uſum ſemper magis liberum experietur, indicium erit eum ad liberationem benè eſſe diſpoſitum.

Xx 5 Pa-

Pariter ejusdem liberationis ſignum certum colligi poterit ex modo, quo Energumenus ſe gerit erga Exorciſtam, nempe ſi magnam illi exhibebit reverentiam, quoties eum videt, ſi illi facie læta accedenti obviam ibit, ſi gratias aget laborum, quos ille, ad eum liberandum toleravit, ſi de ſua liberatione loquitur, tanquam de re certa, deſiderans, ut tempus illud citò adveniat, ſi demonſtrabit eum Dei miniſtri loco habere, magnique facere, ut par eſt, authoritatem ejus, & in malignos ſpiritus poteſtatem; tandem eadem diſpoſitio conjicietur ex iis, quæ ſpectant ad DEUM, nimirum, ſi maleficiatus indignum ſe putet, qui liberetur, ſéque commendabit piorum virorum precibus, ut hanc gratiam obtineant, ſi Domino gratias aget, cùm melius ſe habuerit, ſi libenter ſermones audiet de illis cauſis, quibus augetur in corde noſtro major, ac major confidentia in divino auxilio, & in divinis promiſſionibus. Hic eſt ille ſtatus, in quo conſtitui debet maleficiatus, priùs quàm Exorciſta utatur contra dæmonem ultimo præcepto expulſivo. Cùm igitur huc pervenerit maleficiatus, & ab examine antecedenti, & ab experimentis factis agnoſcatur tum ejus diſpoſitio, tùm obedientia, quâ maligni ſpiritus parere coguntur præceptis Exorciſtæ, ſtatuetur dies liberationi deſtinata; multum autem expediet præmittere ipſi aliquod jejunium, vel aliquam aliam corporis afflictionem & pium aliquod orationis exercitium, ut impetretur tum Exorciſtæ, tùm maleficiato totum id, quod deficeret fidei, & fiduciæ, quæ inferno hoſti expellen-

Digitized by Google

lendo eſt neceſſaria; & ita intelligendum eſt, quod Chriſtus Dominus dicit: hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio: quamvis enim abſultè loquendo ad ejectionem hujusmodi ſufficiat poteſtas conjuncta cum diſpoſitionibus, de quibus hactenus locuti ſumus; nihilominus neceſſe eſt, aliquando prædictas piſpoſitiones deeſſe, niſi aliquo voluntariæ caſtigationis, & pietatis exercitio locus illis præparetur.

Cùm tandem aderit hora perficiendæ rei, duabus fraudibus ſolet dæmon opus perturbare; prima eſt, varios ſerere ſermones, loquendo per os Energumeni, ut, quod ejus fieri poteſt, Exorciſtam illaqueet, cogàtque mente vagari, quare proderit ſilentium illi indicere, imitando Chriſtum Dominum, qui, ut refert D. Lucas, non ſinebat ea loqui; atque hoc tùm maximè agendum eſt, cùm dæmones Exorciſtam laudarent, quod facere plerùmque ſolent, ut eum ad jactationem & ſuperbiam inducant, ſimilémque ſibi reddant, atque adeò indignum, per quem Deus miracula & prodigia efficiat. Altera fraus eſt, maleficiati phantaſiam perturbare, ne aures advertat, eósque producat voluntatis actus, qui requiruntur. Hoc impedimentum quoque tollitur præcepto, & ut majorem vim habeat, proderit illud vulgari lingua pronunciare, ut intelligatur, & ab ipſo maleficiato confirmetur. In nomine JESU Chriſti impero tibi, ô execrande dæmon! ſive unus, ſive plures eſtis, ut, cùm debeatis ab hoc homine diſcedere, eum in ſtatu naturæ

turæ ſuæ conſentaneo relinquatis, ejus potentias non turbetis, neque ſenſus interiores, neque exteriores, nec ullam ejus corporis partem crucietis, neque ullum ſive Illi, ſive aliis, vel ante vel poſt diſceſſum damnum, & noxiam inferatis. Tandem utile erit curare, ut maleficiatus fidei ſuæ breviter & frequenter innovet actus hoc ferè modò.

Credo à JESU Chriſto, & à ſancta Eccleſia traditam eſſe Exorciſtæ, cùm Ordinem ſuſciperet, poteſtatem in vos omnes, ô execrandi dæmones! & per ipſum, quando ego meis partibus non deſim, vos omnes hinc certò ejiciendos eſſe, ita, ut nullam me ampliùs vexandi vim habeatis.

Credo etiam, vos, ô nefarii ſpiritus, cogendos eſſe, ut etiam mihi obediatis, vóſque diſceſſuros eſſe in virtute illius promiſſi, quo Chriſtus Dominus pollicitus eſt, dæmones expellendos eſſe à quolibet, qui in ejus ſanctiſſimo nomine vivam fidem habeat. In nomine meo dæmonia ejicient. Credo inſuper, vos, ò maligni, victos eſſe pœnis, & morte JEſu Chriſti, nec habituros vim ullam, me deinceps vexandi, ſi ego in ejus nomine divina firmatus protectione perfectè confidam. Credo, DEUM ùt omnipotentem poſſe, ùt infinitè ſapientem ſcire, ùt infinitè bonum, & fidelem in ſuis promiſſis, velle liberare me à veſtris viribus. O tartarei & axecrandi ſpiritus! qui adeò ſtudetis, nocere tùm corpori tùm animæ meæ, ſcio, me omne malum meruiſſe meis peccatis, ſed modò eorum me pœnitet, & hac

Digitized by Google

hac ipſa de cauſa adimi veſtræ poteſtati deſidero, ne iterum ad peccandum redeam.

Abſolutîs hîs imperet maleficiato Exorciſta, ut genua flectat unâ cum omnibus adſtantibus, atque invocato Spiritûs ſancti auxilio, & ſanctiſſimæ Virginis, Angeli Cuſtodis, aliorumque Sanctorum Patronorum interceſſione ita præceptum pronunciet.

Ego miniſter JESU Chriſti, & Eccleſiæ, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, atque in virtute ejusdem JESU Chriſti, impero vobis, ô ſpiritus execrandi, quotquot hactenus vexâſtis hominem hunc à Deo creatum, ut nullâ interpoſitâ morâ ab eo diſcedatis, neque ad eum, ſive interiùs, ſive exteriùs vexandum ampliùs redeatis, neque ullam in ejus corpus poteſtatem ampliùs habeatis, quia ſic vobis impero in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.

Præceptum hoc fide maximè viva proferendum eſt ab Exorciſta; priùs tamen revocet in memoriam JESU Chriſti promiſſa, munus, quo tunc fungitur, in quo quidem merum eſt inſtrumentum Chriſti Domini, qui ſuâ divinâ omnipotentiâ totum opus efficere debet: quare dæmoni imperet, quaſi victoriæ ſecurus, & contra illum agat, tanquam Judex contra reum ligatum, & convictum. Nihilominus quoniam ſuæ poteſtatis effectus à diſpoſitionibus toties memoratis dependet, ut certior fiat, an dæmon ab homine illo verè receſſerit, jubeat eum ſedere, atque hilari vultu dicat, ſe quidem judicare, eum jam curatum eſſe, majoris tamen cautionis cau-

ſa

ſa ultimum adhuc experimentum faciendum eſſe, ut ſi quis error interveniſſet, ſuppleri poſſit. Interroget igitur hominem, an certò credat fore, ut dæmones obedire debeant, & reſpondente illo, à ſe id planè cred[illegible], tunc proferat præceptum hac conditione.

In nomine JESU Chriſti impero tibi ſpiritus execrande, ut ſi quam poteſtatem habeas vexandi, ùt antè, hominem hunc à Deo creatum, indicium mihi præbeas absque ulla mora vexando.

Si prolatò præcepto nullum patitur homo ille ex iis effectibus, quos experiri priùs conſueverat; judicari poterit prorſus à dæmone liber, & Exorciſta Deo gratias agens unà cum illo, admonénsque, ut Sacramenta frequentet, & peccata fugiat, ſanum relinquat nullis acceptis muneribus, vel oblationibus, ne ſui miniſterii exercitium adeò inferis omnibus formidabile avaritiâ commaculet. Si autem dæmon rurſus aliquod præſentiæ ſuæ ſignum ederet, eo tempore nil aliud agat, ſolummodo maleficiatum admoneat ad ejus liberationem majorem fidem, & fiduciam requiri, clariu[illegible] que ſe [illegible]gniturum alia vice, unde oriatur defectus. Poterit etiam de hoc ipſo defectu dæmon interrogari, quando is cæteroquin per os Energumeni loqui ſoleat, accipiendo id tanquam viam utilem perfectæ liberationi, alioquin operæ pretium erit, per orationem impetrare à Deo lumen, ut agnoſcatur, unde oriatur defectus, & illi remedium adhibeatur.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

Methodus liberandi pueros maleficiatos.

MAjorem ſecum fert facilitatem, majorémque ſimul difficultatem maleficiatorum parvulorum curatio, quàm adultorum. Ex una parte infantes, ſicuti propriam non habent culpam, ſic in illos minorem habet poteſtatem dæmon, ut eos cruciet; at ex altera parte, dum incapaces ſunt efficiendi actus neceſſariæ diſpoſitionis, quemadmodum capaces ſunt adulti, hac de cauſa minùs apti ſunt ad ſuam liberationem. Attamen ſicut in Baptiſmo parvulorum conſenſum ſupplet Eccleſia, & ſupplent compatres, qui eos è ſacro fonte ſuſcipiunt; ita dicere poſſumus, defectum diſpoſitionis in ipſis requiſitæ ſuppleri, tùm ab Eccleſia, tùm à parentibus, & iis, qui eorum curam gerunt, deteſtando dæmonem, atque ita in Domino confidendo, ut hanc impetrent liberationem. Ita fides Cananææ ſupplevit pro ſua filia à diabolo obſeſſa. Fides patris illius lunatici pro ſuo filio, qui difficilè liberari peterat. Fides Centurionis pro ſuo ſervo ægroto. Fides Archiſynagogi pro ſua filia defuncta. Licèt enim quis juſtificari non poſſit, poteſt tamen aliena fide ſanitatem recipere. Proinde in curatione infantium debet priùs Exorciſta certior fieri, an malum, quo cruciantur illi pueri, ſit malum ortum à diabolo, & maleficio; certior autem fiet ratione ſuperiùs allata, præſertim reddendo evidentia ea ſigna, quæ ſunt merè probabilia, imperando, ut modò redeat, juxta præceptum dæmo-

dæmoni indictum. Signa verò probabilia melefici in pueris erunt: Si parvuli ſæpiùs tremant absque ulla apparenti illius tremoris cauſa; ſi Exorciſtas & Sacerdotes fixis oculis intueri non audeant, ſi ore aperto lac ampliùs ſugere nolunt; ſi intra temporis momentum exceſſuri videantur è vita; ſi in iis pars aliqua corporis livida, vel nigra concurſa ſanguinis appareat, vel aliquod in illis vulnus videatur: ſi lacte ſatiari nunquam poſſint, licèt abundanter illud ſugant; & nihilominus macri ſemper exiſtant. Hæc, & hujusmodi indicia cum Exorciſtæ aperuerint aditum, curationem ſuſcipiendi innocentium eorum infantium, neceſſe eſt; erudire in fide, & diſponere eos, ad quos ſpectat infans; priùs autem admoneat eos, in pœnam peccatorum parentum permitti à DEO vexationem iſtam in filiis: quare illi ita incipient dæmoni vim auferre, deinde agnoſcendo ſe indignos, qui gratiam recipiant, fidei, fiduciæque actus ſuperiùs memoratos iterum atque iterum exerceant, protestantes ſe vice illius infantis, qui propriis actibus ſe diſponere non valet, ad divinam bonitatem confugere, & ab ea patere ſuppliciter auxilium per ipſius miſericordiæ viſcera, per ipſius promiſſionum fidelitatem, per ipſius ſanctiſſimi ſanguinis merita, per ipſius ſanctiſſimi Nominis honorem, promittentes quoque illi ſe gratias acturos pro ſuo filio, & majori diligentia eum erudituros in Chriſtiana lege.

Præmiſſis his diligentiis, cùm Exorciſta ſibi videatur, poſſe niti tutiùs in bona eorum diſpoſitione;

ne; præceptum expulſivum proferre poteſt hoc modo.

Ego N. Dei, Eccleſiæque miniſter in nomine mei Domini JEſu, impero tibi, ô dæmon execrande, tuíſque omnibus ſociis, ſi tecum infantem hunc à Deo creatum affligant, ut ſtatim absque ulla mora ab illo diſcedas, & deſtruendo omne maleficium, & ligamen, omnes immunditias tecum feras, quas fortè in hoc corpus attuliſſes, nullámque impoſterum habeas poteſtatem eum perturbandi, ſive interiùs, ſive exteriùs aut alio modo eum moleſtandi, ſic volo, ſic jubeo in nomine Patris & Filii, & Spiritûs ſancti.

XV.

Methodus liberandi à vexationibus dæmonis habitationes, aut aliquid ab ipſo infeſtatum.

SIcuti dæmon propter odium, quo Deum proſequimur, hominem, qui ad Deum pertinet, vexat; ita propter odium, quo hominem proſequitur, loca, & res, quæ ad hominem pertinent, eíque inſerviunt, infeſtat. Quantum ad loca; aliqua infeſtantur propter habitatores, & quando iſti diſcedunt, ceſſat infeſtatio; alia verò aliis de cauſis infeſtantur, ita ut, quocunque ibi habitante, non ceſſet moleſtia; loquemur hìc de ultimis, quorum infeſtatio conſiſtit partim in eo, ut appareant dæmones, lemuréſque adinſtar umbrarum, animalium, vel monſtrorum, ad terrorem incutiendum; partim in eo, ut fragant, perturbéntque res domeſticas, & excitent ſtrepitum, ad quietem, ſomnúmque impediendum; partim in eo, ut rideant, & cachinnen-

Digitized by Google

tur, & percutiant abſque damno habitatores, fortaſſe perſuadendi causâ hoc mendacium, videlicet dæmones non eſſe adeò infelices ut vulgò creduntur, neque adeò deformes, ut pinguntur, ſed inter eos quoque hilariter & perjucundè vivi. Nihilominus cujuslibet generis ſit infeſtatio, & quæcunque ſit ratio, quâ utitur dæmon, ut habitatores perturbet, in his omnibus ſemper ille quærit aliquod animæ malum, ſive ut ad impatientiam & deſperationem provocet habitatores, ſive, ut noxiam aliquam curioſitatem in eis excitet, & tandem aliquam in eis poſſeſſionem acquirat; quare hac in re nulla eſt dæmonibus permittenda libertas, licèt primo aſpectu non videatur ignes detrimentum, & noxiam allatura; ſed omnis illis adimenda eſt poteſtas, & per poteſtatem nobis à Domino traditam, ab omni loco ſunt expellendi. Ut igitur Exorciſta eos poſſit expellere, poſtquam certior factus fuerit de infeſtatione, vel à veridica incolarum relatione, vel experimentis, ea præcepta, eámque inſtructionem tradere incipiet habitatoribus, quæ ultimum præceptum expulſivum præcedere debet.

Et quoniam toto poteſtas, quam ſibi vendicat dæmon in nos, ſive in res noſtras, oritur vel proximè, vel remotè à peccato inprimis diſponat habitatores ad illud deteſtandum, & præcipuè domûs illius Dominum, qui genibus flexis debebit à DEO petere veniam, non ſolùm ſuorum criminum, ſed etiam eorum, quæ à quocunque alio ſive præſenti, ſive præterito fuerint admiſſa, ſup-

ſuppliciter rogans divinam bonitatem, ut pænitentiam ſuam accipere dignètur pro ſe, & pro omnibus, domúmque ab illa diabolica moleſtia liberare.

Præterea debebit ExorciſtaDominum domûs,& cæteros certiores facere de poteſtate, quam ille, ut DeiEccleſiæque miniſter in dæmones habet, & certò fore, ut præceptis ſuis obediant, quotiescunque non deficiat fides, vel in ſe, vel in illis requiſita, cùm debeat ipſe imperare in JEſu Chriſti nomine, ac tanquam ejus miniſter malignos eos ſpiritus expellere; & quia dæmon, ut hanc fidem impediat, perſuadere ſtudet, ſe non eſſe illarum infeſtationum authorem, ſed eſſe, vel animas, quæ purgatorio igne cruciantur, ut à Chriſtianorum precibus aliquod obtineant pium ſubſidium, vel animam alicujus ad inferna damnati, ibique ſepulti; vel tandem aliquem theſaurum ibi defoſſum ab infernis ſpiritibus ita cuſtodiri, ut ab eis relinqui non poſſit; hæc omnia mendacia detegenda erunt ab Exorciſta, eorum falſitatem demonſtrando rationibus ſuperiùs adductis, & perſuadendo adſtantibus, ut pro certo credant damnatorum animas in inferni carcere detineri, non in noſtris domibus; & animas purgatoriis flammis deſtinatas, ſi quando facultatem habent apparendi, ſtatim reſpondere interroganti eas, ſuámque neceſſitatem exponere, nec ampliùs redire, niſi forte una adhuc vice, ut gratias agant de ſubſidio illis per ſacras preces delato; multóque minùs redire ad moleſtiam afferendam, & perturbandos habitatores; ſi verò Dominus domûs, vel illius habitatores obſtina-

nato animo fidem habere vellent huiusmodi mendaciis à dæmone excogitatis, non expedit ulterius procedere; quia dum ipſi non obediunt Exorciſtæ, ſed potius adverſantur, nunquam concipient eam fidem, quam neceſſariam eſſe diximus, ut certò diabolus expellatur.

Tertiò diſponat Exorciſta habitatores ad concipiendam firmam loci liberationis fiduciam propter infinitam bonitatem Dei, & ejus promiſſa, quibus ſuum nobis ſpopondit patrocinium & auxilium contra diabolicas infeſtationes, & propter authoritatem hac in re ſanctæ Eccleſiæ traditam.

His peractis expediet Chriſti in cruce pendentis imaginem extolli, & omnes domeſticos illam ſequentes, & parvæ ſupplicationis adinſtar litanias recitantes ad illud domicilium contendere, quod magis infeſtatur à diabolo: ubi abſolutis precationibus ſurgens Exorciſta capite cooperto in poteſtatis ſuæ argumentum magna fide & poteſtate ei muneri accomodata, quo nunc fungitur, pronunciet præceptum:

In nomine JEſu Chriſti ego N. ut ejus miniſter, & ſervus licet indignus impero tibi & vobis execrandi dæmones, ut ſtatim ex hac domo diſcedatis, nec ad illam moleſtandam amplius redeatis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.

Deinde magna liberationis peractæ certitudine domicilium illud atque alia aſpergat aquâ luſtrali, confirmatiſque in fide habitatoribus, traditiſque opportunis monitis diſcedat. Quid-

Quidquid de domuum liberatione diximus, intelligendum pariter eſt & exercendum in beſtiarum liberatione. Diſponatur Dominus, vel illarum cuſtos ad deteſtanda ſua peccata etiam per ſacram & accuratam confeſſionem, & præſertim illa, quæ fortè in illarum beſtiarum cura commiſerit, vel diebus feſtis ſervilia opera exercendo, vel rerum caducarum curam debitæ ſpiritualium, ſuæque animæ ſollicitudini anteponendo. Erudiatur item, ut dictum eſt, in fide, & fiducia, & cùm bene eruditus fuerit, vexatas illas belluas liberare aggredietur hoc præcepto.

Ego N. JEſu Chriſti, & ſanctæ Eccleſiæ miniſter impero tibi, & vobis, execrandi dæmones! quotquot eſtis, ut ab his animalibus ſtatim diſcedatis, maleficium omne in illorum noxam elaboratum deſtruendo, naturaléſque illorum operationes nunquam ampliùs impediendo, neque eorum Dominum aut cuſtodem ampliùs perturbando. Fugite igitur ſpiritus nefarii, ſicuti vobis impero. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.

Poſteà beſtiæ & ſtabula aqua luſtrali aſpergantur, aliáque præmunientia adhibeantur remedia.

Verùm in nulla alia liberatione labores ſuos utiliùs impendet Exorciſta, quàm ſi ſolvere conetur ea maleficia, quæ matrimoniis nocent. In hujusmodi faſcinis permittitur dæmoni major nocendi libertas originalis peccati cauſa, quod transfunditur in nos per generationem carnalem, ut D. Thomas, aliíque Theologi obſervârunt.

 Hu-

Hujuſmodi maleficiorum ſigna videri poterunt apud Morales, qui de his ſatis ſuperque agunt. Quando igitur pareat, mala in conjugibus orta eſſe à dæmone, perſuadeatur iis, ut deteſtentur omnia crimina, quæ forté inter ſe admiſiſſent, ſive ante, ſive poſt matrimonium contractum, & præſertim abominentur finem illum, quem multi inprimis ſpectare ſolent in connubiis jungendis, nimirum liberè ſatisfacere libidini, nec interim dirigunt matrimonium ad finem debitum, & ſupernaturalem, nempe vel ut ſanctius vivant in illo ſtatu, vel ut prolem obtineant, quæ Deo ſerviat, & cœleſtes ſedes repleat. Utatur igitur Exorciſta verbis Archangeli Raphaëlis ad Tobiam, ut demonſtret hos errores, curétque, ut à ſponſis piis precationibus & pœnis voluntariè ſuſceptis deleantur; deinde eos erudiat in fide, ut dictum eſt, & maximè conetur eis apertum facere, & perſuadere poteſtatem, quam conjuges invicem habent in ſua corpora, datam illis eſſe à Chriſto per Sacramentum adeó magnum, quale eſt matrimonium, & ſi ipſe peccata omnium malorum cauſam tollant, DEum non amplius permiſſurum eſſe dæmoni hanc poteſtatem, quam hactenus ei permiſit. Tandem poſtquam iteratis actibus eos ad liberationem rectè diſpoſuerit, poterit præceptum ſic efformare.

Ego N. Chriſti, & Eccleſiæ miniſter poteſtàte, à DEO mihi tradita, cùm Exorciſtæ ordinem ſuſceperam, venio contra te; ſpiritus immunde, qui contendis impedire matrimonium ab ipſo DEO inſtitutum ad finem adeò ſublimem, & impero

pero tibi in nomine JEſu Chriſti, ut omne maleficium contra hanc creaturam factum ſtatim deſtruas, & absque ulla mora diſcedendo tecum feras omnes diabolicas immunditias, quas aliquo modo in hoc corpus intuliſſes, ita, ut creatura iſta libera & ſana remaneat perinde, ac ſi nunquam à te moleſtata fuiſſet. Sic igitur tibi impero & omnibus aliis, quotquot adeſtis ſpiritus execrandi. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.

CAPUT SECUNDUM.

Actus Baptiſmi Parvulorum.

1. *Sacerdos.* Quo nomine iſte infans eſt vocandus?
Wie ſoll diſes Kind heiſſen?

Patrinus reſpondet N.
Der Gevatter antwortet, ſprechend:
N. v. g. Joannes, Eliſabeth.

2. *Sacerdos.* N. Quid petis ab Ecclesia DEI?
N. Was begehreſt du von der Kirchen GOttes?

Reſpondet Patrinus: Fidem.
Antwort: den Glauben.

3. *Sacerdos.* Fides quid tibi præſtat?
Was gibt dir der Glauben?

Reſpondet Patrinus: Vitam æternam.
Antwort: Das ewige Leben.

4. *Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata; diliges Dominum DEum tuum ex toto

corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & Proximum tuum ſicut teipſum.

Notet Sacerdos, quod infrà in actu Baptiſmi de maribus in maſculino genere dicitur, de fæmellis dicendum eſſe in fœminino.

Deinde ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel: Exi ab eo *(vel ab ea)* immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto Paraclito.

Poſteà dextro pollice faciat ſignum crucis in fronte & pectore infantis, dicens: accipe ſignum crucis tam in fronte † quàm in corde † ſume fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto moribûs, ut templum Dei jam eſſe poſſis.

Oremus.

PReces noſtras, quæſumus, Domine clementer exaudi: & hunc electum tuum N. *(electam tuam)* crucis Dominicæ impreſſione ſignatum *(ſignatam)* perpetua virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde imponat manum ſuper caput infantis, & dicat:

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N *(famulam tuam)* N. quem *(quam)* ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo *(ea)* expelle: diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus *(col-*

(*colligata*) aperi ei Domine, Januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ imbutus (*imbuta*) omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus (*læta*) tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat ſalem: qui ſemel benedictus aliàs ad eundem uſum deſervire poteſt.

Benedictio ſalis.

EXorcizo te, creatura ſalis, in nomine DEI Patris omnipotentis ✠ & in charitate Domini noſtri JEſu Chriſti † & in virtute Spiritus ſancti ✠. Exorcizo te per Deum vivum † per Deum verum † per Deum ſanctum ✠ per Deum ✠ qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices † & benedicendo benedicas † ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde immittat modicum ſalis benedictis in os infantis, dicens.

N. Accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos; Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Digitized by Google

Oremus.

DEus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. (*famulam tuam N.*) reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quo minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum (*eam*) Domine quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine Patris, ✝ & Filii, ✝ & Spiritûs ſancti ✝ ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. (*famula Dei N.*) ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem JESU Chriſto, Filio & Spiritui ſancto: & recede ab hoc famulo Dei N. (*famula Dei N.*) quia iſtum (*iſtam*) ſibi Deus, & Dominus noſter JEſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontémque Baptiſmatis vocare dignatus eſt.

Hìc pollice in fronte ſignat infantem, dicens:

Et hoc ſignum ſanctæ crucis ✝ quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit:

Ore-

Oremus.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEus, auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. (*famulam tuam N.*) ut digneris eum (*eam*) illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum (*eam*) & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus (*digna*) gratiâ Baptiſmi effectus (*effecta*) teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà Sacerdos imponit extremam partem ſtolæ ſuper infantem, & introducit eum in templum, dicens:

N. Ingredere in templum DEI, ut habeas partem cum Chriſto in vitam æternam. ℟. Amen.

Cùm fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad fontem, cum ſuſceptoribus conjunctim clara voce dicit:

CRedo in Deum Patrem omnipotenten Creatorem cæli & terræ. Et in JEſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferos tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſédes ad dexteram DEI Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum: ſanctam Eccleſiam Catholicam; Sanctorum communionem: remiſſionem peccatorum: carnis reſurrectionem: & vitam æternam, Amen.

PAter noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat volun-

Schuldigeren. Und führe uns nicht in Verſuchung. Sondern erlöſe uns vom Ubel, Amen.

Deinde ad circumſtantes, qui infantem deferunt, & comitantur, obſervata perſonarum conditione & qualitate modeſtè ſtando ſequentem facit exhortationem.

Chriſtliche Ermahnung an die Gevattern, und andere Unbſtehende, vor dem heiligen Tauff.

Andächtige in Chriſto dem HErrn. Dieweil wir bey diſem Chriſtlichen und Gottſeeligen Werck des Heil. Tauff in dem HErrn verſammlet seyn, ſollen euer Lieb und Andacht ſich wol erinneren des herrlichen Spruchs unſeres liben HErren JEſu Chriſti: es ſey dann (ſpricht er bey dem H. Joan. am 3. Capitel) daß einer widerum gebohren werde aus dem Waſſer und Heil. Geiſt, ſo kan er nicht eingehen in das Reich GOttes. Urſach, dann nach St. Pauli Gezeugnuß seynd alle Adams-Kinder, wie klein, jung, und unſchuldig ſie ſcheinen, in Sünden empfangen, und gebohren, ja auch von Natur Kinder des göttlichen Zorns, dieweil alle in Adam, ihren erſten Vatter, geſündiget haben, und mit der Erbſünd befleckt seynd, und alſo zum ewigen Leben untauglich erfunden werden. Demnach wird diſes junge Kind hier fürgeſtellt, und zu dem H. Tauff bereit, damit es aus dem Stand der Sünden, und ſündlicher Unſauberkeit, zu dem Stand der Gnaden und Chriſtlichen Gerechtigkeit kommen, ja auch für ein lebendiges Glid Chriſti, und für einen rech-

ten

ten Erben des Himmel-Reichs angenommen und gezehlt werde. Dieweil aber diſes ſchwache Kind Kind ſolche groſſe angebottene Gnad GOttes in diſem unvermöglichen Alter nicht erkennen noch bekennen kan, ſoll erſtens euer Lieb und Andacht, und ſonderlich ihr Gevatteren, ermahnet ſeyn, daß ihr an ſtatt diſes Kinds euer Hertz zu dem allmächtigen GOtt wendet, und mit ungezweiffletem Glauben betrachtet, daß Chriſtus JEſus, aller Welt Heyland diß heilige und nothwendige Sacrament des Tauffs ſelbſt hat eingeſetzt, und mit ſeiner gnadenreichen Verheiſſung gezieret und verſiglet, als er nemblich durch Ezechielem ſeinen Propheten vorgeſagt, er wolle ein rein Waſſer über ſein Volck ausgieſſen, und ſie rein machen von allen ihren Unreinigkeiten. Und meinen Geiſt, ſagt er, will ich euch geben, und will machen, daß ihr in meinem Gebott wandlet, und dieſelbe vollbringet.

Zum anderen ſollt ihr andächtig zu Hertzen führen, daß die obgemeldte Gaab und Gnad von diſem Kind nichts anderes erforderet, dann daß es mit der Zeit daſſelbige danckbar leiſte, was ihr Gevattern an ſeiner ſtatt ernſtlichen allhier verſprechen und verheiſſen werdet: als nemblich, daß es dem böſen Feind, und aller ſeiner Hoffart und Wercken widerſage und widerſtrebe. Item, daß es für und für bleibe und verharre bey dem rechten Chriſtlich-Catholiſch und Apoſtoliſchen Glauben, welchen Glauben es auch ſonderlich üben und erzeigen ſoll, mit dem Gebett in dem Heil. Vatter unſer, und mit dem Gehorſam in den Heil. zehen Gebotten. Nicht weni-

ger haben ſie auch zu erwegen, und wohl zu behertzigen, daß nicht allein der Tauffer mit dem Getaufften, ſondern auch der Tauff-Gött, oder Gevatter mit dem Tauff-Kind, ſambt deſſen wahren Eltern, geiſtlicher Weiß befreundet werden, alſo daß ſie ſich mit Recht nicht zuſammen verheyrathen mögen, ja auch nach geſchehenen Heyrath widerum geſchiden werden müſſen. Inſonderheit aber erforderet euer Ambt und Pflicht, daß ihr euch diſes Kinds, im Fall es nach empfangenen Tauff über kurtz oder lang aus Zulaſſung Gottes ſeiner natürlichen Eltern durch den zeitlichen Todt beraubt wurde, getreulich annehmt, es auf die Forcht Gottes, Zucht, und Ehrbarkeit anweiſet, und haltet, damit, wann es zu ſeinen verſtändigen Jahren kommen wird, ſeiner Keuſchheit wahr nemme, die Gerechtigkeit lieb habe, und vor allen Dingen das Heil. Vatter unſer, den H. Engliſchen Gruß, Chriſtlichen Glauben, und die zehen Gebott fleißig lerne, und deren ſich embſig gebrauche, damit es nach ſeinem und euerem Zuſagen, ſo vor GOtt und der Kirchen hie geſchehen, wider des Teufſels Reich ritterlich ſtreitten, und ſtandhafftig überwinden, und alſo nach diſem ſterblichen Leben, ſambt allen lieben Auserwählten die Cron der ewigen Freud und Seeligkeit erlangen möge. Damit aber ſolches geſchehe, und wir alle neben diſem Kind die gnadenreiche Krafft, und Würckung des Heil. Tauff haben, und in uns empfinden mögen, ſo laſſet uns demnach mit gebogenen Knyen und demüthigen Hertzen ſammentlich ſprechen ein andächtigen Vatter unſer, und Ave Maria.

Bap-

Baptizans & circumſtantes genuflectunt, & recitant ſecretò, Pater noſter, Ave Maria.

Quibus peractis ſurgunt, & baptizans, antequam accedat ad baptiſterium dicat:

Exorciſmus.

EXorcizo te, omnis ſpiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis ✝ & in nomine JEſu Chriſti Filii ejus, Domini & Judicis noſtri ✝ & in virtute Spiritûs ſancti ✝ ut diſcedas ab hoc plaſmate Dei N. quod Dominus noſter ad templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Poſteà Sacerdos extremo digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures & nares infantis: tangendo verò aurem dextram & ſiniſtram dicat:

Epheta, quod eſt adaperire: *Deinde tangat nares dicens:* in odorem ſuavitatis, & *ſubdit:* tu autem effugare diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Poſteà interrogat baptizandum, nominatim dicens:

N. Abrenuntias ſatanæ?

Widerſagſt du dem böſen Feind?

Reſpondet Patrinus: Abrennuntio.

Ich widerſag.

Et omnibus operibus ejus?

Und allen ſeinen Wercken?

℟. Ich widerſag.

Et omnibus pompis ejus?

Und aller ſeiner Hoffart?

Digitized by Google

℟. Abrenuntio. Ich widerſag.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum crucis dicens:

Ego te lineo ✠ Oleo ſalutis in Chriſto ✠ Domino noſtro, ut habeas vitam æternam.

℟. Amen.

Subinde pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili; deponit ſtolam violaceam, & aſſumit aliam albi coloris, & interrogat expreſſo nomine babtizandum, Patrino reſpondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?

N. Glaubſt du in GOtt Vatter allmächtigen Schöpffer Himmels und der Erden?

℟. Credo. Ich glaub.

Credis in JEſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum;

Glaubſt du in JEſum Chriſtum, ſeinen einigen Sohn, unſern HErrn, der gebohren iſt, und gelitten hat?

℟. Credo. Ich glaub.

Credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam?

Glaubſt du in den heiligen Geiſt, ein heilige allgemeine Chriſtliche Catholiſche Kirchen, Gemeinſchafft der Heiligen, Ablaß der Sünden, Auferſtehung deß Fleiſches, und ein ewiges Leben?

℟. Credo. Ich glaub.

Digitized by Google

Deinde expreſſo nomine baptizandi, ter Sacerdos interrogat.

N. Vis baptizari?

N. Willſt du getaufft werden?

Reſpondet Patrinus. Volo. Ich will.

Quærat deinde Sacerdos: an, propter periculum evitandum, ſit circa baptiſmum infantis aliquid attentatum à quopiam? & ſi reſpondeatur, nihil ejusmodi factum; tunc Patrino, vel Matrinâ, vel utroque (ſi ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vaſculo accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundit ſupra caput infantis in modum crucis, & ſimul verba proferens, ſemel tantùm diſtinctè & attentè dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✝ *fundat primò*, & filii ✝ *fundat ſecundò*, & Spiritûs ✝ ſancti, *fundat tertiò.* ℟. Amen.

Si Verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac formâ. N. Si non es baptizatus (*baptizata*) ego te baptizo in nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ ſancti. ℟. Amen.

Deinde intingit pollicem in ſacro chriſmate, & ungit infantem in ſummitate capitis in modum crucis, dicens:

DEus omnipotens, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum (*hìc inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✝ in eodem Chriſto JEſu Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Tum bombacio, aut re ſimili, abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum; & imponit capiti ejus linteolum canditum locò veſtis albæ, dicens:

Ac-

Digitized by Google

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JEſu Chriſti, ut habeas vitam æternam.

℟. Amen.

Poſteà dat ei, Patrino (vel Matrinæ) candelam accenſam dicens:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi baptiſmum tuum; ſerva Dei mandata, ut, cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis, occurrere ei unà cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeáſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſtremò dicit: N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℟. Amen.

2.

Ordo communicandi & providendi infirmum.

Ingrediens Sacerdos locum, ubi jacet infirmus, dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa, ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, & mox accepta aqua benedicta aſpergit infirmum: & cubiculum dicens Antiphonam.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam &c. fol. 727. & 728. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde repetitur Antiphona.

Digitized by Google

Aſperges me &c.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

His dictis accedat ad infirmum, ut cognoſcat, num ſit benè diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacrum viaticum, & utrum velit aliqua peccata confiteri, illum audiat, atque abſolvat, quamvis priùs deberet eſſe ritè confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat. Poſteà facta de more Confeſſione generali ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio Sacerdo sdicit: Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

Denique facta genuflexione, accipit Sacramentum de vaſculo, atque illud elevans oſtendit infirmo dicens: Ecce Agnus Dei, ecce quì tollit peccata &c. *Et more ſolito ter dicat:* Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea. *Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba, ſaltem ſemel ſubmiſſa voce, tum Sacerdos dans infirmo Eucbariſtiam dicat:*

Accipe frater (vel ſoror) viaticum Corporis Domini noſtri JEſu Chriſti: qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat te in vitam æternam.

Si verò Communio non datur per modum viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat &c.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto Miſereatur &c. *prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim viaticum præbeatur. Poſteà Sacerdos abluat digitos nihil dicens, infirmo detur abſolutio. Deinde dicat:*

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro (vel ſorori noſtræ) ſacroſanctum Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti Filii tui, tam corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum vivit &c.

His expletis, ſi altera particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmum, nihil dicens, & reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum: Laudate Dominum de cœlis, *& alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret. Cùm pervenit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper Altare, adorat, deinde dicit:*

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos Corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnat &c. Amen.

Deinde annuntiat Indulgentias à ſummis Pontificibus conceſſas ſanctiſſimum Sacramentum comitantibus.

Poſteà cum Sacramento in pixide velo cooperto facit ſignum Crucis ſuper populum nihil dicens. Poſtremò illud in loco ſuo reponat.

Quòd ſi ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione Sacramentum ad Eccleſiam commodè reportari non poteſt, ſumpta fuerit una tantùm particula conſecrata, ùt dictum eſt, tunc eâ infirmo adminiſtratâ, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demiſſa, latente pixide, Eccleſiam, vel domum quisque ſuam revertatur.

I.

Ordo adminiſtrandi Sacramentum extremæ Unctionis.

Ingreſſus.

Pax huic domui &c. Aſperges me, *ùt ſuprà ſtans versùs ægrum dicit:*

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Introëat, Domine JESU Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna; effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum; adſint Angeli pacis, domúmque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos Nomen ſanctum tuum, & benedic ✝ noſtræ converſationi: ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus

&

& pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORemus & deprecemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut benedicendo benedicat ✠ hoc habitaculum & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua, avertat ab eis omnes contrarias poteſtates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre, Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Quæ Orationes, ſi ſtatim poſt ſacrum viaticum datur, omittuntur. Flexis verò genibus coram Crucifixo (quem priùs ægroto oſculandum præbet) recitat Pſalmus Miſerere.

Pſalmus 50.

MIſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Digitized by Google

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEUS: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas â me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus DEUS, DEUS ſalutis meæ: & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies.

Beni-

Digitized by Google

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium Juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Litaniæ.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus, miſerere ei.
S. Trinitas unus Deus, miſerere ei.
Sancta Maria. Ora pro eo vel ea.
Sancta Dei Genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro eo vel ea.
Omnes ſanctorum beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptiſta, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.

Digitized by Google

Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes ſancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti. ora.
Sancte Sebaſtiane, ora.
Sancte Emmerame, ora.
Sancte Dionyſi, ora.
Omnes ſancti Martyres, orate.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Ruperte, ora.
Sancte Erharde, ora.
Sancte Wolfgange, ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes ſancti & Sanctæ Dei, orate.
Propitius eſto. Parce ei Domine,
Propitius eſto. Exaudi nos Domine,
A peccatis ejus, libera eum, vel eam,
A variis languoribus, libera.
Ab inſidiis diaboli, libera.
A cruciatu & morte perpetua, libera.
Ab ira tua, libera.
Ab omni immunditia mentis & corporis, libera.
Ab omni malo, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per incarnationem & Nativitatem tuam, libera.

Digitized by Google

Per jejunium tuum, libera.
Per tentationem tuam, libera.
Per Paſſionem & Crucem tuam, libera.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam, Libera eum, vel eam Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, Libera eum, vel eam Domine.
Per adventum Spiritus ſancti Paracliti. Libera eum vel eam Domine.
In hora mortis & die Judicii. Libera eum vel eam Domine.
Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Ut præſentem infirmum (am) viſitare & conſolari digneris, Te rogamus.
Ut pacem tuam ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut fontem lachrymarum ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut cogitationes pravas ab eo (ea) auferre digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut remiſſionem omnium peccatorum ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut ſpatium pœnitentiæ ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut ſanitatem animæ & corporis ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut gratiam & conſolationem ſancti Spiritus ei dones, Te rogamus, audi nos.
Ut in præſenti periculo ſuccurrere ei digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut ad gaudia ſempiterna eum (eam) perducere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos.

Agnus

Digitized by Google

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere ejus Domine.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon.

Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos & hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quos deliɛtorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Concede hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quæſumus Domine, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ MARIÆ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia & æternâ perfrui lætitiâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

His peractis, ad lectum infirmi accedit, & extensâ manu dexterâ, facit ter ſignum Crucis ſuper eum dicens: In nomine Patris, ✠ & Filii, † & Spiritûs † ſancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem

nem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium ſanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum, Amen.

Deinde intincto pollice in oleo ſancto, in modum Crucis ungit infirmum.

Ad Oculos.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum deliquiſti. In nomine Patris, ✝ & Filii, ✝ & Spiritûs ✝ ſancti. Amen.

Poſt quamlibet unctionem tergit loca inuncta novo globulo bombacii.

Ad Aures.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquiſti, in nomine Patris ✝ & Filii &c.

Ad Nares.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per odoratum deliquiſti, in nomine Patris ✝ & Filii &c.

Ad os, compreſſis labiis.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericardiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per guſtum & locutionem deliquiſti, in nomine Patris &c.

Ad Pectus.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per

Digitized by Google

per cogitationes & affectus cordis deliquiſti, in nomine Patris &c.

NB. *In pectore ſolos viros inungit.*

Ad Manus.

Per iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquiſti, in nomine Patris &c.

Ad Pedes.

Per Iſtam ſanctam ✝ unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per greſſum deliquiſti, in nomine Patris &c.

Deinde dicit.

Sit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defenſionem contra ſæva jacula immundorum ſpirituum. ℟. Amen.

Bombacio accenſo aut in ignem projecto, manibúsque ſale & aquâ ablutis pergit.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. &c.
℣. Salvum fac ſervum tuum (ancillam tuam)
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eum (eam.)
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo (ea.)
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: ſi infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratiâ ſancti Spriritûs languores iſtius infirmi (æ) ejúsque ſana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis & corporis ab eo (ab ea) expelle, plenámque interiùs & exteriùs ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

REſpice, quæſumus, Domine famulum tuum (am) in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refove, quam creâſti, ut caſtigationibus emendatus (a) ſe tua ſentiat medicina ſalvatum (am) Per Chriſtum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte; ut famulum tuum (am) ab ægritudine liberatum (am) ſanitate donatum (am) dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccle-

Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum &c.

Aſſumpta imagine ſanctæ Crucis facit ſupèr infirmum ſequentes benedictiones.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te de†fendat. Intra te ſit, ut te refi†ciat, circa te ſit, ut te conſer†vet, ſuper te ſit, ut te undique muniat & benedi†cat. Spiritus ſanctus deſcendat, & maneat ſuper te. ℟. Amen. Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis. ℟. Amen. Et ſanet omnes languores tuos. ℟. Amen. Redimátque de interitu vitam tuam. ℟. Amen. Et faciat in omnibus bonis deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Pax tecum.

Extendit verſus infirmum manum dexteram dicendo:

Sanet te Deus Pater, qui te creavit in carne. Sanet te Filius, qui pro te paſſus eſt in cruce. Sanet te Spiritus ſanctus, qui tibi infuſus eſt in Baptiſmate. Sancta & laudabilis Trinitas unus Deus gratiam ſuam ad profectum ſalutis animæ & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono jugiter conſervet. Qui vivit.

Ad extremum pro perſonæ qualitate ſalutaria monita breviter præbere poteſt, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas tentationes roboretur hoc modo:

Allocutio.

Nach der letzten Oelung.

JEtzt haben wir alle heilige Sacrament empfangen, ohne welche vil tauſend dahin ſterben, und ewig verderben; ſo iſt derowegen billich,

daß

daß wir unſerm allergütigſten GOtt Danck ſagen, und uns gantz in ſeinen Göttlichen Willen ergeben, das H. Crucifix umfangen, ſelbes hertzlich küſſen (hic demum dat ipſi Crucem oſculandam) Leib und Seel in die heilige Wunden JEſu befehlen, alle unſere Schmertzen ihm in ſein durchſtochenes Hertz aufopffern, und unſer Leben, Leyden und Sterben vereinbahren mit ſeinem allerheiligſten Leben, bitterſten Leyden und Sterben, das iſt das allgemeine Geſatz. Nun aber, was für ein beſſere Zeit werden wir erwählen können, als eben diejenige, welche uns GOtt ſelbſt beſtimmet und ernennet. Zumahlen er alles anordnet zu unſerm gröſten Nutzen, Heyl und Seeligkeit. Iſt es derohalben ſein Will und Befehl, daß wir länger leben, oder aber anjetzo ſterben ſollen, ſo geſchehe ſein allerheiligſter Will, alles wollen wir thun und leyden, was, und wie es GOtt gefällig ſeyn wird, nur diſes bittend, daß er uns in der Gedult, und in ſeiner Gnad und Lieb erhalte biß in den Todt.

4.
Ordo ſepeliendi adultos.

Sacerdos indutus ſtola nigra & ſuperpelliceo, præferentibus miniſtris crucem, aquam benedictam, & thuribulum ad funus in ædibus dicat: Si iniquitates.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis tuæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine : Domine; quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt : & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus : ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia : & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus. Requiem æternam dona ei Domine.

Et lux perpetua luceat ei. *Et repetit Antiphonam totam.* Si iniquitates abſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter. *Reliqua ſecretò.*

Interim aſpergit funus, & incenſu adolet.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. &c.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

ABſolve quæſumus, Domine animam famuli tui (vel famulæ tuæ) ut defunctus (vel defuncta) ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

Jam portetur funus ad Cœmeterium, & dicat Sacerdos in proceſſione Miſerere &c.

Ad ingreſſum ad Cœmeterium dicat:

Subvenite, Angeli Dei! occurrite Angeli Domini ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi, ſuſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te. Et in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. Suſcipientes &c. Requiem æternam dona ei Domine. Et lux perpetua luceat ei.

Dum interea cum funere ad ſepulchrum accedunt, dicat ſequentem Antiphonam.

In Paradiſum deducant te Angeli: in tuo adventu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in civitatem ſanctam Jeruſalem, Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cùm autem pervenerit ad ſepulchrum Sacerdos illud benedicit, dicens:

Deus, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum ✠ benedicere dignare, eique Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem, & quorum, quarumque corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dicta oratione aſpergit ſepulchrum dicendo:

Sanctificetur iſtud ſepulchrum, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritûs ✠ ſancti, Amen.

Tunc funus ponatur in ſepulchrum, dicente cacerdote:

Sume terra, quod tuum eſt, ſumat DEus, quod ſuum eſt, corpus de terra formatum eſt, ſpiritus deſurſum inſpiratus eſt.

Aſpergatur poſteà funus aquâ benedicta, & dicatur:

Rore cæleſti reficiat animam tuam Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

Et thurificetur dicendo.

Odore cœleſti paſcat animam tuam Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

Deinde Sacerdos palâ ter projiciat terram ſuper funus, dicendo:

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Et ſtatim ſacerdos recitat:

Ego ſum.

Canticum Zachariæ.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorati teſtamenti ſui ſancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis:

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et

Digitized by Google

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Et repetitur Antiphona.

Ego ſum Reſurrectio & Vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.

Pater noſter *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

FAc quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto (famulâ tuâ defunctâ) miſericordiam, ut factorum ſuorum, in pœnis non recipiat vicem, qui (quæ) tuam in votis tenuit voluntatem, ut ſicut hic eum (eam) vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum (eam) tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam DEI requieſcant in pace. ℟. Amen.

Lignea cruce ſepulchrum ter ſignat in capite, in medio, ad pedes, dicens:

Signum Salvatoris ✝ Domini noſtri JEſu Chriſti ſit ſignatum ✝ ſuper te, qui in hac ✝ imagine redemit te. *Et inſigens crucem in capite ſepulchri dicit:* nec permittat introire Angelum percutientem in æternum. Pax tecum.

Aſpergat ſepulchrum aquâ benedictâ tum populum, ut pro defuncto oret, admoneat his vel ſimilibus verbis.

Andächtige in Chriſto dem HErrn! dieweil GOtt der Allmächtige abermahlen ſeinen Göttlichen Willen an diſer verſtorbenen Perſohn vollbracht hat, derowegen, da nun die Seel in dem geheimen Urtheil GOttes noch einige Straff, um dero auf diſer Welt begangenen, und nit genugſamen abgebüßten Sünden auszuſtehen hätte, und aber GOtt mit derſelben nicht nach der Strenge, ſondern nach der Vile ſeiner Güte gnädiglich verfahren, dieſelbe aus der Qual, und ſchweren Peyn des Fegfeuers in das ewige Leben, und himmliſche Freuden aufnemmen, und dem Leib am Tag des letzten Gerichts mit allen lieben Auserwählten ein fröhliche Auferſtehung verleyhen wolle, ſo ſprecht ihr zu Troſt und Hülff mit gebogenen Knyen, ein andächtiges Vatter unſer, und Engliſchen Gruß.

5. Or-

§.

Ordo ſepeliendi parvulos.

Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola alba, cum ad locum vel domum, ubi parvuli funus eſt poſitum, eodem ordine, quo ad funus adulti proceſſionaliter advenerit, ſtans coram eo dicit:

Antiphon. Sit nomen Domini.

Pſalmus 112.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in ſæculum.

A ſolis ortu usque ad occaſum, laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus DEUS noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo, Matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in ſæculum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter *ſecretò.*

Interim corpus aſpergit.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.
℣. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti.
℟. Et confirmâſti me in conſpectu tuo in æternum.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens & mitiſſime DEUS, qui omnibus parvulis renatis fonte baptiſmatis, dum migrant à ſæculo, ſine ullis eorum meritis vitam illico largiris æternam, ſicut animæ hujus parvuli, hodie credimus te feciſſe: fac nos, quæſumus Domine, per interceſſionem beatæ Mariæ ſemper virginis & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiſo cum beatis parvulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergat funus aquâ benedictâ ter in modum crucis, & incenſet ter eodem modo.

Sanctificetur ſepulchrum iſtud in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. ℟ Amen.

Cùm parvuli funus in ſepulchrum ponitur, dicit:

Sumat DEUS, quod ſuum eſt, corpus de terra formatum eſt, ſpiritus deſurſum inſpiratus eſt.

Et ſtatim illud aſpergit aquâ benedictâ & thurificat. Deinde palâ ter ſuperinjiciat terram dicendo: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Jam dum ſepelitur dicat Sacerdos Antiphonam Benedicite.

Canticum trium puerorum Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Bene-

Digitized by Google

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Digitized by Google

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino. benedicite Sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.

Antiphon. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite diem lætitiæ & confitemini illi.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. &c.

℣. Sinite parvulos venire ad me.

℟. Talium eſt enim regnum cœlorum.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, ſanctæ puritatis amator, qui animam huius parvuli ad cœlorum regnum hodie miſericorditer vocare dignatus es: digneris etiam, Domine ita nobiſcum miſericorditer agere, ut meritis tuæ ſanctiſſimæ Paſſionis, & interceſſione beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum in eodem regno nos, cum omnibus Sanctis & Electis tuis ſemper facias congaudere:

Deus in cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis & famulabus tuis omnibus, hic & ubique, in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Dein-

Digitized by Google

Deinde cruce ligneâ ſignat ſepulchrum dicens:

Signum Salvatoris Domini noſtri JEſu Chriſti ſit ſignatum ſuper te, qui in hac imagine † redemit te. Pax tecum.

Aſpergat ſepulchrum, & exhortetur populum, in hanc vel ſimilem formam.

ANdächtige in Chriſto dem HErrn! dieweil uns auch durch diß unſchuldige Kind die menſchliche Sterblichkeit fürgeſtellt wird, ſo laſt uns GOtt den HErrn um ſein Göttliche Gnad treulich anruffen und bitten, damit wir hie auf diſer Welt ein unſchuldiges reines Leben führen, ein glückſeeliges Stündlein unſers Abſterbens, und endlich ſamt diſem Kind, auch allen lieben Heiligen und auserwählten Gottes die Cron der ewigen Freud und Seeligkeit erlangen mögen; ſeynd auch ingedenck aller deren, ſo allhie in diſem Orth begraben ligen, inſonderheit aber, welche aus diſem Geſchlecht in GOtt verſchiden ſeynd. Sprechet uns und ihnen zu Hülff und Troſt ein andächtiges Vatter unſer und Engliſchen Gruß.

6. Ordo copulationis Matrimonii.

Parochus ſtans ante ſponſos clarâ & intelligibili voce, ad circumſtantes dicit:

Auserwählte in Chriſto dem HErrn.

DIſe zwey gegenwärtige Bräut-Perſohnen haben ſich gegen einander zu dem Heil. Sacrament der Ehe verſprochen: Sie ſeynd auch ordentlicher Weiß zum drittenmahl auf der Cantzel offentlich verkündiget: und ob zwar biß

dato

Digitized by Google

dato kein Irrung oder Verhindernuß fürgebracht worden; wofern aber noch jemand allda gegenwärtig, deme einige wahrhafft oder beglaubte Urſach diß vorhabende H. Sacrament der Ehe zu verhinderen, bewuſt wäre, derſelbe wolle alsbald bey Chriſtlichen Gehorſamb ſolches offenbahren, und keines Weegs verhalten.

Und diß zum erſtenmahl.

Zum andernmahl.

Zum drittenmahl.

Aliquantulum pauſat, & ſiquis adeſt, impedimentum certò vel veriſimiliter allegans, ulteriùs Parochus in actu copulationis non procedat, ſed omnia ad Ordinarium pro deciſione remittat.

Si autem nemo impedimentum opponat, ulteriùs pergit dicens:

Dieweil dann auch anjetzo nichts vorkommet, ſo diß Heil. Sacrament der Ehe hinterſtellig machen konnte, als haben beyde Bräut-Perſohnen vor deſſen Schlieſſung folgender maſſen ſich zu erinneren.

Admonitio Sponſis à Parocho facienda.

Und zwar vornemblich iſt wohl in acht zu nehmen, daß die Ehe ein von Chriſto eingeſetztes Sacrament: dahero nicht allein würdiglich hiemit zu empfangen, ſonderen auch Zeit Lebens von beyden Ehe-Perſohnen nach Chriſtlicher Maß und Ordnung gebührend zu beobachten ſeye.

Warum aber GOtt die Ehe alſo erhöhet, und geheiliget, ſeynd vornemlich drey Urſachen.

Fürs

Furs erſte, damit durch die Eheliche Beywohnung die Kinder rechtmäßig erworben, mit beyder Ehe-Perſohnen geſambten Beyſtand Chriſtlich erzogen, das menſchliche Geſchlecht auf Erden erhalten, und hinnach die beſtimbte Zahl der Auserwählten in dem Himmel erſetzt werde.

Furs ander, damit unter den Chriſten, als einem durch den Tauff geheiligtem Volck, die unzuläßige Fleiſch-Gelüſten, alsdann allerhand hieraus entſpringender unehrbarlicher Wandel und Laſter, wormit das Reich GOttes, nach Lehr des Heil. Apoſtels Pauli keineswegs kan ererbt werden, vermittelt, und zum Theil der Schwachheit des Fleiſches geziemend begegnet werde.

Furs dritte, damit ein ſichtbarliches, unaufhörliches Zeichen der wunderbahrlichen gnadenreichen unſichtbarlichen Vermählung Chriſti mit ſeiner allhie ſtreitbaren, in jener Welt aber triumphirenden einigen Kirchen, mitteiſt der H. Ehe, auf diſer Welt ſtets vor Augen ſeye, zu einem Vorbild, daß gleichwie Chriſtus ſein ihme von GOTT dem Vatter verehelichte Kirchen beſtändig liebt, ſchützet, und niemahlen verläſt, ingleichen die Chriſtliche Ehe-Perſohnen unaufhörlich ſich gegen einander lieben, als getreue Mithelffer, eines das ander gebührend ſchützen, und in allerhand diſes Lebens Müheſeeligkeit und Trübſaalen einander niemahlen verlaſſen.

Schließlich, woſern der Eheſtand jetzt erzehlter maſſen angetretten und gehalten wird, alsdann gibt GOTT ſeinen Seegen von oben herab,

herab, mehret die zeitliche Güter und Nahrung, verleihet gottsförchtige und gehorſame Kinder, und endlich mit ihnen die ewige Seeligkeit, Amen.

Deinde converſus ad circumſtantes, dicit:

Damit aber gegenwärtige Bräut-Perſohnen würdiglich das Sacrament der Ehe antretten, und hierdurch deren von GOtt bey Einſetzung diſes Sacraments verſprochnen Hilff, und troſtreichen Gnaden jetzt, und Zeit ihres Leben theilhafftig werden, wollen wir geſamt neben ihnen mit gebognen Knyen GOtt in Stille anruffen mit ei- einem andächtigen Vatter unſer, und Engliſchen Gruß.

Mox ſurgunt omnes, & Parochus converſus aliquantulum ad Sponſum, interrogat illum de conſenſu per verba de præſenti, hoc modo:

Wann nun gegenwärtige Bräut-Perſohnen zu ſolchem GOTT gefälligen Vorhaben ihnen getrauen: ſo frag ich euch *præmittatur titulus conveniens)* ꝛc. Hochzeiter, ꝛc. nimmet ihr aus gründlich-freyen, wohlbedachtem Willen euer gegenwärtige Hochzeiterin hiemit zur Ehe nach Geſatz und Ordnung der heiligen Kirchen GOttes? So ſprecht: Ja.

Wollt ihr derſelben getreulich vorſtehen, als das Haubt, wie Adam unſerer erſten Mutter Evä, und ſie lieben, wie euch ſelbſt? So ſprecht: Ja.

Wollt ihr ſie auch in aller Noth diſes armſeeligen Lebens nit verlaſſen, ſondern bey ihr verbleiben, biß euch beyde der Todt ſcheydet? So ſprecht: Ja.

De-

Deinde converſus eodem modo ad Sponſam, interrogat illam de conſenſu per verba de præſenti hoc modo. (præmittatur titulus conveniens)

Deßgleichen frage ich ꝛc. Hochzeiterin, ꝛc. Nimbt ihr gleichermaſſen aus gründlichem freyen, wohlbedachten Willen, euren gegenwärtigen Hochzeiter hiemit zur Ehe, nach Geſatz und Ordnung der heiligen Kirchen GOttes? So ſprecht: Ja.

Wolt ihr demſelben in allen billichen Sachen gehorſam ſeyn, wie Eva unſer erſte Mutter dem Adam, und ihn ehren, wie Sara den Abraham? So ſprecht: Ja.

Wolt ihr ihn auch in aller Noth diſes armſeeligen Lebens nicht verlaſſen, ſondern bey ihm verbleiben, biß euch beyde der Todt ſcheydet? So ſprecht: Ja.

Non ſufficit conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & quidem de præſenti, expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per procuratorem, qui tamen paſſim ſine urgente cauſa, & Ordinarii licentia extra Principum & Illuſtrium Nuptias admitti non debet.

Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dextras, dicens:

Zu mehrer Beſtättigung der hiemit geſchloſſenen heiligen Ehe, gebt einander den Mähl-Ring, und die Händ.

Tunc Sponſus vel ſponſa pro more loci, acceptum annulum infigit in didito annulari (ſeu quarto) ſiniſtræ manus Sponſi vel Sponſæ.

Interim Sacerdos, manu ſuper eos formans crucem, dicit: In nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.

Durch

Durch die Zuſambietung der Hånd, beſtåttiget ihr hiemit gleich als mit einem leiblichen Ayd, daß ihr Zeit eures Lebens wöllet gegen einander treu verbleiben, beſtåndig einander helffen, und in der Trůbſaal keines das andere verlaſſen.

Poſteà rurſus dicit:

Gleicher Weiß durch den Ring, als einem geiſtlichen Unterpfand beſtåttiget ihr hiemit, daß gleichwie diſer Ring rund, unzertheilt, ohne Anfang und End iſt, alſo auch euer Eheliche Treu, nimmahlen durch frembde Lieb, oder gegen einander faſſenden Haß ſolle zertheilt, ſondern im Nahmen und Ehr GOttes, welcher keinen Anfang noch End hat, angefangen, und biß an das End veſt und ungeåndert zwiſchen euch jederzeit gehalten werde.

Tum amborum manus ſtolâ ſuâ in modum crucis circumvolvit, ſuámque dextram ſuperimponens, dicit;

Matrimonium in facie Eccleſiæ inter vos contractum, Deus confirmet, & auctoritate Eccleſiæ Dei ego illud approbo, perficio, atque ſolennizo: in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † ſancti. Amen.

Vel Germanicè.

Die Ehe, welche ihr hiemit vor der Chriſtlichen Gemein beſchloſſen, wolle GOtt beſtåttigen: dieſelbe aber an ſtatt der Kirchen GOttes gut heiſſe, und beſchlieſſe ich: Im Nahmen GOtt des Vatters † und des Sohns † und des H. Geiſts † Amen.

His dictis ſtolam removet, dicens:

Gratia & benedictio Dei ſit vobiſcum. Amen.

Vel

Vel Germanicè.

GOtt geb euch ſein Gnad und Seegen.

℟. Amen.

Tunc (ſi uterque vel ſaltem Sponſa ſit vidua) dicit ſequentes preces ſuper conjuges genuflexos.

℣. Confirma hoc DEus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

RESpice, quæſumus, Domine, ſuper hos famulos tuos, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut, qui te auctore junguntur, te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum. ℟. Amen.

Poſtmodum aſpergat novos conjuges aquâ benedictâ, ambos ſeparatim, primò Sponſum, deinde Sponſam, utrumque ter in modum unius crucis, nihil dicens.

Primarum Nuptiarum Benedictio.

Si benedicendæ ſint Nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.

Digitized by Google

Si autem extra Miſſam Matrimonium celebratum fuerit, aut etiam ſupradictus ritus in Romano Miſſali præſcriptus, pro loci & temporis opportunitate, commodè opſervari non poteſt, poterit ſe Parochus conſuetudine, hactenùs in Diœceſi Ratisbonenſi vel alia recepte, conformare, & peractâ ſupradictâ exhortatione, nuptias, prout ſequitur, benedicere.

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit &c.

Deinde ſubjungat Pſalmum 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraël.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. Salvos fac fideles tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Exaudiat vos Dominus in die tribulationis.

℟. Protegat vos nomen Dei Jacob.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Do-

℣. Domine, exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut, qui, te auctore junguntur, te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui poteſtate virtutis tuæ, de nihilo cuncta feciſti: qui diſpoſitis univerſitatis exordiis, homini ad imaginem Dei facto, ideò inſeparabile mulieris adjutorium condidiſti, ut fœmineo corpori de virili dares carne principium, docens, quod ex uno placuiſſet inſtitui, nunquam licere disjungi.

Deus, qui tam excellenti myſterio conjugalem copulam conſecrâſti, ut Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum præſignares in fœdere nuptiarum.

Deus, per quem mulier jungitur viro, & ſocietas principaliter ordinata, eâ benedictione donatur, quæ ſola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii eſt ablata ſententiam.

Reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda conſortio, tuâ ſe expetit protectione muniri: ſit in ea jugum dilectionis, & pacis: fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatríxque ſanctarum permaneat fœminarum: ſit amabilis viro, ùt Rachel: ſapiens, ùt Rebbecca: longæva & fidelis, ùt Sara.

Nihil in ea actibus ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet: nexa fidei, mandatíſque permaneat, uni tho-

Digitized by Google

thoro juncta: muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ: ſi verecundiâ gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus erudita; ſit fœcunda in ſobole, ſit probata & innocens: & ab beatorum requiem, atque ad cœleſtia regna perveniat: & videant ambo filios filiorum ſuorum, usque in tertiam & quartam generationem, & ad optatam perveniant ſenectutem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

DEus Abraham, DEus Iſaac, DEus Jacob ſit vobiſcum: & ipſe adimpleat Benedi✝ctionem ſuam in vobis, ut videatis filios filiorum veſtrorum, usque ad tertiam & quartam generationem: poſteà vitam æternam habeatis ſine fine, adjuvante Domino noſtro JEſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat DEus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et ſtatim aſpergit eos aquâ benedictâ.

7.

Proceſſio in Feſto SS. Corporis Chriſti.

Evangelium primum.

Poſtquam ad primum Altare perventum fuerit, Diaconus, ſi adſit, cum debita reverentia & genuflexione accipiet de manu ipſius Sacerdotis ſtantis SS. Sacramentum: & illud ſuper Altare collacabit; interim canitur aliquod Mottetum, vel Reſponſorium.

Circa finem Motteti vel Reſponſorii &c. Diaconus unus ex quatuor defert, & ponit librum ſuper Altare; Officiator benedicit, & imponit interim incenſum; Diaconus verò genuflexus ante venerabile Sacramentum di-

Digitized by Google

dicit: Munda cor meum &c. *& habitâ benedictione reverentiis debitis ante Officiatorem dicit*: Jube Domine benedicere &c. *& accepto libro, decantat, alio Diacono librum tenente, Evangelium primum.*
℣. Dominus vobiſcum &c.

Et ſignans librum, & ſe ipſum in fronte, ore, & pectore proſequitur.

Initium ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. *Interim dum.* ℟. Gloria tibi Domine. *Incenſat librum triplici ductu.*

LIber generationis JEſu Chriſti, Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron: Eſron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naaſſon: Naaſſon autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jeſſe: Jeſſe autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ: Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias auten genuit Aſa: Aſa autem genuit Joſaphat: Joſaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Joatham: Joatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem genuit Manaſſen: Manaſſes autem genuit Amon: Amon autem genuit Joſiam: Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmi-

Digitized by Google

migrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt JEſus qui vocatur Chriſtus.

Sacerdos oſculatur librum, ſibi delatum dicens: Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta, Amen.

Et incenſatur more ſolito à Diacono. Facta incenſatione, cantat Officiator.

Per iſtos ſermones ſancti Evangelii, & merita, ac interceſſionem ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ indulgeat nobis Dominus univerſa crimina ac delicta noſtra. ℟. Amen.

Hinc officiator cum Diaconis duobus aſſiſtentibus redit ad venerabile Sacramentum, & factâ reverentiâ ante illud ſtat, canitur à Diaconis vel Cantoribus.

℟. Panem de cœlo præſtitiſti eis Alleluja.

Chorus. ℟. Omne delectamentum in ſe habentem, Alleluja.

Officiator canit ſtans verſus Altare.

Oremus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemtionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamns. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

De-

Deinde Officiator, thurificato Sacramento ut ſuprà accipit Monſtrantiam cum debitis reverentiis, & ſtans verſus populum & omnes alios genuflexos, canit reſpondente Choro.

℣. A fulgure & tempeſtate. ℟. Libera nos Domine JEſu Chriſte.

℣. Fiat Miſericordia tua, Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

A Domo tua, quæſumus, Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde dat populo benedictionem cantans.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, † *(ſimplex Sacerdos producit unam tantùm crucem)* & Filii, & Spiritûs ſancti deſcendat ſuper vos, & ſuper fructus terræ, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Evangelium ſecundum.

℣. Dominus vobiſcum. &c.

℣. Initium ſancti Evangelii ſecundùm Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii JEſu Chriſti Filii DEI. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus. Fuit Joannes in deſerto, baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et

Digitized by Google

egrediebatur ad eum omnis Judeæ regio, & Jeroſolimitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua. Et erat Joannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus: & locuſtas; & mel ſilveſtre edebat. Et prædicabat dicens: venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto.

Sacerdos oſculatur librum dicens: Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta. Amen. *Et incenſatur. Sic etiam fit poſt reliqua Evangelia.*

Officiator vero canit.

Per iſtos ſermones ſancti Evangelii, & merita, ac interceſſionem ſancti Marci Evangeliſtæ, indulgeat nobis Dominus univerſa crimina atque delicta noſtra. ℟. Amen.

Deinde officiator redit cum duobus aſſiſtentibus Diaconis ad venerabile Sacramentum, & factâ reverentia à Diaconis canitur.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis. Alleluja.

Chorus. ℟. Omne delectamentum in ſe habentem. Alleluja.

Oremus.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Incenſato, & aſſumpto Sacramento Officiator versùs populum ſtans canit.

℣. A

℣. A peſte, fame, & bello. ℟. Libera nos Domine JEſu Chriſte.
℣. Fiat miſericordia tua, Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Benedic, DEUS omnipotens, locum iſtum, ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio DEO Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, nunc & in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde populum benedicat cantans.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti † deſcendat ſuper fructus terræ, & maneat ſemper, Amen.

Evangelium tertium.

℣. Dominus vobiſcum &c.
℣. Initium ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.
℟. Gloria tibi, Domine.

Fuit in diebus Herodis Regis Judææ, Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de Filiabus Aaron; & nomen ejus Eliſabeth. Erant autem juſti ambo, ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus domini ſine querela. Et non erat illis filius, eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecun-

ſi mus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Incenſato & aſſumpto Sacramento Officiator versùs populum ſtans canit.

℣. A ſubitanea, improviſa, & perpetua morte.
℟. Libera nos Domine JEſu Chriſte.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui in omni loco Dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris: adeſto ſupplicationibus noſtris, & hujus loci, cujus es fundator, eſto protector, ut nulla in eo nequitia contrarietatis obſiſtat, ſed, virtute Spiritûs ſancti cooperante, fiat hic tibi ſemper purum gratúmque ſervitium, & devota voluntas. Per Chriſtum Dominum. ℟. Amen.

Oremus.

VIſita, quæſumus, Domine, locum iſtum, & omnes inſidias inimicorum ab eo longè repelle, & Angeli tui ſancti habitent in eo, qui eum in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſemper ſuper eum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Evangelium quartum.

℣. Dominus vobiſcum.
℣. Initium ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quód factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Reliqua omnia fiunt, ùt ſuprà, Officiator verò canit.

Per iſtos ſermones ſancti Evangelii, & merita ac interceſſionem ſancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, indulgeat nobis Dominus univerſa crimina, atque delicta noſtra. ℟. Amen.

Deinde à duobus Diaconis aſſiſtentibus canitur.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis. Alleluja.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem. Alleluja.

Officiator.

Ore-

Oremus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti; tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Ab omni malo.

℟. Libera nos Domine JEſu Chriſte.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Cœleſti benedictione benedicatur, cuſtodiatur, ac conſervetur locus iſte, & in eo habitantes, agri quoque & terræ fructus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEus, qui das eſcam omni carni, qui operis cœlum nubibus, & paras terræ pluviam, & januas cœli aperis, qui transfers auſtrum de cœlo, & inducis virtute tua Africum; qui rigas montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum tuorum ſatiabitur terra; qui Angelo præcepiſti, ut terræ, mari, & arboribus non noceret: parce metuentibus, & propitiare ſupplicantibus. Te etenim Domine, ſupplices exoramus, ut procul abſcedat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum, fragor grandinum, percuſſio fulminum, & quælibet inſidiæ inimici temperentur, infeſta tonitrua, noxiæque pluviæ, & ventorum flamina fiant mo-

Digitized by Google

moderatè ſuſpenſa, omnis quoque ſpiritus procellarum & aëreæ tempeſtates dexterâ tuæ virtutis proſternantur. Deſcendat, quæſumus, Domine, deſuper Spiritus ſanctus, ut fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus, fruges manus ſervet Angelica, &, poſt ſopitos nubium impetus, in laudum & devotionum ſpiritualium augmentum tranſeat comminatio tempeſtatis. Qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Finita oratione, Sacerdos, thurificato, ut ſuprà Venerabili Sacramento, & ſuperimpoſito humeris velô, ſurgit, ad Altare aſcendit, factáque ſolita genuflexione, & accepta Monſtrantia, ſtans versùs quatuor mundi plagas cantat, ac ſimul benedicit, dicens versùs Orientem: A fulgure ✝ & tempeſtate. ℟. Libera nos Domine Jeſu Chriſte. *Versùs Meridiem.* A peſte, fame ✝ & bello. ℟. Libera nos Domine Jeſu Chriſte. *Versùs Occidentem.* A ſubitanea, improviſa ✝ & perpetua morte. ℟. Libera nos Domine Jeſu Chriſte. *Versùs Septentrionem.* Ab omni malo. ℟. Libera nos Domine Jeſu Chriſte.

Deß wahren, und Catholiſchen Glaubens-Bekandtnuß.

Ich N. glaube und bekenne mit ſteiffen Glauben ſambtlich und ſonderlich, alles was in dem heiligen Glauben, den die heilige Römiſche Kirch braucht begriffen iſt, nemblich: Ich glaube an einen GOtt Vatter, den Allmächtigen, Erſchaffer Himmels und der Erden, aller ſichtbaren und unſichtbaren Ding, und in den HErrn JEſum Chriſtum, den eingebohrnen

Sohn

Sohn GOttes, und aus dem Vatter gebohren vor aller Ewigkeit, GOtt von GOtt, Liecht von Liecht, wahrer GOtt von wahren GOtt, gebohren, nicht erſchaffen, mit dem Vatter einer Subſtantz und Weeſens, durch den alle Ding erſchaffen ſeynd, der um uns Menſchen und unſers Heyls willen, von dem Himmel herab geſtiegen, und iſt Fleiſch worden von dem H. Geiſt aus Maria der Jungfrauen, und iſt Menſch worden. Er iſt auch gecreutziget für uns unter Pontio Pilato, hat gelitten, und iſt begraben worden, und iſt auferſtanden am dritten Tag nach den Schrifften, und iſt aufgeſtiegen in den Himmel, ſitzet zu der Rechten deß Vatters, und wird mit Herrlichkeit wieder kommen, zu richten die Lebendige und die Todte, deſſen Reichs kein End ſeyn wird. Ich glaube in den H. Geiſt, HErrn und Lebendigmachenden, der von dem Vatter und Sohn ausgehet, der mit dem Vatter und Sohn zumahl angebettet und gleich herrlich gemacht wird; der geredt hat durch die Propheten. Ich glaub an eine heilige Catholiſche Gemeine und Apoſtoliſche Kirchen: Ich bekenne einen Tauff zu Verzeyhung der Sünden, und erwarte eine Auferſtehung der Todten, und ein Leben der künfftigen Zeit, Amen.

Ich laß auch veſtiglich zu, und nimme an die Apoſtoliſche und Kirchiſche Satzungen, und andere diſer Kirchen Ordnung und Gebräuch.

Item

Blut mit ſambt der Seel und GOttheit unſers HErren JEſu Chriſti, und daß ein Veränderung beſchehe der gantzen Subſtantz oder Weeſens des Brods in den Leib, und der gantzen Subſtantz des Weins in das Blut. Welche Verwandlung die Catholiſche Kirch Transſubſtantiation, das iſt, ein Verwandlung einer Subſtantz in die andere nennet.

Ich bekenne auch, daß unter einer Geſtalt allein der gantze unzertheilte Chriſtus, und ein wahres Sacrament genommen werde.

Ich halte veſtiglich, es ſeye ein Fegfeur, und den Seelen, ſo darinnen enthalten, werde durch der Glaubigen Gebett geholffen. Zugleich auch ſeyen die Heilige, ſo mit Chriſto herrſchen, zu verehren und anzuruffen, und daß ſie GOtt Gebett für uns aufopfferen, und daß ihre Heiligthum zu verehren ſeyen.

Ich halte beſtändiglich, daß die Bildnuſſen Chriſti, und Mariä der Jungfrauen, wie auch anderer Heiligen zu haben und zu halten ſeyen, und daß man ihnen gebührende Ehr und Reverentz erzeigen ſolle.

Ich beſtättige auch, daß der Gewalt der Ablaß, von Chriſto der Kirchen verlaſſen, und deren Gebrauch dem Chriſtlichen Volck höchſt heylſam ſeye.

Ich bekenne die heilige, allgemeine Catholiſche und Apoſtoliſche Römiſche Kirch für ein Mutter und Meiſterin aller Kirchen, und verheiß und ſchwöre dem Römiſchen Pabſt, des

Heil. Petri deß Apoſtel Fürſtens Nachkommen wahren Gehorſamb.

Item alle andere Stuck, ſo von denen heiligen Canonibus und allgemeinen Conciliis, und fürnehmlich von dem heiligen Tridentiniſchen Synodo verordnet, beſchloſſen und erkläret ſeynd, nimme ich unzweiffentlich an, und bekenne ſie, herentgegen alle widrige Stuck und Ketzereyen, welche von von der Kirchen verdammt, verworffen, und anathematiziret, oder verflucht ſeynd, die verdamme, verwirffe, anathematizire und verfluche ich gleichfahls. Diſen wahren Catholiſchen Glauben, auſſer welchem kein Menſch ſeelig werden kan, welchen ich jetzt für mich ſelbſt ungezwungen bekenne, und wahrhafftig halte, will ich (vermittelſt Göttlicher Hülff) gantz unverletzt, beſtändig halten, und bekennen, biß auf den letzten Athem meines Lebens, auch allen möglichen Fleiß fürwenden, damit er von meinen Unterthanen, oder von denen, welcher Sorg mir in meinem Ambt zugehören würdet, gehalten, gelehrt, und geprediget werde. Das gelob, und verheiß, und ſchwöre ich N. ſo wahr mir GOtt helff, und die heilige GOttes Evangelia.

9. Forma Abſolutionis ab Hæreſi.

Finita Profeſſione fidei profeſſus facit Confeſſionem Sacramentalem, & Sacerdos ipſum abſolvit formula ſequenti.

Miſereatur tui omnipotens DEUS, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Am.

Indul-

Digitized by Google

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa & hactenus nondum revocata, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter hæreſin, in qua vixiſti; & incorporo te gremio ſanctæ Eccleſiæ, communi fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem ſanctæ Romanæ, Catholicæ, & verè Apoſtolicæ Eccleſiæ: deinde eadem authoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris † & Filii †, & Spiritûs † ſancti, Amen.

10.

Forma Abſolutionis excommunicati jam mortui.

Si quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit ſignum contritionis, ne Eccleſiaſtica careat ſepultura, ſed ſuffragiis Eccleſiæ gaudeat, quantum fieri poteſt, abſolvi poteſt, hoc modô: ſic corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur, & abſolvatur ùt infrà, deinde abſolutum in loco ſacro ſepeliatur.

Si verò fuerit ſepultum in loco profano ſi commodè fieri poterit, exhumetur, & eodem modo verberetur, poſt abſolutionem in loco ſacro ſepeliatur.

Si autem commodè exhumari non poſſit, locus ſepulturæ verberetur; poſteà abſolvatur. Quod ſi in loco

Digitized by Google

ſacro ſit ſepultus, non exhumetur, ſed verberetur ſepulchrum: dum autem corpus: ſive ſepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam ſequentem.

Antiph. Exultabunt Domino oſſa humiliata.

Pſalmus. Miſerere mei DEUS &c.

Quo finito abſolvat dicendo.

Authoritate mihi conceſſa, ego te abſolvo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti, vel incurriſſe declaratus es propter tale factum & reſtituo te communioni fidelium. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs †, ſancti, Amen.

Deinde dicatur Pſal. De profundis &c. *In fine.*

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem &c.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DA quæſumus, Domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis ſententia conſtrinxerat, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & ſuperni luminis claritatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

II.

Forma Abſolutionis Sacramentalis Apoſtatæ à fide.

MIſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Am.

In-

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa, ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter Apoſtaſiam à fide, & errores, quos fortaſſis etiam aliis tradidiſti, & reſtituo te gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem ſanctæ Romanæ Catholicæ, & vere Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eadem authoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † ſancti Amen.

12.

Forma Abſolutionis à ſuſpenſione vel interdicto extra vel intra Sacramentum.

Si Sacerdoti ſit commiſſa facultas abſolvendi aliquem à ſuſpenſione, vel interdicto, quamvis nulla verba ſint præcipuè determinata, uti poterit hac forma. Pœnitens dicat Confiteor &c. *Et Sacerdos:*

Miſereatur tui omnipotens DEUS, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Authoritate mihi ab N. tradita, ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis, (vel interdicti) quam (vel quod) propter tale factum (vel cauſam) incurriſſe declaratus es. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † ſancti, Amen.

Digitized by Google

Si verò Confeſſario ſeu in foro conſcientiæ, ſive extrà data ſit poteſtas diſpenſandi ſuper irregularitate, tunc poſtquam abſolverit à peccatis, addat conſequenter.

Et eadem au horitate diſpenſo tecum ſuper irregularitate vel irregularitatibus (*ſi ſint plures*) in quam (vel *in quas*) *ob talem* (vel tales cauſas *eas exprimendo*) incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum: In nomine Patris, ✝ & Filii, † & Spiritûs † ſancti, Amen.

Si nullum ordinem habet, dicatur: habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos.

Quòd ſi neceſſe ſit titulum beneficii reſtituere & fructus malè perceptos condonare, ſubjungat:

Et reſtituo tibi titulum (ſeu titulos) beneficii (ſeu beneficiorum) & condono tibi fructus malè perceptos: In nomine Patris, ✝ & Filii, † & Spiritûs † ſancti, Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullô modô in hujuſmodi facultatis ſuæ terminos excedat.



In-

INDEX BENEDICTIONUM ET RITUUM PARTIS PRIMÆ.

BENEDICTIO & RITUS.

ABſolutionis SS. Roſarii. 114
- - S. Scapularis. 19
Abſinthii pro fumigatione. 357
Aceti ac Vini pro infirmis & maleficiatis. 221
Adjuratio, vid. Exorciſmus.
Aeris pro Pluvia. 387
- pro Serenitate. 388
Agni Paſchalis. 63
Agrorum ſeminatorum. 321
Albæ. 162
Alpium. 311
Amictûs. 162
Animalium in communi. 314
graſſante morbo. 316
maleficio afflictorum. 337
Annuli nuptialis. 212
Annulorum B. V. M. & S. Joſephi. 105
Annulorum & Armillarum, quæ in B. V. M & S. Joſephi æternum obſequium deferri ſolent. 122
Anſerum & ſimilium. 316
S. Ant. de Pad. Reſponſorium pro re perdita. 363
Aquæ cum ſale communis. 3
& ſalis in Feſto S. Stephani. 11
In Vigilia Epiphaniæ. 24
In Feſto S. Agathæ. 51

Aquæ in Feſto S. Ignatii. 360
contra maleficia cum reliquiis. 222. 223
contra animalia nociva, mures, vermes &c. 326
Arborum fructiferarum. 347
Armorum in communi. 397
bellicorum. 398
Aromatum ad fugandos dæmones. 194
Atramenti, Calami, Chartæ. 145. *ſeqq.*
Avenæ in Feſto S. Stephani. 17
Avium domeſticarum. 316
noxiarum pulſiva. 324
Aviarii, gallinarii &c. 299
Auri Feſto trium Regum. 46
BAlnei pro maleficiatis. 198. 215. & 217
Bombardarum. 398
Bombicum vermiculorum. 320
Boum, vid. *Animalium.*
Brodii medicati. 215
Butyri. 352
Butyri, cùm aufertur maleficio. 333
Calami, Chartæ & Atramenti. 145. & *ſeqq.*
Campanæ, dum æs conflatur. 391
Camporum. 311
Candelarum. 109
in Feſto S. Agathæ. 51
in Feſto S. Blaſii. 49
S. Magni Abbatis, vel alterius Sancti. 100
S. Roſarii. 113
pro moribundis. 111
Caprarum. 314
Capſarum pro reliquiis includendis. 157
Carnis in communi. 63
Carnis in Paſchate. 63
Car-

Digitized by Google

Carnis extra Paſcha. 351
Caſei, Lactis &c. 352
confecti ex lacte & ovis. 265
Caſulæ ſeu planetæ. 164
Ceræ pro maſſa ſacra conficienda. 255
Cereviſiæ. 203
Chartæ cum exorciſmo contra dæmones. 142
pro Agno Dei &c. 140
calami & atramenti. 151
Chordæ. 206
Ciborii. 170
Ciborum quorumque. 65
Cilicii. 363
Cinguli. 163
Cinguli S. Thomæ Aquin. 156
Cœnæ pro maleficiatis. 228
Columbarum. 316
Columbarii. 299
Comeſtibilis cujuscunque. 66
Conjugum maleficio impeditorum. 179. & 185
Coralliorum contra tempeſtates. 263
Coronarum Chriſti D. 124
B. V. Mariæ. 112
Corporalium. 168
Cretæ. 23
Crucis. 86
Crucis parvæ pro moribundis. 86
Crucis S. Caroli Borromæi contra tempeſtates. 88
Crucis novæ. 90
Crucis & numiſmatum S. Benedicti. 131
Crucis S. Zachariæ contra peſtem. 125
Crucis, quæ ponitur ſupra veſtimentum. 166
DAlmatiæ. 165
Dolorum ſtomachi remedium. 255

Digitized by Google

Domorum in vigil. Nativit. D. N. J. C. 8
in profeſto Circumciſionis D. N. 22
in vigilia Epiphaniæ. 23
in Sabbatho ſancto. 62
Domûs novæ vel alterius. 277
à malis ſpiritibus vexatæ. 280
ne ab igne comburatur. 295
ENſis. 397
Equorum vide animalium.
Eſculentorum in Paſchate. 63
Evangeliorum S. Joannis. 141
Exorciſmi contra ignem. 390
contra ignem & tempeſtatem. 367 & ſeqq.
contra grandines & tempeſtatem. 381. & ſeq.
contra locuſtas. 327
maleficia patientium. 191
conjugum maleficio impeditorum. 179. 173
contra lactis, butyri &c. per maleficia ablationem. 333
animalium maleficio afflictorum. 337
contra dæmones homines, domos &c. infeſtantes. 280
FArinæ pro infirmis, vel maleficio effectis. 219
Febrium remedium S. Ambroſii. 229
B. Salvatoris ab Horta. 367
Ficum. 349
Flagellorum. 361
Fontis. 303
Fornacis fuſoriæ, coctoriæ &c. 304
Fructum arborum qualiumcunque. 347
Fructuum novorum. 348
omnis generis. 344
in Feſto S. Agathæ. 51
Fumigationis dæmoniacorum ad expellenda malefi-
cia. 238
Fumigatio contra maleficia, vulgò Herenrauch. 240
Furnelli. 304

Digitized by Google

GAllinarum. 316
Galinarii. 299
Glladii. 397
Globorum plumbeorum, vel ferreorum. 398
HErbarum comeſtibilium. 1. Maji. 69
Herbarum in Feſto Aſſumpt. B. V. 70
Herbarum pro ſuffumigio. 357
pro fumigatione, ſive Hexenrauch. 240
pro pane, ſive Hexen-Brod. 251
Horrei. 296
IGnis domeſtici in fornace. 305. & 366
Ignis ne comburat domos &c. 295
ad maleficia comburenda. 358
pro maſſa condenſanda. 259
Imaginum Chriſti Domini 96 B. V. M. 97
Imaginum cordium JEſu & M. contra maleficia &c. 331
Imaginum S. Anaſtaſii contra dæmones. 102
S. Georgii. 155
S. Magni Abbatis. 99
aliorum SS. 98
Incenſi ad fugandos dæmones. 355
Indumentorum. 210
Indumentorum Sacerdotalium. 160
Infantium induendorum ex voto. 260
cum in Eccleſia præſentantur. 204
Infirmorum. 213
Inundationum. 293
Jumentorum. 314
LActis 352
cùm maleficio auſertur. 333
Lecti. 209
Leguminum. 346
Linteaminum ſeu mapparum Altarium. 167

Digitized by Google

Linteaminis, quo Corpus Chriſti ſervatur. 168
Litaniæ S. Benedicti. 131
Loci vel domus ne ab igne comburatur. 295
Locuſtarum & animalium noxiorum pulſiva. 324
Lunulæ Monſtrantii. 170
MAleficiatorum. 191
Maleficiatorum conjugum. 179
Manipuli. 163
Mapparum Altaris. 167
Maſſæ ſacræ conficiendæ. 351
Medicinalium. 198
Medicinæ. 215. & 218
ad maleficia deſtruenda. 198
Militum ad bellum ſeu prælium euntium. 394
Monaſterii novi. 266
Monetæ ſive talerorum S. Georgii. 155
Monſtrantii. 170
Mulieris prægnantis. 173
Mulieris in Eccleſiam introducendæ poſt partum. 176
Mulſi. 203
Murium &c. pulſiva. 324. & 326
Myrrhæ in Feſto trium Regum. 46
NAvis novæ. 364
Nominis JEſu. 65
Numiſmatum S. Benedicti. 131
S. Georgii. 155
S. Zachariæ contra peſtem. 152
Officinæ. 296
Olei. 352
Olei pro numiſmatibus S. Benedicti. 173
Olei miræ virtutis contra infirmitates & præſtigia. 139
Olei pro maſſa ſacra. 255
Olei pro cibo vel uſu medicinæ. 352

Digitized by Google

Olerum. 346
Ordo ponendi SS. Corpus Domini in ſepulchrum, & recipiendi è ſepulchro. 57. & 59
Ovium. 314
Ovorum in Paſchate. 64
extra Paſcha. 351
Pallarum. 168
Panis. 65. Panis in magnis Feſtis. 6
Panis in Feſto S. Agathæ. 51
Panis in Feſto S. Blaſii. 48
Panis in Cœna Domini. 54
Panis S. Erhardi Epiſcopi. 82
Panis S. Nicolai Tolentini. 75
Panis pro infirmis vel maleficio affectis. 219
Panis ex herbis confecti contra maleficia vulgò Hexen-Brod oder Hexen-Zeltlein. 251
Parvulorum. 204
Parvulorum cum in Eccleſia præſentantur à parentibus. 204
Parvulos induendi ex voto. 206
Paſcuorum. 311
Pecorum. 314
graſſante morbo. 316
Peregrinorum euntium ad loca ſacra. 471
redeuntium à locis ſacris. 172
Pirorum. 349
Piſcinæ. 300
Pixidis pro Eucharistia. 170
Planetæ ſeu caſulæ. 164
Pluvialis. 166
Pomorum. 349
Porcorum. 314
Potionum. 350

Potus cereviſiæ. 203
Prandii vel cœnæ pro maleficiatis. 228
Pratorum. 311
Praxatorii vel alterius officinæ. 296
Pſalteriarum B. V. M. 112
Pulveris tormentarii. 398
Putei novi. 303
REi cujuſcunque. 354. & 355
Remedium contra philtrum. 254
Reſponſorium S. Antonii de Padua. 363
Roſariorum B. V. M. 112
Roſæ pro fumigatione. 357
Rutæ &c. 236. & 357
SAgittarum S. Sebaſtiani. 155
Salis, & Aquæ communis. 3
Salis & Aquæ in Feſto S. Stephani. 11
Scapularis. B. V. 115
Schedularum in Feſto S. Agathæ contra ignem. 52
Schedularum SS. Pirmini & Wendelini contra morbos animalium. 319
Sclopetorum. 398
Sementis. 66
Seminatæ terræ. 345
Seminis bombicum vermiculorum. 320
Seminum Dom. 1. Sept. 72
Serpentium pulſiva. 324
Signi bellici. 366
Stabuli equorum boum &c. 297
Stolæ. 164
Storacis. 355
Symbolum S. Athanaſii. 370
TAbernaculi pro Eucbariſtia. 170
Tempeſtatis. 377 & ſeqq.
Terræ ſeminatæ. 345

Tha-

Thalami, thori, lecti. 185. & 209
Thuris. 234
in Feſto trium Regum. 46
Thuribuli. 170
Thunicellæ. 165
VAſculi pro Euchariſtia. 170
Vaſculi pro maſſa ſacra. 260
Vaſorum novorum. 366
ſacrorum in genere. 169
Vermium nocivorum. 324
Vermiculorum bombicum. 320
Veſtimentorum. 210
Veſtis baptismalis. 176
Vexilli bellici. 396
Eccleſiaſtici pro proceſſionibus. 112
Vinculorum mancipatûs parthenici. 122
Vini vel alterius potûs. 350. *novi.* 349
in Feſto S. Stephani. 16
S. Joannis Evangeliſtæ. 19
S. Blaſii, vel alterius Sancti. 51
S. Agathæ. 51
in ſolemnitatibus nuptiarum. 212
Pro infirmis vel maleficio affectis. 221
Virgarum. 361
Unctionis cujusvis. 198. & 215
Uvarum. 349
S. Zachariæ ad cruces, numiſmata contra peſtem. 125

INDEX RITUUM.

Partis. II.

ABſolutionis ab Hæreſi. 770
- - à ſuſpenſione vel interdicto. 773
- - Apoſtatæ à fide. 772
- - Excommunicati jam mortui. 771

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmi. 711
Diſpoſitiones requiſitæ in maleficiato ut liberetur. 683
Evangeliorum quatuor initia in Proceſſione Corporis Chriſti. 582
Exequiarum Adultorum. 499
- - *Parvulorum.* 507
Exorciſmus ex Rituali Romano. 409
Exorciſmus Nicueſæ. 426
Exorciſmus I. in Feſto Circumciſionis D. N. JESU Chriſti. 428
- - *II. in Hebdomada ſancta.* 465
- - *III. in die Pentecoſtes.* 497
- - *IV. in Feſto Corporis Chriſti.* 520
- - *V. In Feſto Annuntiationis B. V. M.* 544
- - *VI. in Feſtivitatibus B. V. Mariæ.* 575
- - *VII. in Feſto S. Joſephi.* 599
- - *VIII. in Feſto S. Michaelis. & S. Ang. C.* 623
- - *IX. in Feſto Sanctorum omnium.* 651
- - *X. Contra omnia maleficia.* 675
Extremæ Unctionis. 726
Forma interrogatoria dæmoni facienda. 426
Infirmum providendi. 723
Litaniæ omnium Sanctorum. 409
Matrimonio aſſiſtendi. 747
Methodus diſponendi maleficiatum ad liberationem. 688
- - *ejiciendi dæmonem per ultimum præceptum.* 696
- - *liberandi pueros maleficiatos.* 703
Proceſſionis in Feſto Corporis Chriſti. 756
Profeſſio fidei. 766
Providendi infirmum. 773
Regulæ pro Exorciſta. 401
Sepeliendi Adultos. 737
Parvulos. 743

MAG 2006304

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



S. BANDITELLI - Tel. 6782409

Digitized by Google